This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

Digitized by Google

DH
403
.B96
v. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Burman, Pieter, ed.

# ANALECTORVM BELGICORVM

## PARS PRIMA.

CONTINENS

CASPARIS SCHETI, CORVINI,

WESEMALIAE BARONIS, GROBBEN-DONCKI TOPARCHAE, ETC.

OPVSCVLA PARTIM INEDITA; PARTIM EDITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# CASPARIS SCHETI, CORVINI,

WESEMALIAE BARONIS, GROBBENDONCKI TOPARCHAE, EQVITIS AVRATI, QVAESTORIS REGII, ETC.

# COMMENTARIVS INEDITVS

DE REBVS, QVAE INTER

## JOANNEM AVSTRIACVM,

AB EO TEMPORE, QVO D. XXIV. JVLII AN. MDLXXVII. ARCEM NAMVRCI INTERCEPIT, ET BELGII ORDINES ACTAE FVERVNT.

ACCEDIT

## EJVSDEM DIALOGVS DE PACE,

INTER PHILIPPVM II. HISPANIAE REGEM ET BELGAS INEVNDA:

ET ALIA OPVSCVLA HIS ADJECTA.

Edidit, & Diſſertationem de Rebus ſub J. Auſtriaci Praefectura in Belgio geſtis Praefationi inſeruit

## PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.




LVGDVNI BATAVORVM,
APVD CORN. VAN HOOGEVEEN, JVN.
cIↄ Iↄ CCLXXII

Digitized by Google

Digitized by Google

*AMPLISSIMIS*

REIPVBLICAE AMSTELAEDAMENSIS

CVM MAXIME

CONSVLIBVS,

NATALIVM SPLENDORE,
MERITISQVE IN PATRIAM
ILLVSTRIBVS,

BONARVM ARTIVM VINDICIBVS
AC CVSTODIBVS,

EGBERTO DE VRY
TEMMINCK,

ATHENAEI ILLVSTRIS CVRATORI.

GERARDO HOOFT,
GER. FIL.

ATHENAEI CVRATORI.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCO DE WITT.

GVLIELMO HVYGHENS,

HONCOOPI TOPARCHAE,

GVALTHERO PETRO BOVDAAN,

CONSVLARI, ET ATHENAEI CVRATORI.

ANALECTA HAEC BELGICA EA, QVA PAR EST, VENERATIONE

DICAT SACRATQVE

PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.

Nemi-

Digitized by Google

# DEDICATIO.

Neminem valde miraturum arbitror & confido, Viri Illuſtres, ſi Belgica haec Analecta, & illa, quae uberiori Praefatione, huic Volumini praemiſſa, de rebus ſub Joanne Auſtriaco in Belgio geſtis, in ſpecimen & partem exiguam laboris Patriae noſtrae Hiſtoriarum ſtudio inpenſi, chartis mandavi, inclytis nominibus Veſtris a me inſcripta ac dedicata conſpiciat, & aliquem gratae mentis ſenſum pectore meo circumferri agnoſcat. Cui enim ignotum eſſe poteſt, Veſtrae auctoritatis & benevoli de me judicii ſuffragio, ante quinque abhinc annos, ut publicae bonarum artium & Literarum humaniorum Profeſſionis ſtationem in Veſtra Vrbe mihi alacriorem redderetis, non minus honorifice quam benigne demandatam fuiſſe ſpartam docendi Foederatarum regionum Hiſtorias, & inſignia ac valde memorabilia Patriae noſtrae fata, ex genuinis ſcriptorum fide dignorum Annalibus, & limpidis puriſque potius fontibus, quam ex obſcuris aut inmundis rivulis, deducta, mihi Romano ore enarranda a Vobis fuiſſe conmiſſa? Qua in re quid prius memorem gratoque animo praedicem, anceps haereo. An ſpem bonam, quam de meis in hac Hiſtoriarum parte profectibus, quos mediocres eſſe nimis



Digitized by Google

mihi conſcius ſum, concepiſtis? an fiduciam quamdam non incertam aut dubiam, quam in meo erga cariſſimam Patriam amore, ejusque Proceres & Magiſtratus veneratione, tum de conſtanti & nullo umquam tempore labefactata boni civis de Republica libera bene ſentiendi voluntate, repoſuiſtis? quae Vos nonnihil certos & ſecuros reddere poterat, Patriae noſtrae hiſtoriam, & illuſtria Proavûm geſta ac pericula, quae ad ejus Libertatem ac jura ſacratiſſima tam contra dominationem externam quam inteſtinas inſidias defendenda in ſerae poſteritatis commoda ſubierunt & exantlarunt, ea, qua decet, fide, veritatis ſtudio, & candore, non autem coloribus fallacibus aut fucatis, non pigmentis adſcititiis, quibus poſteritati inluditur, neque blanditiis ſeculi genio inſervientibus adulterata aut obfuſcata, tam a junioribus, clavo Reipublicae ſuo tempore admovendis, quam ab adultioribus, qui ejusdem adminiſtrationi operam navant, intemerata & Batava probitate expoſita, audiri poſſe. Haec ſi Veſtra forte de me, Viri Ampliſſimi, ſententia fuerit, teſtimonium in eo amplector honorificum & eximium de Profeſſore Hiſtoriarum ſincero & recto, ſuoque munere & benevolentiae Veſtrae nota candidiore non indigno, & ſimul etiam cive



Digitized by Google

ve probato & integro, atque Vrbi illi, in qua primam lucem vitalem hauſit, non omnino inutili. An vero admirer potius ſpectatam Veſtram rerum peritiam & prudentiam, qui probe gnari, quam utile ac prorſus neceſſarium ſit illis, qui vel Reipublicae univerſae, vel Civitatum gubernaculis praeſunt, Patriae ſuae Faſtos & Annales non levi aut tralatitia opera perſpectos tenere, & a primis Belgicorum tumultuum, quos hoc ipſo Commentario deſcripſit Caſpar Schetus, incunabulis, usque ad ſua tempora populi hujus caſus diverſos, non minus ſtupendos quam alterius cujusque gentis, in numerato habere; & inexhauſtas calamitatum viciſſitudines pernoſcere, quibuscum Patria noſtra toties colluctari debuit, ne a Ducibus ac Comitibus imperioſis olim ſubjugaretur, ne duro & ſuperbo Tyranni Aſturici pede protereretur, aut jura ſua ac privilegia conculcari pateretur, neve potentiſſimis Galliae vel Angliae Regibus in praedam cederet, aut denique domeſticae ſervitutis catenis adligaretur aut ſtringeretur; unde mirari licet, potuiſſe exiguam hanc Rempublicam ex tenaci illo tot aerumnarum luto identidem emergere ac caput extollere, ſed etiam ex cladibus tam numeroſis tamque longo annorum tractu continuatis non



Digitized by Google

tantum reſpirare, ſed & a primis turbarum auſpiciis ad noſtrum usque ſeculum ſemper fere ſplendidiorem reſurgere: praecipue vero ante oculos ſibi proponere & in memoriam revocare poſſe ſortem illam infandam, & pudendam mercedem, quam pro ingentibus in hanc Rempublicam meritis & Libertatis ejus vindicandae ſtudio plerumque retulerunt Heroës illi, qui poſteris magis quam ſibi ſuisque conſulentes inviolandum hoc Palladii Batavi pignus ſanguine ſuo potius adſperſum, quam hoſtium manibus fractum aut Diomedea arte ereptum, nepotibus ſuis cuſtodiendum conmiſerunt, ſimulque inmortalem nominis ſui gloriam, nullo ſeculorum ſitu obliterandam, nullisve invidiae aut malignitatis injuriis deterendam, veris Belgis in exemplum reliquerunt. Nimirum illud hominis vere magni indicium eſt, Patriae & Libertati, quam neminem bonum niſi cum anima ſimul amittere dicebant veteres, tuendae, dum vita ſuperſit, omnem aetatem inpendere, & poſt fata in rebus a ſe geſtis praeclarum & nobile imitationis ſpecimen poſteritati dare.

Haec autem vel auditu vel diligenti monumentorum hiſtoricorum lectione cognita habere, ut unumquemque hominem ingenuum rectumque civem decet & exornat, ita eadem exactius num-



Digitized by Google

quam inveſtigata aut minus explorata tenere, & ſic in ſua patria veluti hoſpitem ac peregrinum verſari, turpe & pudendum eſſe illis, qui vel curandis & moderandis Patriae & Vrbium rebus jam admoti ſunt, vel Reipublicae aliquando capeſſendae juſtam fovent ſpem, quemadmodum Vobis, Viri Illuſtres & prudentiſſimi, ipſo rerum uſu abunde perſpectum erat, ita ad accuratiorem Belgicarum Hiſtoriarum notitiam animos praeſertim illorum, quos ſplendidior naſcendi ſors ad publici regiminis gubernacula vocat, inflammandos, & praevio Veſtro exemplo excitandos eſſe cenſuiſtis, ac proinde non modo in praeſens ſed etiam in poſterum Vrbi Veſtrae consulere voluiſtis, & procurare, ut non tantum bonos patriae cives, ſed & idoneos ac peritos Reipublicae & Civitati huic Rectores ex hac utiliſſima Faſtorum & Annalium Batavorum indagatione & ſcientia efficere adlaboraretis, qui hoc veluti clypeo muniti, quum adminiſtrationis tantae habenas manu ceperint ac tenuerint, & ad communem Patriae ſalutem cuſtodiendam, Vrbisque ſuae jura tuenda ſe ſacramento adſtrinxerint, praeſentia tempora cum praeteritis ſagaci animo conferre, ex remotioris aevi actis ſua conſilia depromere ac dirigere, &, quia mutatis tantum perſonis eadem

ple-

Digitized by Google

plerumque manet ſcena, in ſplendido hoc dignitatum theatro poſiti ad laudabilia Proavorum exempla, quorum gloriae hereditas & factorum imitatio ad eos pertinet, ſe conponere, & in illorum res geſtas, tamquam in perlucidam ſpeculi non fallacis imaginem, intueri, atque in defendendis & adſerendis pignoribus his intemerandis viros ſe gerere, & maſcule rem agere valeant. Haec ſola, niſi fallor, cauſſa eſt, cur praeclarus ille Vitae Gulielmi I Scriptor, in eximii Operis Praefatione, non inmerito queratur, & fere indignetur, in plerisque Belgii noſtri Academiis non ſingulares electos eſſe Profeſſores, qui juventuti ingenuae, & in Reipublicae olim gerendae ſpem creſcenti, antea quidem Hiſtoriae Atticae & Romanae notitia inbutae, Patriae tamen ſuae fata non minus illuſtria, jura, conſuetudines priſcas, antiquitates, Decreta & Senatusconſulta, Vrbiumque privilegia, fideliter exponant & enarrent; adfirmatque, huic ſoli neglectui vel perverſo guſtui adſcribendum eſſe, quod non plures ſed numero rariores inveniantur inter Proceres ipſos & Civitatum Magiſtratus, qui vel perlectis Bataviae Annalibus, vel, quod aures animosque magis movet, gentis ſuae hiſtoriis viva & vera docentis voce auditis,

num-

numquam ſe exſtimulatos & incenſos ſenſerunt inclytis Majorum ſuorum facinoribus, qui Religioni ac Libertati in tuto collocandae rem privatam, & animam ipſam, quum Reipublicae ſalus id exigeret, devovere auſi ſunt, poſteritatem unice cogitantes; & hinc pleroſque prudentius, ut cenſent, ſaltem ſecurius & fructuoſius, ſi non laudabilius & decorum magis, tempori & ſeculi genio ſe adcommodantes, &, Republica ſuae ſorti deſtituta, ſuarum tantum rerum ſatagentes, Belgicae Libertatis ſacrarium vel languide tueri, vel priva potius quam publica Patriae commoda curare atque extendere; hanc vero fortiter & magno animo vindicare, & ſacrum illius ancile inviolatum ad poſteros transmittere, ejusque adſervandi cauſſa *odium*, *invidiam*, *factionum calumnias* excipere, & capitis vel *fortunarum pericula* adire, illis ſupine relinquere, quibus nominis inmortalitas aliquo cenſetur pretio, & mollem, fortunatam, ſed inertem & obſcuram, vitam ſectantes, ſui memoriam oblivioſo ſimul ſepulcro ſecum condi & evaneſcere praeferunt, quam cum ſimilibus Heroïbus glorioſo aeternitatis peplo inſcribi.

Quod autem ad ſaluberrimi hujus conſilii ſcopum feriendum, ne in Veſtra Vrbe

be

Digitized by Google

be utiliſſimum hoc deſideraretur inſtitutum, aut illuſtris Athenaei Veſtri opera hac in parte claudicaret, meo ore uti Vobis e re viſum fuerit, publicique Hiſtoriae Patriae Doctoris perſonam Veſtris auſpiciis mihi inpoſueritis, cujus ductu palaeſtrae hujus ſpatia decurrerentur, &, licet ex innumero librorum cumulo rerum Batavarum ſcientia abunde quidem peti poſſit, viva potius docentis voce explicari juſſeritis, quia acriores inde generoſis auditorum animis ad avitae virtutis & priſtinae fidei imitationem infiguntur aculei, quodque Vos ipſi, & Vobiſcum tot alii ſplendidae dignitatis Viri, tam adſidua, inter tantam negotiorum molem, & vix intermiſſa praeſentia mihi peroranti calcaria adeo honorata continuo ſubdere non dedignati ſitis, gloriari quidem fere potui cum Cicerone, me praetextatos, hoc eſt Magiſtratus, Viroſque in ſella curuli ſedentes, inter diſcipulos meos habuiſſe Auditores, vel cum magno Voſſio, primo Athenaei noſtri ornamento, jactare, per aliquot annos me docuiſſe ſtipatum haud exiguo Vrbis hujus Procerum, Vobiſcum huc confluentium, numero, quibus poſt publicas vigilias Curiae inpenſas, ſuave erat in his rerum Batavarum Exercitationibus, Latino ſermone deductis, ſtudia vetera &

lin-

linguae hujus delicias recolere, & hac veluti Muſarum voluptate animum a curis gravioribus avocare & recreare. Sed ab hac quidem gloriatione me deduci & cohiberi ſaepius ſenſi, quotiescumque cum ejusmodi virorum eruditione & dicendi vi atque ubertate mêam tenuitatem & curtam ſupellectilem conferrem, adeo ut juſtum ſaepe pudorem idem hic honos mihi loquenti incuſſerit; ſed ſimul tamen animum quotidie erexerim ac confirmaverim ſpe haud vana, fore, ut quae in me deſiderarentur aut inprobarentur, & favor Veſter, & ceterorum Auditorum aequitas, facile ſuppleret, ac benignius, quam vulgus ſolet, interpretaretur. Saltem ex Veſtra & illorum per continuatas praeteritorum annorum hiemes me audiendi adſiduitate, numero, ac frequentia (adeo ut exempli antea non exhibiti & aliis fere invidendi rem fuiſſe nemo non agnoſceret) Veſtrum de me luculentum judicium non omnino ab eventu eluſum ac fruſtratum fuiſſe, conjicere, & ſumma cum voluptate deprehendere mihi licuit, ita tamen, ut Vobis unice me in accepti tabulas referre profitear, ſi qua hinc meis conatibus laus & adplauſus forte evenerit.

In his vero Reipublicae noſtrae hiſtoriis enarrandis ea ſemper libertate & verita-

ritatis ſtudio, quae hiſtoriarum anima eſt, uſus ſum, ut partes mihi demandatas ſine aliqua illorum, quibus publica debetur veneratio, laeſione aut offenſione, fideliter & ſincera ingenuitate implerè conarer, cum ut ipſe animo meo, Libertatis Batavae amori a teneris innutrito, & ex Patriae Hiſtoriarum indagatione nonnihil edocto ac confirmato, ſatisfacerem, tum quia de hac Vrbe, cujus me civem & incolam eſſe laetor, gloriari licet, raram illam contingere hoc etiam tempore felicitatem, ubi ſentire quae velis, & quae ſentias, aperte ac candide, ſed lingua modum non excedente, dicere liceat; ut ita metam, quam ſibi proponere legitimum Hiſtoricum ſemper decet, adtingere conarer, & praeſertim ut adſequerer conſilium & inſtitutum illud, in exemplum conmendandum, quod ſe olim in condenda Academia Leidenſi ſibi propoſuiſſe, diplomate perquam laudabili, teſtatus fuit Auriacorum Principum maximus Gulielmus I, *ut ab Hiſtoriarum Profeſſoribus docerentur & narrarentur illa, quibus liberae Civitates, omni tyrannide ſublata, recte poſſint adminiſtrari, & congruentem Libertati diſciplinam ſervarent & propagarent.*

Id ſi conatibus meis, & Patriae atque Athe-

Athenaeo Veſtro datis laboribus aliqua ex parte conſecutus fuerim, Viri Illuſtres, non veniam pro laude, ſed potius pro venia laudem mihi conceſſuros eſſe aequos rerum judices, mihi polliceri auſim, qui ea, quae vel lingua vel calamo a me publice proferuntur, adſcribere non adverſabuntur ingenuo Patriae Libertatis, & incorruptae veritatis amori, non autem pravo alicui & ſiniſtro partium, quas vocant, ſtudio, utpote qui numquam didicerim, nec diſcere valde aveo, in re adeo ſeria, illa ore eloqui, quae refutat animus aliter ſibi conſcius, praeſertim quum Libertatis amor, odiumque inmane Tyranni numquam vividis ſatis coloribus, apud liberum prae ceteris populum, depingi & ſenſibus repraeſentari poſſit. Illos vero parum ſemper curare, ac ſuo genio relinquere non deſinam, qui ea, quae optimo in Patriam animo a me vel dicuntur vel ſcribuntur, malignius deferre & prave interpretari non verentur; vel ut Hiſtoricae huic libertati, veritatis amantiſſimae, frenum aliquod larvatae prudentiae objiciant, tritum illud dictum in ore habent, obſequio conciliari amicos, veritatem vero odium parere; cui vulgari Comici effato ſciant quid repoſuerit Eloquentiae Romanae magiſter, de privata

 qui-

quidem amicitia agens, ſed quae ad publicam Hiſtorici in dicendo & ſcribendo libertatem commode referri poſſunt, *in omni hac re adhibendam eſſe illam rationem & diligentiam, ut Veritas acerbitate & contumelia careat, ſed ſimul etiam obſequioſa illa adſentatio, (ſeu adulatio) vitiorum adjutrix, procul amoveatur, quae ne libero quidem homine digna eſt: cujus autem aures Veritati, tamquam rei odioſae, ſunt clauſae, ut verum audire nequeat, illius ſalutem deſperatam eſſe.*

Hoc tramite me in Hiſtoriae Batavae enarratione ſemper inceſſiſſe, Vos ipſi, Viri Ampliſſimi, toties honorati teſtes fuiſtis, & propenſo Veſtro erga veritatis ſtudium adfectu probaſtis, eamdemque hanc viam mihi ante oculos poſui in Diſſertatione, quam de rebus ſub Jo. Auſtriaci Praefectura in Belgio geſtis Praefationi inſerui, ut inedito Viri Nobilis & eruditi Caſparis Scheti, Grobbendonckii Baronis, & Weſemaliae quondam Toparchae, Commentario de Legatione ſua ad eumdem Jo. Auſtriacum & Belgii Ordines ſaepius ſuſcepta, facem aliquam admoverem, ſimulque hiſtoriam omnem amplius pertractarem, illiſque narrationibus, quibus auctor ipſe malam J. Auſtriaci fidem ac fallaciam, vel fucatis coloribus obtegit,

git, aut ſilentio involvit; vel quia in Ordinum & Principis Arauſionis Gulielmi I invidiam & ignominiam perverſe contorquet, larvam adimerem, quemadmodum ejusdem Gulielmi Auriaci memoriam, ſucco loliginis Hiſpanicae ſaepe inmerito adſperſam & foedatam, non uno in loco ab indignis Scriptorum malevolorum contumeliis ex eodem illo veritatis ſtudio vindicavi. Ex hoc etiam primariae virtutis hiſtoricae fonte profluxerunt aurea Viri Summi, & inter Patriae noſtrae Proceres aevo proxime elapſo incliti Viri, Radbodi Hermanni Schelii Opuſcula politica, omnium ſeculorum lectione digniſſima, altero Belgicorum horum Analectorum Volumine in unum faſcem a me conjecta, quo homine neminem ſolidius eruditum, hiſtoriarum veterum ac recentiorum magis peritum, rerum Batavicarum callentiorem, verae Libertatis magis amantem, prudentioremque in ſummo Patrum Patriae Conſeſſu Belgica noſtra vidit. Sed de cujus magni Viri meritis & opuſculorum illorum dote plura dicere in commodiorem locum differo, ne uberiore Dedicationis excurſu tempora Veſtra morer, aut in publica pecem commoda.

Haec autem ſi Vobis, Viri Illuſtriſſimi, non inprobata venient, meque non

ſegni otio, cujus rationem Vobis lubenter reddo, torpere, aut vitam inertem traducere perſuadebunt, publicamque illam perſonam, quam in Illuſtri Veſtro Athenaeo mihi tam honorifice inpoſuiſtis, pro virili ſuſtinere conantem, nobili patrocinio Veſtro dignari pergetis, ſtimulos mihi adjicietis non leves, ut & de aliis Hiſtoriae Belgicae partibus publice bene mereri adnitar. Interim ut diu Vrbis Veſtrae regimini publico glorioſe, ut facitis, adminiſtrando ſoſpires & incolumes Vos ſupereſſe laetemur, civiumque bonorum amorem & debitam legitimis Magiſtratibus venerationem murum aheneum & ſatellitium tutiſſimum ſemper habeatis, utque ſub Veſtrae tutelae aegide Pallas Amſtelaedamenſis & Muſae noſtrae, tamquam ſub laurorum numquam marceſcentium umbra placide requieſcant, & hilares choros agitent, Vosque, non niſi ſero exuta mortalitate, felices illos campos & amoena fortunatorum nemorum vireta ſedesque beatas, ad quas Viris de Patria ſua praeclare meritis ultro patet aditus, inmortalitatis participes inhabitetis, ex animi ſententia voveo. E Santhorſtiano d. xx. Aug. an. CIƆIƆCCLXXII.

BE-

Digitized by Google

BENIGNO ET HISTORIAE BATAVAE

AMANTI LECTORI

S. D.

# PETRVS BVRMANNVS

## SECVNDVS.

Felici fato quum in manus meas incidiſſet ineditus hic Viri Nobilis & eruditi Casparis Scheti, Corvini, Weſemaliae Baronis, Grobbendonci olim Toparchae, aliisque dignitatum titulis inſigniti, Commentarius, ſatis eleganti, licet non ubique pura, latinitate *ſcriptus*, qui narrationem conplectitur earum rerum, quas ipſe inter Joannem Auſtriacum & Belgii Ordines an. 1577. tamquam medius & arbiter geſſit, eaque Hiſtoriae Batavae pars non minimi momenti ſit, Opus hoc, luci publicae numquam antea expoſitum, privatis ſcriniis premere nolui, ſed cum Annalium Belgicorum amatoribus, quorum hoc praeſertim tempore ſeges uberrima eſt, illud ultro communicare, aliaque ejusdem Auctoris opuſcula rariſſima, paucis viſa, &, quia fere evanuerant, cum ineditis conparanda, ei adjungere, atque in unum

faſcem conjicere, munuſculo, ut opinor, Hiſtoriae Patriae indagatoribus non ingrato, è re viſum fuit. Quum vero Auctor ipſe huic Commentario ſuo praefixerit hiſtoriam originis & progreſſus Tumultuum Belgicorum, antequam ad ipſas inter Joannem Auſtriacum & Belgii Ordines diſſenſiones narrandas accedat, illamque temporis partem non contemnendam, quae inter Lud. Requeſenii mortem & Joannis Auſtriaci ſucceſſionem atque introitum in urbem Bruxellas interceſſit, leviore manu tractaverit vel omiſerit, & praeſertim acta Gulielmi I Arauſionenſis Principis, quibus Belgium, ad ſummas rerum anguſtias tunc redactum, ab inportunitate Hiſpanorum, & Auſtriaci inſolentia ac ſimulatione, vindicare adniſus eſt, vel ſilentio praeterierit, vel jejune tantum attigerit, (nonnumquam enim huic Gulielmo I minus aequum exſerit animum) clariori luce hac Praefatione illuſtrare, tum de ipſo Scheto, ejusque gente, fatis, & his ipſis, quae nunc mea qualicumque cura ab interitu ac tenebris vindicata in publicum prodeunt, opuſculis nonnulla adjicere conſtitui.

Notum eſt, Joannem Auſtriacum, ſpurium Caroli V filium, & Philippi II fratrem, Ludovico Requeſenio, ſubita, ſed Batavis valde commoda & tempeſtiva, morte defuncto, ab Hiſpaniae Rege Succeſſorem ad res Belgii

ad-

adminiſtrandas, &, ſub praetextu ſedandarum Hiſpani militis ſeditionum, ad populum hunc, rebellionis dudum & Majeſtatis crimine damnatum, vi ad obſequii ſervilis humilitatem reducendum, fuiſſe miſſum. Eo enim tempore longis calamitatibus adtriti, crudelitate Hiſpanica excruciati, inmodicis tributis & rapinis emuncti & fere exhauſti Belgae, licet paullo ante in ſolo Gulielmo I Auriaco Principe maximam rerum reſtituendarum fiduciam repoſuiſſent Foederati Ordines, ſupremae poteſtatis arbitrio, quamdiu hae regiones bello iſto & armis infeſtarentur, inſtar Romanorum, tempore extra ordinem calamitoſo, Dictatores dicentium, in illum collato (*a*), mox tamen deſperare inceperant, ſe his viribus bella tam diuturna contra Hiſpanorum diritatem ſuſtinere poſſe, *nulla Pacis aut reconciliationis ſpe ab inexorabili Philippo adfulgente.* Celebri itaque conventu Roterodami an. 1575. habito, conſultarunt, ſed tamquam conſilii inopes, de ſacra tandem an-

(*a*) Dato diplomate d. 11. Julii 1575. quod integrum hiſtoriae ſuae inſeruit Borrius Lib. VIII. p. 641. & ſeqq. & Hooftius Lib. X. p. 430. 431. ad quod legi merentur animadverſiones Scriptoris Vitae Gul. I. Tom. II. p. 574. & ſeqq. qualem poteſtatem ne poſtea quidem in Gulielmum I fuiſſe collatam, quum an. 1583. de titulo *Comitis Hollandiae* ipſi offerendo ageretur, obſervat Grotius in Apologet. cap. IX. p. 100 & 101. loco inſigni.



Digitized by Google

anchora adripienda, ſive de patrocinio potentioris alicujus Regis vel Principis vicini inplorando, cui tutelam adflicti & exinaniti Belgii conmitterent, nonnullis ad Imperatorem, vel Imperii Germanici Principes, aliis ad Galliae Regem, plerisque ad Reginam Angliae decurrendum eſſe cenſentibus. Tam miſera rerum conditione tunc Patria noſtra premebatur, ut Dominum quemcumque, velut conſumti & deſolati patrimonii Curatorem, ubique quaererent Belgae, nec tamen reperirent. Illuſtri enim Legatione a Viris primariis in Angliam ſuſcepta, ad Elizabetham confugerant, orantes, ut cauſſam Belgarum ſuam facere, eosque in clientelam ſibi tradi haud repudiaret. Sed optimam occaſionem Belgii regiones ſuo imperio adjiciendi ſummo noſtro bono ſibi elabi paſſa fuit Regina, omnium, quotquot umquam ſceptra geſſerunt, maxima, &, ne inextricabili cum Hiſpanis bello, velut Clytemneſtrae veſti, ſe ipſa involveret, propoſitas conditiones rejecit: quae ſi filio ſuo Duci Alenzonio fuiſſent oblatae, Belgas repulſam non laturos, literis ad Gulielmum Auriacum ſcriptis, indicaverat Galliae Rex Henricus III., ab ambitioſa matre Catharina Medicea exſtimulatus (*b*).

Ipſe

(*b*) De principatu Belgii, vel Imperatori, vel Galliae Regi, aut Angliae Reginae tunc oblato, vide Thuanum Lib. LX. §. 6. p. 401. 402. Meurſium Lib. X. Gul.

Ipſe quoque Gulielmus Arauſionenſis, ceteroquin animum ſupra fortunam adverſam gerens, & halcyonis inſtar *ſaevis tranquillus in undis*, tunc tamen tanta animi, conſtantiam ſolitam deſtituentis, aegritudine correptus fuit, ut, quum de rebus Belgii in integrum reſtituendis anxius & ſollicitus fluctuaret, remedium in deſperatis quaereret. Vltimum enim Batavis exitium incumbere veritus, ejusque tutelam ab Elizabetha repudiatam dolens, conſilium ceperat, omnem Belgarum gentem uni claſſi inponere, ſuo fato relictas has rerras deſerere, & perruptis aggeribus, veluti inducto diluvio, arva inundare, ut ſuperſtites Belgae, ſed rari in gurgite vaſto nantes, hoſtibus non niſi triſtes ac corruptas regionum antea tam beatarum relinquerent exuvias & veluti laceras publici naufragii tabulas cederent, dum ipſe cum reliquis exſulibus aliam Patriam, quocumque ſub ſole jacentem, quaereret, quo Deus & Fortuna eos adpuliſſent, neque aliud ipſi & miſerae ſortis ſociis ſupereſſet

Gul. Auriac. p. 409--413. Meteranum Lib. V. fol. 111, Borrium Lib. VIII. pag. 651. Hooftium Lib. X. p. 429. & Jo. Iſ. Pontanum Lib. XIV. Hiſt. Gelr. pag. 924. huc refero, quae ad an. 1584., quando poſt Gulielmi I mortem haerebamus, an Gallis vel Anglis regni acceſſio offerretur Belgium, in Annalibus ſuis Lib. IV. pag. 89. dicit Grotius, *Arcanum ingens tunc patefactum eſt, poſſe Belgas ſub Domino eſſe, non poſſe ſub Hiſpano.*

eſſet ſolatium, quam ut cum Melibaeo Virgiliano ingemerent,

*At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros,*
*Pars Scythiam, & rapidum Cretae veniemus Oaxen,*
*Et penitus toto diviſos orbe Britannos.*
*En umquam* Batavos *longo poſt tempore fines,*
*Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,*
*Poſt aliquot, mea regna, videns mirabor ariſtas?*
*Impius haec tam culta novalia miles habebit?*
*Barbarus has ſegetes? en, quo diſcordia cives*
*Perduxit miſeros! en quîs conſevimus agros!*

Funeſtam hanc & deplorandam Belgii faciem, praeter notos rerum Batavicarum Scriptores, vividis admodum coloribus depinxit Radbodus Hermannus Schelius, è Tranſiſulanis, inter Patriae noſtrae Proceres, generis nobilitate, meritis ſummis, & ſolida eruditione ingens praecedentis ſeculi ornamentum, aureo LIBERTATIS PUBLICAE libello, pag. 65 & 66. Tom. II. horum Analector, *Fuit illud tempus, cum virtus omnis in patientia, ſalus una in deſperatione, ſpes una in Deo niteretur, quum horrore infandae crudelitatis, & deſperatione rerum ſuarum quaereret Belgica dominum, nec inveniret; oblato fruſtra primò Regi Galliarum, mox Reginae Britanniae, & cui non, principatu. Neminem enim non accepiſſet, ſed defuit, qui eam vellet imperio regere. Nec illa fuit modeſtia* quip-

*quippe hac libidine Regum per quamcumque cauſſam fines prolatandi, nec amor Regis Hiſpaniarum, cujus odio favebant etiam cauſſae Belgarum, qui exemplum metuebant. Dei, Dei fuit illud numen, & fatum Reipublicae, ad majora jam initia rerum ducens, ablata è conſpectu Majorum noſtrorum omni humana ope, quo ad ſolam divinam confugerent, in eaque ponerent omnia, & abunde adipiſcerentur. Idem injecit hanc mentem hominibus regnandi cupidiſſimis, ut metu reſpuerent regnum, & reſpuendo, ignari quamvis & inviti, jacerent futurae Libertatis fundamenta. Per haec rerum diſcrimina emerſi, non tantum ſeſe per ſe ſervaverunt Patres noſtri, ſed Rempubl. hanc, excuſſo ſimul Hiſpano & Romanenſi jugo, in duplicem tum animi tum corporis libertatem conſtituerunt, eoque evexerunt, ut poſt Romanam magnitudinem nulli florentiſſimarum Rerumpubl. liberarum (abſit invidia verbo) inferior ſit.* Nobis vero, ſi digna Batavorum neque ab Avis degenerans poſteritas ſumus, ſeriae ſupremo Numini agendae ſunt gratiae, quod mentem iſtam Regibus his inſpiraverit, ne faſtui monarchali ſubſterneremur, & ſub jugi Regii pondere deinceps gemeremus Belgae, ſed virtuti Majorum in accepti tabulas referremus, quod Rempublicam hanc per ſe ſervaſſent ipſi, neque eorum ſoboli exprobrare quis poſſet, Liber-

tatem Batavam externi alicujus Principis aut Regis potentioris patrocinio, veluti precariam, fuiſſe vindicatam & cuſtoditam, ſed magnanimae Proavorum conſtantiae, in ſupremi Numinis favore & auxilio ſpem ſolam reponentium, deberi. Certe Patriae tunc in extremis laboranti adfuit, ut ſaepe, Deus è machina, & ſublato Capite, a quo fons & origo malorum derivabatur, opem adtulit ſuam, ubi humana deſperabatur. Nam, quum prioribus cladibus jam acceſſiſſent variae urbes, in Zelandia & alibi locorum a Requeſenio interceptae, jamque majora adhuc animo moliretur, ex ultimo, in quo verſabantur, diſcrimine emerſerunt Belgae, ſubita & inexſpectata, ſed oportuna admodum, inviſi Gubernatoris morte, quem Bruxellis peſtifera lue correptum d. 5. Martii 1576. atra dies abſtulit, & tempeſtivo funere merſit (c). Eo amoto, &, antequam ex Hiſpania mit-

(c) De morte atque indole Requeſenii vid. Fam. Stradam Lib. VIII. p. 405. & ſeq. Dinothum Lib. III. de Bel. Belg. p. 192. ſeq. Bentivogl. Lib. IX. p. 447-449. opt. ed. Colon. Thuanum Lib. LXII. §. 7. p. 463. & e noſtris Borrium fine Lib. VIII. p. 664., e quibus honorificam characteris Requeſeniani deſcriptionem dedit Thuanus: ſed atris coloribus eum depinxit Erneſtus Eremundus de Orig. & progreſ. Tumult. Belg. p. 253. ex vero rem egerunt Meurſius Lib. X. Rer. Belg. in fine pag. 417. & eximius Auctor Vitae Gulielm. I Tom. II. p. 610. Cauſſas, quae Requeſenium Belgis minus gra-

mitteretur Succeſſor, rei ſumma a Philippo Senatoribus Concilii Statuum interim commiſſa, augurio felici tam in publica quam ſua commoda uti non ceſſavit Arauſionenſis Principis Gulielmi I induſtria ac vigilantia, atque oblatum ſibi a Brabantiae, Hannoniae, Flandriae, & Arteſiae Ordinibus foedus, de Hiſpanis, qui ſeditionibus & rapinis tunc inſanum in modum graſſabantur, communi ope ex Belgio ejiciendis, avidiſſime amplexus, quum rem Ordinibus Hollandiae ac Zelandiae haud difficulter perſuaſiſſet, memorabili Pacificatione Gandavenſi (*d*) vix octo menſium

gratum acceptumque reddiderunt, Hoppero ſcribit Viglius Epiſt. CCLXIV. Tom. I. Analect. Belg. Papendrechtii P. II. p. 860.

(*d*) Hiſtoriam omnem celebris hujus Pacificationis ejusque conditiones inter exteros adcurate deſcripſerunt Thuanus Lib. LXII. §. 13. *Bentivogl. Lib.* IX. *ſub finem*, p. 476. *Dinothus Lib.* III. p. 211. Fr. Haraeus *Vol. II.* Annal. Brab. p. 240-243. Joh. Franc. Petitus in Chronico Belgii Gallico Lib. XI. p. 318-321. Auctor libri Gallici de Tumult. Belg. editi 1582. a pag. 363. ad p. 383. & Jo. Baptiſt. Taſſius Lib. III. Comment. p. 224-233. & e Batavis Scriptoribus Meteranus Lib. VI. fol. 122. & ſeq. Borrius Lib. IX. p. 718. & ſeqq. & p. 739. Hooftius Lib. XI. p. 475-479. Pontanus Lib. XIV. Hiſt. Gelr. p. 926. 927. Erneſt. Eremundus de Orig. Belg. Tumult. p. 257. Mich. ab Iſſelt Hiſtor. ſui Temp. p. 487-490. Schotanus Lib. XXI. Hiſt. Friſ. p. 793. & inſignis Auctor Vitae Gulielm. I. Tom. II. p. 652. plurimos tamen etiam inter illos, qui ad rem ipſam promovendam fuerunt adhibiti, variis artibus foederis hujus pacta eludere,



Digitized by Google

ſium ſpatio poſt Requeſenii obitum tranſacta; & huic pacto mox accedentibus Friſiis, Groninganis, Vltrajectinisque, auſpicatum de Libertate Belgica aliquando recuperanda bene ſperandi ſuſtulit vexillum, & tyrannidis Hiſpanicae majore virium niſu frangendae jecit fundamentum, cui ſolidius poſtea Vnionis Vltrajectinae aedificium ſuperſtruxit. Reſpirandi enim ſpatium quum nacti eſſent Belgae, inita Pace illa Gandavenſi potentiſſimas regiones Brabantiam & Flandriam, ceterasque in unum velut corpus redactas, ſociali contra Hiſpanos bello inplicuit, urbesque haud paucas, quae in Hollandia, Zelandia, & alibi, ab illis adhuc tenebantur, vel iis adhaerebant, tractumque totum Vltrajectinum, ab effero hoſte in ſuum perduxit obſequium: praecipue vero Hollandorum & Zelandorum ſeparatum antea Comitatum indiſſolubili Foederis vinculo artius colligavit, facta etiam communi inter illos Juſtitiae ſede, ſeu tribunali ſupremo; eo conſilio, ne quis illum concordiae nexum vel aperta vel clandeſtina vi diſtrahere aut rumpere adniteretur, adeoque ſociatae gentis, mutuam opem requirentis, commodis gravisſime

re, & ſocietatem hanc diſſolvere tentaſſe, ne ſuis privilegiis reſtitueretur Belgium, queritur ipſe Gulielmus I Arauſionenſis in ſua Apolog. II, pag. 113. & ſeq.

ſime noceret (*e*); ſimulque effecit, ut iidem populi ſeorſim a ceteris ſibi, *ſub ſummi Magiſtratus vocabulo, jus quaſi dictatorium* deferrent, jurejurando ab ipſis & Principe Gulielmo coram primoribus Foederatis praeſtito, ut dicit Grotius in Apologetico cap. I. Denique triennio poſt laudatiſſima Vnione (*f*) VI-

(*e*) Ita loquitur praeclarus Auctor Vitae Gulielm. I. Tom. II. p. 616. ubi de iſto Foedere agit, cujus capita ſingula habentur apud Borrium Lib. IX. p. 668-672. & in Actis Authenticis poſt Wicquefortii Hiſt. Gall. Foed. Belg. Tom. I. Lib. I. pag. 4. usq. ad p. 23.

(*f*) Vnionis hujus Vltrajectinae d. 29. Jan. 1579. promulgatae diploma, XXVI capitibus conſtans, a plurimis Scriptoribus productum, & praeter illos, qui ab aliis indicati ſunt, inter Acta Authentica poſt Wicquefortii Hiſt. T. I. Lib. I. p. 24—38. ubi Belgico & Gallico ſermone exhibetur; ut Gallice etiam exſtat in libro ſcriptoris anonymi de Tumultibus Belgii Lib. IV. p. 460. & ſeqq. Latino autem idiomate editum eſt in J. Bapt. Taſſii Comment. Lib. V. p. 339. & ſeqq. ejusque ſummaria dedit Grotius Lib. III. Annal. pag. 63. ubi tamen perperam tradit, *Gulielmum* I *ſumma diligentia uſum, Trajectum Batavorum ſe contuliſſe, ut evocatos Ordines arctiori foedere illigaret.* Quum ex aliis conſtet, in urbe Gandavo manſiſſe Principem, & fratri ſuo Joanni Comiti Naſſavio, Gelriae Praefecto, qui etiam Foederi primus ſubſcripſit, rei hujus negotium conmiſiſſe, quamquam ipſe Gulielmus menſe illius anni Majo poſt alios acceſſerit. Hiſtoriam omnem hujus Vnionis quum adcurate pertractaverint Auctor Vitae Gul. I. Tom. III. Lib. X. p. 246. usque ad p. 286. & paucos ante annos eruditus inter Cauſſidicos noſtros Juriſconſultus, Nic. Bondtius, additis ad Prooem. & tria priora Capita Animadverſionibus optimis, reliquarum deſiderium nobis relinquens, nihil hic amplius de iſto Foedere addam. Id unum mirari liceat, quum

Vltrajectina regiones Belgii Foederatas. ita con-quum tot diverſarum Regionum Legati huius Vnionis diplomati ſubſcripſerint, adeoque plura ejus exemplaria variis membris tradita fuerint, ad hunc tamen diem in nulla Belgii Regione, cujus Delegati ſcribendo adfuerunt, praeſertim in Archivis Vltrajectinis, repertum fuiſſe exemplar autographum, licet diligenter in id inquiſiverint veterum patriae noſtrae monumentorum inveſtigatores. Vnicum tamen felici forte fortuna hoc ſeculo an. 1753. erutum fuit Hagae in Tabulario Secretorum Concilii Statuum, integerrime conſervatum, licet ſordidae chartae inſcriptum, inditum capſulae, quae inpoſita fuerat ciſtae, in quam aliae cujuscumque generis chartae, ex incendio quodam ſervatae, nullo ordine erant conjectae. Hujus vero exemplaris Hagani autographi indicium quum literis humaniſſimis mecum aliquando communicaverit Vir inter Patriae noſtrae Proceres eximius Joannes Hoppius, Foederato Belgio nuper a Conſiliis & Aerarii publici Curator, brevem lectori deſcriptionem inpertire non gravabor. Argumentum nempe illius convenire cum vulgatis editionibus, tam in magno Diplomatum Corpore Caauwiano, quam in Tabulariorum Vltrajectenſium Sylloge Wateriana, aliisque exemplis apud Hiſtoricos noſtros obviis. Sed in Hagano non reperiri inter Acta Acceſſionum diploma Gulielmi I Principis Aurjaci, quo ſe Foederi huic accedere teſtatus eſt d. 3. Martii 1579., neque Acceſſionem Urbium Friſicarum d. 2. Junii, neque Comitis Rennenbergici d. xi. Junii ejusdem anni, quae inveniuntur apud Borrium Lib. XIII. Hiſt. pag. 30. & 31. Sed in exemplo illo Hagano additum eſſe diploma Acceſſionis Amersfortenſium, qui Vnionem hanc ratam habere diu recuſarunt, datum d. 10. Junii 1579., quod diploma apud nullos editores exſtat. Hi enim non niſi, urbe a Joanne Comite Naſſavio in poteſtatem redacta, coacti acceſſerunt, ut narrat Theod. Verhoevius inter Scriptores Rer. Amersfort. ab Ant. Matthaeo editos cap. XVI. p. 114, 115. & vid. Fr. Haraeum in Annal. Brab. Vol. II. p. 289. & 290. In eadem denique capſula reper-

tum

Digitized by Google

conjunxit, ut paullatim hinc enata fuerit validior Reipublicae emergentis ſocietas, quae ſervitutis Cantabricae jugum excutere tandem auſa fuit, eaque firmata & Reipublicae & domus ſuae magnitudinem atque auctoritatem ſagaciſſimus Princeps amplificavit ac ſtabilivit. Prudenter vero maturandum & conficiendum cenſuit Gandavicae Pacificationis negotium, priusquam in Belgium adveniret Jo. Auſtriacus (g). Sed, ut de ancipiti iſtius tem-

tum etiam fuiſſe aliud Foederis hujus Vltrajectini exemplar, ita ut leges illius jam d. 6. Dec. 1578. Vltrajecti a ſeptem Regionibus, & a Linganis Drenthanisque, formatae erant, ſubſcriptum ab Hollandiae, Zelandiae, Vltrajecti, Gelriae, & Friſiae Delegatis: qua in re non leviter errat Vlr. Huberus Tom. II. Hiſt. Civ. p. 403. ubi inter illos, qui ſubſcripſerunt, omiſſis Zelandis, male recenſet Tranſiſalanos, & pejus adhuc Groningenſes, qui tunc in poteſtate Hiſpanorum erant. ſed unus & alter Nobilis Omlandus ſubſcripſerunt. Illud vero alterum exemplar Haganum conveniebat cum Diplomate Vnionis, ita ut d. 23. Jan. 1579., ſex diebus ante promulgationem, compoſitum & in Acta relatum fuerat; niſi quod in fine legebatur: *ratam haberi hanc Vnionem ex placito illorum, a quibus miſſi erant Delegati, eaque de re ut fieret relatio, conſtitutum eſſe diem 10. Januarii proximi, ut tunc reverterentur in urbem Vltrajectum circa veſperam in diverſorio, ut ſequenti die convenirent, & inter ſe amplius deliberarent.* Sed haec hactenus.

(g) Franc. Haraeus Vol. II. Annal. Brab. pag. 239. *Igitur Orangius, cujus meſſis a morte Requeſenii inſigniter in herba fuerat, cujusque conſilio ac nutu, quicquid fere hactenus Ordinum nomine actum geſtumque erat, proceſſerat, feſtinandum judicabat, ut, quod ſub incude erat, ante Auſtriaci adventum perficeretur.*

temporis conditione idem ait Grotius Lib. II. Annal. pag. 49. *Fuit quidem id unum omnino tempus, quo de rebus Belgicis bene ſperare licuit, ſi cum armis & odia ponerentur. Sed haec altius repetenti certiſſima malorum origo videtur Procerum aemulatrix ambitio, & huic non diſſimile populi vitium, abruptus ſuae religionis amor, numquam ſe intra foedera, numquam praeſentem intra ſortem ſe tenens. Haec dum manent, nec partes umquam deſunt, nec inſtrumenta adverſus Libertatem.* Quod veriſſimum Viri maximi effatum & ſequentium & recentiorum temporum ſemper confirmavit eventus.

Provida haec Principis conſilia validum ſine dubio obicem pararunt, frenumque injecerunt auctoritati & potentiae Praefecti, qui a parte Regis Hiſpaniarum ſucceſſor Requeſenio deſtinatus mox exſpectabatur. Joannes enim Auſtriacus, indomitae ambitionis aeſtu correptus, & poſt victoriam pugna navali de Turcis an. 1571. ad Lepantum (*b*) ſuo ductu relatam magnos animos gerens, non niſi ſce-

(*b*) Hanc victoriam, qua de Turcis nulla alia fere inſignior relata fuit, deſcribunt praeter alios Fr. Haraeus Vol. II. Ann. Brab. p. 115. ſeq. & Hooftius Lib. VI. p. 224-226. hinc meritas Auſtriaci laudes ex re bellica relatas recenſens Bern. Junius Tom. I. Hiſt. Gandav. p. 275. addit tamen, *eum ingenio inquietum, arrogantem, & ambitioſum, qui ad regnum Tunetenſe adſpiraverat, & animo deinde inhiabat imperio Angliae,*

Digitized by Google

ſceptrum mente praecipiens, imperia quocumque modo ſpirabat, adeoque ſupremam in Belgas gubernationem a Fratre ſibi concedi poſtulaverat, quum ex Hiſpania diſcederet; ratus ſe non tantum levi manu gentem iſtam rebellem ſubjugaturum, pedibusque calcaturum, ſed & ipſam quoque Angliae Reginam ſolio ſuo detruſurum eſſe. Sed, ut ad illud potentiae faſtigium Fratrem hunc eveheret, non patiebatur ipſius Philippi ambitio, timens, ne (*i*), ſi Auſtriacus bellicoſo ingenio voti fieret conpos, ipſe inſtar Maſſiniſſae ab hoc Jugurtha, fratre ſuo ſpurio, regno ſpoliaretur, quod exemplo etiam domeſtico cavere jubebatur. Ex Italia igitur eum in Belgium properare juſſit, illo quaſi nomine ac titulo, ut motus & ſeditiones concitatas, oblata Pacis ſpe, conpeſceret ac ſedaret. Apud Fratrem igitur, ab hoc conſilio alienum, diſſimulandum cenſens Auſtriacus, per Galliam iter ſuſcepit, ubi aliquamdiu incognitus (*k*) & perſonatus latuit,

(*i*) Vid. Lud. Auberium Comm. Gall. Hiſt. Holl. p. 63. 64. ubi addit, Philippum, nullum regni aemulum ferre patientem, ut ſuo filio Carolo non pepercerat, eadem de cauſſa hunc fratrem nothum poſtea quoque de medio ſuſtuliſſe.

(*k*) Errat enim Jo. Bapt. Taſſius Lib. III. Comment. §. 62. p. 240. quum ſcribit, *Jo. Auſtriacum per totam Galliam ſummo omnium adplauſu ac reverentia exceptum fuiſſe.* Sed ignotum ſe illic, duobus tantum comitibus adſumtis, continuiſſe, tamquam Octavii Gonzagae, arcanorum ſuorum arbitri, famulum, *infuſca-*



Digitized by Google

tuit, ut ex Didaco Zuniga, Legato Hiſpanico, omnem Belgii ſtatum exploraret. Ab illo igitur cuncta edoctus, Luxemburgum abiit, quam ſolam foederi Gandavenſi non acceſſiſſe intellexerat, eamque urbem intravit infortunato die, hoc eſt 5. Nov. 1576., quo Antverpia ab Hiſpanis & exteris militibus miſerum in modum fuit direpta. Illic depoſita larva Ordinibus, tunc in urbe Bruxellenſi congregatis, ſcribit, ſe a fratre Rege Gubernatorem in Belgium miſſum eſſe, turbarum videlicet conponendarum & Libertatis reſtituendae cauſſa, ſed, imperioſa addens mandata, obſides e Nobilioribus petit, qui fidem ſibi facerent tuti ad eos adventus, antequam in ulteriora Belgii ſe conferret. Id vero quum Ordinibus jam tunc juſtae ſuſpicionis anſam praeberet, viros aliquot primarios ad illum miſerunt, qui & adventum Auſtriaco ſpecioſis verbis gratularentur, animumque ejus rimarentur, quos inter fuiſſe praecipuos Joannem (*l*) Fonckium, Marchionem

*to ore, vibrato capillo ac barba, Aethiopis in modum*, teſtatur Strada initio Lib. IX.

(*l*) Idem hic eſt Joannes Fonckius, vel Funckius, Praepoſitus D. Mariae apud Vltrajectinos, Regis Conſiliarius, ad quem nonnullas Caſp. Scheti Epiſtolas in fine hujus Voluminis edidi. Non rara ejus mentio eſt in Viglii Zuichemi Epiſtolis, & Jo. Bapt. Taſſii Commentariis de Tumult. Belg., ex quibus patet, Fonckii hujus operam in gravioris momenti rebus ſaepe adhibi-

nem *Havreum*, & hunc ipſum Gaſparem Schetum, ſcribit Jo. Bapt. Taſſius Lib. III. Comment. pag. 240. Suſpicionem iſtam Ordinum & diffidentiam juſtiſſimam, poſtea variis de cauſſis inſigniter auctam, confirmarunt literae, vigilantia exploratorum Arauſionenſis Principis interceptae, tam Regis Hiſpani, quam ipſius Joannis Auſtriaci, ex quibus manifeſtum fuit, Hiſpanos ſimulatam prae

bitam. An. 1569. ab Albano ſimul cum Chiapp. Vitellio in Angliam miſſum fuiſſe, ſcribit Viglius Epiſt. 87. ad Joach. Hopper. T. I. Anal. Papendr. P. II. p. 536. ubi eum a facundia aliiſque dotibus commendat. An. 1570. a Rege in Concilii Secretioris Senatum fuiſſe adlectum, (vid. Epiſt. 121. p. 603.) ſed de ſalario non ſoluto valde queſtum fuiſſe indicat in Epiſt. 231. p. 808. Cum aliis Viris primariis an. 1576. Huyam ad J. Auſtriacum, ut de confirmanda Pace Gandavenſi cum eo agerent, ſe contuliſſe narrat J. B. Taſſius Lib. III. Comm. p. 244. & inter Regios Delegatos ad Conventum Colonienſem de Pace an. 1579. ablegatum, Lib. V. pag. 348. denique in Hiſpaniam evocatum, ut Joach. Hoppero ſuccederet in Concilio Rerum Belgicarum, memorat idem Taſſius Lib. VI. init. p. 414. *Johannes Vonckius* vocatur a Theod. Verhoevio, inter Scriptores Rer. Amersf. ab Ant. Matthaeo editos, Cap. V. p. 50, 51. ubi nonnulla de geſtis ab eo honoribus leguntur. Hujus nepotem Gulielmum Fonckium, JCtum, ab Alberto Auſtriaco an. 1596. ad Edzardum, Friſiae Orientalis Comitem, clam miſſum, ſed Amſtelaedami captum, & Hagae in cuſtodia habitum, memorat Reidanus Lib. XIII. Annal. pag. 355. ed. Lat. Voſſ. Sed plura de Joanne Fonckio notavit Hoynckius a Papendrecht in Catalog. Praepoſitor. B. Mariae Eccl. Ultraj. ad an. 1570. Tom. III. Analect. P. I. p. 283.



Digitized by Google

prae ſe tuliſſe Pacem, ſed, conſcriptis pluribus copiis, bellum ulterius producere conſtituiſſe, Regemque fratri ſuo juſſiſſe, ut, poſthabitis Barlaimontio, Manſveldio, Viglio Zuichemo, ceteriſque Concilii Statuum Senatoribus, omnia ageret ex unius Hieronymi Rhodae arbitrio, quem hominem quovis Varga crudeliorem & magis truculentum noverant Belgii Proceres. Neque haec ſatis occultare providus, ſed juvenili ferocia elatior, quid animo agitaret, ipſe nimis prodidit Auſtriacus. Vnde ex interceptis his literis, manu & ſigillo ipſius Philippi firmatis, ſe edoctum fuiſſe ſcribit Gulielmus I. in Apolog. II. pag. 115. nullam aliam inter Albanum, Requeſenium, & Jo. Auſtriacum fuiſſe differentiam, quam quod hic juventute inprudentior illis eſſet, quique veneni ſui virus non tam diu celare ac tegere noverat. Elegantiſſimis verbis, &, ut ſolet, multa paucis, ad Taciti morem, haec exprimit Grotius Lib. II. Annal. pag. 49. *Mandata Pacis ſervandae Auſtriacus praeferebat, ſecreto juſſus Rodae conſilia ſequi, qui Hiſpanicae ſeditioni ductor erat: ſed non ſatis occultabat credita ſibi odia, inpatientia aetatis juvenilis, & ſimul literis interceptis intima conſiliorum intelligebantur. Quae conſiderans Arauſionenſis, intentusque ne tam ferentem fortunam extrema corrumperent,*

au-

*auctor erat Belgis, ut expenſo quantum apud Philippum peccaſſent injuſſa pace* (Gandavenſi) *manifeſtum irae Praefectum, ſed adhuc inermem, & in finibus agentem, bello opprimerent.* quo loco Grotius procul dubio innuit amplas illas Gulielmi I. ad Ordines Belgii literas, Medioburgi d. ult. Novembr. 1576. ſcriptas (*k*), quibus eos admonuit, ut ab Auſtriaci perfidia ſibi caverent, nulla cum eo pacta inirent, nec ante Praefectum hunc agnoſcerent, quam Hiſpani & extranei milites e Belgio eſſent dimiſſi, utque ſuo arbitrio ac lubitu convenirent, novas conſcriberent copias, Vrbibus valida inponerent praeſidia, Arcesque, tyrannidis propugnacula, diruerentur. Salubribus his monitis excitati Ordines ab Auſtriaco petierunt, ut, antequam Praefecturae ejus ſuum darent adſenſum, Hiſpanos & reliquos peregrinos milites, quod toties jam usque a Philippi ex his terris in Hiſpaniam diſceſſu promiſſum, ſed numquam praeſtitum fuerat, hinc emigrare juberet, Pacemque Gandavenſem, & reliqua, ab Ordinibus poſt Requeſenii mortem acta, confirmaret in Comitiis Ordinum ad id convocandis.

Fal-

(*k*) Exſtant apud Borrium Lib. X. init. & vide Hooftium Lib. XI. p. 484. Thuanum Lib. LXII. § 15. p. 481. & Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 511—514.

Fallacibus ad haec & male cohaerentibus reſponſis quum Auſtriacus Ordinibus in dies fieret ſuſpectior, prudenter ſibi proſpicere, & ad vim, ſi opus foret, vi repellendam ſe armare, ac Reginae Anglicae ſubſidium implorare conſtituerunt. Extraneos quidem milites e Belgio ſe dimiſſurum, ſi armatos alienigenas etiam exauctorarent Ordines, Pacemque Gandavenſem ſe adprobaturum pollicitus erat, ſed hac lege, ut auctoritas Regia, & Romana religio nihil inde detrimenti caperet. Vtque videretur votis Ordinum ſatisfacturus, Octavium Gonzagam & Joannem Eſcovedum, miniſtrorum ſecretiorum par nobile, Antverpiam miſit, qui Duces ac Centuriones copiarum Hiſpanicarum ad ſuſcipiendum ex Belgio abitum permoverent. Sed interim, duumviris illis vaferrima (*l*) conſilia ſuppeditantibus, clam milites incitari curat, ne diſceſſum capeſſerent, niſi itinere maritimo. Sub hoc arcanorum nucleo latebat ingentis ſtrategematis dolus. Quum enim ambitioſus Auſtriaci animus regni faſtigio inhiaret, a Joanne praeſertim Eſcovedo exſtimulatus erat, ut ducta in uxorem Maria Stuarta, non tantum Scotiae adipiſceretur regnum, ſed & Anglici imperii ſceptrum Eli-

(*l*) Utriusque conſilia, hac in re Auſtriaco data, late exponit Strada Lib. IX. p. 424-428.

Digitized by Google

Elizabethae extorqueret, eamque e ſolio ſuo detruderet (*m*). Ita haec praeter alios tradit Maurerius in Comm. Gall. Hiſt. Holl. pag. 63. quamquam de rei veritate dubitare noverim Amelottum Huſſaeum in Obſerv. Hiſt. & Polit. pag. 196. cui incredibile videtur, Joannem Auſtriacum tam temerarii conſilii capacem fuiſſe, ut Elizabetham, quae in Anglia majore cum auctoritate, quam ulli antea Reges, ſceptrum vibrabat, regno ſuo ejicere velle in animum induxerit, praeſertim quum hujus Reginae ope, ut addit Amelottus, indigeret ipſe, ſi Belgas ſibi ſubjugare vellet. Dixerim potius, Auſtriacum, a cujus inmenſa ambitione calida haec & juvenilis temeritas non tam aliena videtur, iſtis Eſcovedi conſiliis ineſcatum, ſi in Belgas ſupremum meditaretur dominium, prius certe per Mariae Stuartae matrimonium, & copiarum Hiſpanicarum ope, ſibi ne-

(*m*) Quin & hujus rei cauſſa Eſcovedum ſuum in Hiſpaniam miſit, ut Antonii Perezii, Philippo Regi a ſecretis, auctoritate & gratia, qua ille valebat, Fratris ſui adſenſum opemque ſibi conciliaret. His autem votis obſtantem Perezium quomodo perdere cogitaverit Eſcovedus, ſed in caſſes alteri ſtructos ipſe inciderit, adcurate narrant Thuanus Lib. LXIV. §. 8. p. 550. Mayernus Turquetus Lib. XXXIV. Hiſt. Hiſp. p. 185. 186. Miniana Contin. Marianae Lib. IX. cap. 12. ac e noſtratibus Hooftius Lib. XII. p. 520. & Auctor Vitae Gulielm. I. Tom. I. pag. 162-168.

neceſſarium duxiſſe, ut Reginam Angliae inopinantem opprimeret, &, ſi res ſucceſſiſſet, inde expelleret, quia ſatis praevidere poterat, populo Belgarum ſuppetias laturam, neque ab Auſtriaco eos debellari paſſuram Elizabetham, a Philippo II & Hiſpanis alieniſſimam.

Auſtriacus igitur claſſe illa, milites Hiſpanos aliasque exteras copias hinc avectura, & idoneo ſimul commeatu inſtruenda, (quam ab Ordinibus adornari cupiebat) ſub hoc praetextu uti cogitavit ad (*n*) Angliam ſibi vindicandam. Sed, quum, ad trajiciendam decem fere millium militum turbam, copioſum navium numerum, &, ad claſſem hanc adparandam, aliquot menſium ſpatium, & ingentes inpenſas requiri facile intelligerent, & ſubdola ejus conſilia perſpicerent Ordines, in maritimum hoc iter conſentire prudenter recuſarunt, militibus via terreſtri hinc pedem referre juſſis, a quibus eo citius exonerari inſtabant, ne forte illorum ope Hollandiam & Zelandiam invaderet Auſtriacus.

In-

(*n*) Id firmat quoque Mayernus Turquetus Lib. XXX. Hiſt. Hiſp. pag. 1459. & Gul. Cambdenus in Annal. Angl. ad an. 1578. p. 290. ubi, mortem & indolem Auſtriaci deſcribens, addit, eum *ſtolidam ambitionem cum vita exuiſſe, poſtquam primum regno Tunetano, unde Guleta in Africa amiſſa, deinde Anglico inhiaſſet, & clam Gallo Hiſpanoque, de utriusque Coronae defenſione occultum foedus cum Guiſiis pepigiſſet.*

Digitized by Google

Interea nonnulli Belgii Proceres in urbe Bruxellis, dum in Luxemburgenſi tractu adhuc moraretur Auſtriacus, d. 9. Jan. 1577. ſocietatem iniri curarunt inter pleraque Ordinum membra, qua ſe foedus initum ſancte ſervaturos ad Libertatem Patriae communibus viribus tuendam contra Hiſpanos, eorumque fautores, quos rebelles jam antea declaraverant, ſeque vitam, opes, fortunasque ad id libenter inpenſuros, juraverunt. Haec videns Joannes Auſtriacus aliam repente induit perſonam, &, adnitente praeſertim Frederico Perenotto Campiniaco, petitionibus Ordinum, faſtu ad tempus depoſito, & adſcita comitate, cedendum eſſe ſatius duxit, ſperans, ſe commodiorem poſtea nacturum eſſe occaſionem Ordinum concordiam diſſolvendi.

Ratum itaque habuit, & promulgari juſſit *Edictum Perpetuum* (*o*), Marcae Faminae, quod eſt oppidum ditionis Luxemburgenſis, conditum d. 7. Febr. 1577., quo Pacificationem Gan-

(*o*) Hujus Edicti integra Capita, praeter noſtrates Hiſtoricos, adcurate exhibent Dinothus Lib. IV. de Bel. Civ. Belg. pag. 222. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. pag. 517. Jo. Bapt. Taſſius Lib. III. Comm. p. 247-256. & Bern. Junius (*de Jonghe*) in Hiſtoriis Gandavenſ. Tom. I. p. 290. & ſeqq. & de eo vid. Maurerii Comment. Gall. Hiſt. Holl. pag. 65. ubi male Edicti hujus evulgati diem 17. Febr. ponit.



Digitized by Google

Gandavenſem confirmabat, promittebatque, ſe curaturum, ut extranei omnes milites, Hiſpani, Itali, Burgundi, ac Germani, qui ſub Philippi vexillis ſtipendia meruerant, intra XIV dies ex univerſo deducerentur Belgio, numquam redituri, omnesque Arces & caſtella cum adparatu bellico traderentur Ordinibus, interpoſita ſponſione de Philippo, Burae Comite, Arauſionenſis filio, in Hiſpania jam per tot annos captivo, libertati reſtituendo, de privilegiis & priſtinis Belgarum inſtitutis non violandis, neque extraneis ad publicos honores evehendis.

Obſtupeſcebant omnes ad ſubitam hanc & inexſpectatam Joannis Auriaci, a natura elati ac ſuperbi, mutationem, qui nuper Pacificationem Gandavenſem adprobare negaverat, qui milites exteros non niſi claſſi inpoſitos, ut illius ope Angliam ſubigeret, e Belgio avehi poſtulaverat, qui ad Ordines venire dedignatus erat, niſi Obſidibus e prima Nobilitate datis, & numeroſo ad corporis cuſtodiam ſatellitio ſtipatus, adeoque mirabantur cuncti, eumdem illum Auſtriacum nunc tam facilem & obſequentem ultro ſine comitatu iſto foedus Concordiae cum Ordinibus contrahere, &, ut Thuanus dicit (p), *aliam repente perſonam induere, popula-*

(p) Lib. LXIV. §. 6. p. 546.

*pularitate ac comitate Belgarum animos demereri tentare, & ex Ordinum conſilio ſe adminiſtrare velle Rempublicam profiteri.* Sed vel ideo, ut ſubjungit eximius ſcriptor, *prudentioribus ſuſpectior erat, quod inſita ſuperbia neque ſe inſtrui aut erudiri facile paſſurus eſſet, neque tamen ea aetate & uſu rerum eſſet, ut ipſe per ſe proprio ingenio Rempublicam gereret. Itaque laternae absque lumine a rerum peritis vulgo conparabatur.*

Foederi tamen huic, ſeu Edicto Perpetuo, quod calculo ſuo probatum Diplomate firmaverat (*q*) Hiſpaniae Rex, interceſſerunt, eique ſubſcribere recuſarunt tam Hollandiae & Zelandiae Ordines, quam Princeps Gulielmus, factique rationem reddiderunt amplo & ſolido ſcripto (*r*) Medioburgi d. 19. Febr. 1577. dato, atque Adriano Equiti Willervalio,

(*q*) Illud exſtat apud Borrium Lib. X. p. 789.

(*r*) Apud eumdem Borrium dict. Lib. X. p. 790. & ſeqq. licet illud *plenum malitiae ac cavillationum* vocet Jo. Bapt. Taſſius Lib. III. Comm. pag. 260. Solum Auriacum Principem, a J. Auſtriaco per literas, & Ducis Arſchotani legatione, comiter licet invitatum, hoc Foedus averſatum, tamen ſe illud probaturum, & invidiae declinandae cauſſa ſubſcriptione firmaturum ſimulaſſe, ſed numquam illud obſervaſſe, licet ipſi Ordines Edicto huic acquieſcere vellent, cavillatur Bern. Junius T. I. Hiſt. Gandav. p. 297. meliora ſcribit Hub. Languetus Lib. I. Epiſt. Secret. ad Auguſt. Saxon. Duc. Epiſt. 116. pag. 300. & ſeq. Soli etiam Gulielmo Principi hanc proteſtationem tribuit Thuanus Lib. LXIV. §. 6. p. 546.

lio, qui a Belgii Ordinibus huc miſſus fuerat, ut, ſociata cum Paulo Buyſio, Hollandiae Advocato, opera, ſententiam Ordinum Foederatorum & Arauſionenſis Principis exploraret, in manus tradito, quo rationes expoſuerunt, quas propter Edicto huic ſuum adjicere calculum negarent, quia illud Gandavenſi Paci adverſabatur, neque Hiſpani, aut illorum fautores, ut antea convenerat, in eo perduelles ac publicae tranquillitatis hoſtes declarabantur, neque ſatis in hoc Foedere de privilegiis & inmunitatibus, & de Magiſtratibus ac Reipublicae moderatoribus ex Ordinum arbitrio deinceps conſtituendis, cautum fuerat.

Obteſtantur itaque, ſe ex Foederis Gandavenſis praeſcriptis operam daturos, ut, ſi praefinito tempore Hiſpani ceterique peregrini milites Belgio pedem non efferrent, aperta vi hinc depellerentur, omnique commercio cum Joanne Auſtriaco ſe renuntiaturos eſſe. Maſculis his verbis animati Ordines Belgii, ut Hollandorum, Zelandorumque, & Auriaci Principis votis quamprimum ſatisfieret, reſponderunt, Decretoque (s) promulgato proſpexerunt, ut Pax Gandavenſis religioſe obſervaretur, ſtipendiarii Regis mi-

(s) Decretum hoc adfert Borrius Lib. X. pag. 792, & J. B. Taſſius Lib. III. Comm. p. 261.

Digitized by Google

militeſ e Belgio emigrarent, & Arcibus traditis, captivis permutatis, confirmatisque Libertatis ac privilegiorum pignoribus ſecuritati publicae ex integro caveretur.

Neque diu poſt, receptis Antverpiae aliarumque urbium Arcibus, & redditis utrimque captivis, ſolvi militibus emerita coeperunt ſtipendia, iisque Ordinum nomine adnumerata ſunt 300 millia florenorum, promiſſa eadem nummorum ſumma, illis adnumeranda, quando Genuam adpuliſſent. Injurius hac in re Ordinibus eſt Famianus Strada (*t*), qui ſcribit ab eorum Delegatis tantum perſoluta fuiſſe 100 millia florenorum, ſed a Joanne Auſtriaco ex ſuo aere addita fuiſſe 200 millia, quae *numquam reddenda*, (ut maligne addit) mutua dederit Ordinibus, ne ſcilicet videretur Hiſpanorum militum ex Belgio diſceſſum retinere aut morari velle. Id certe ſilentio non praeteriiſſet J. Bapt. Taſſius, Ordinibus & Auriaco Principi paſſim iniquior, qui tamen Lib. III. Comm. pag. 259. teſtatur, *Ordines*, quum e Luxemburgo tandem Lovanium veniſſet Auſtriacus, ad feſtinandum nempe Hiſpanorum e Belgio abitum, *pecuniam*, *quam ad dimiſſionem Hiſpanorum promiſerant*,

(*t*) Lib. IX. de Bell. Belg. pag. 452. ejusque veſtigia ſecutus Haraeus in Annal. Brab. Vol. II. pag. 254. eadem in Ordinum ignominiam ſcribit.

Digitized by Google

*rant*, (haec erat 600 mill. florenorum ſumma) *acceleraſſe*, ut nimirum Perpetui Edicti pacto polliciti fuerant Ordines.

Exeunte igitur Aprili menſe anni 1577. omnes exteri milites, Hiſpani cum Italis Burgundisque, urbibus egreſſi, licet inviti & diu reluctantes, ingenti & odioſo agmine, quod xxx fere millium colluviem aequaſſe dicitur, itinere ex urbe Trajecto ad Moſam ſuſcepto, in Italiam perrecturi, Belgium reliquerunt, duce Petro Erneſto Mansveldio Comite, jucundum profecto ac laetum incolis omnibus ſpectaculum exhibentes, qui per tot annos crudeliter ab illis vexati, direpti, exhauſti, & cariſſimis pignoribus orbati fuerant, adeo ut hinc diſcedentes gloriarentur ipſi (*v*), ſe cruenta decem annorum ſpolia, & Belgii, latronum in morem depraedati ac vaſtati, rapinas ſecum avehere, intraque ſex ultimos menſes variis ſeditionibus trucidata a ſe triginta Belgarum millia; quamquam nec praedae divitis, nec crudelitatis atrocis fructus perceperint, plerisque eorum per Inſubriam & Liguriam diſtributis, ubi graſſantibus per aeſtatem morbis rerumque inopia, vel aliis aerumnis, conſumti ſunt (*x*).

Ex

(*v*) Vid. H. Grotium Lib. II. Annal. p. 49. 50.

(*x*) Vide Stradam Lib. IX. p. 452. & Thuanum Lib. IX. §. 6. p. 547. In hanc Hiſpanorum militum e Belgio emigrationem diſtichon Latinum, inepto acumi-

Ex his, quae praemittenda duxi, licet non ignota ſint, ſed ab hoc Auctore praetermiſſa, liquet clariſſime, an *ſpontaneae voluntati & moderationi Jo. Auſtriaci* adſcribendum fuerit, *quod peregrini & mercenarii milites* ex his terris *educti, jugumque illud intolerabile excuſſum ſit*, ac proinde *gratiae Sereniſſimo Juveni agendae fuerint, cujus auxilio, fide, & benevolentia, tam prompte tot malis expediti viderentur Belgae, quum praeclaram de ipſo Reipubl. gerendae ſpem concepiſſent omnes, perque paternarum virtutum veſtigia publicae exſpectationi ſatisfacturum confidebant, adeo ut Belgium, non alia anteacti erroris poena irrogata, quam obedientiae inſtauratione, e tantis aerumnis emergens non modo reſpiraturum, ſed & priſtinae fortunae faſtigium brevi denuo occupaturum fuiſſet*, ut ſcribit Caſp. Schetus pag. 18. hujus Commentarii. Ea certe opinione ductus non videtur fuiſſe ipſe Viglius Zuichemus, Hiſpanici Senatus ſecretioris in Belgio Praeſes, qui ſenex, octo ante obitum die-

mine inſulſum, & hieme Gallicana frigidius, a Dinotho Lib. IV. de Bell. Belg. p. 231. aliisque prolatum, leporis & venuſtatis gratia commendat Borrius Lib. X. pag. 807. Magis miror, Hooftium illud dignum cenſuiſſe, quod Operi ſuo Hiſtorico insereret, ſimilisque acuminis artificio in Belgicos verſus refunderet, Lib. XI. p. 503.

diebus, quum Kalendis Majis an. 1577. ſplendidiſſimam & fere regiam introitus J. Auſtriaci in urbem Bruxellas pompam, licet aegrotans, ſpectaret; dixiſſe fertur (y): *Hiccine Princeps ille, qui Pacem nobis adlaturus eſt?* Suadenti enim Viglio, ut Senatoribus Statuum ſe addiceret, & Regios inter ac Belgas medium ſe gereret Auſtriacus, quod etiam ex Hiſpania diſcedenti ingeſſerat Joachimus Hopperus, ſummus ille Viglii amicus, ſurdas praebuerat aures. Quamvis autem Schetus Grobbendonckius hoc in Opere, praetexto veritatis ſtudio, omnem culpam diſſidiorum inter Jo. Auſtriacum & Belgii Ordines adſcribat ſimultati & diffidentiae Ordinum, vel (z), *qui animum Hiſpanici nominis odio perfuſum habebant, & malo aliquo genio inſtigante Belgium, benignitate Numinis quaſi redivivum, iterum praecipitio propius admovebant, ac ſiniſtris inſtigationibus populo inculcabant, non temere credendum eſſe Pacis conditionibus, quas Auſtriacus invitus diſſimulando ratas habue-*

(y) Vide Meteranum ſub finem Lib. VI. fol. 120. & Hooftium Lib. XII. p. 507. fin. nam apud Borrium Lib. X. p. 811 & 812. ad quem alii nos remittunt, fruſtra id quaeritur. Vt nihil etiam de hoc Viglii dicto referunt Strada Lib. IX. p. 433 & 434. & Dinothus Lib. IV. p. 226. ubi introitum hunc Auſtriaci deſcribentes optimas tantum populi de ejus adminiſtratione opiniones & profuſos adplauſus narrant.

(z) Pag. 19.

Digitized by Google

*buerat, illas captata oportunitate pro arbitrio, quum e re ſua videretur, repudiaturum, ut eo facilius Belgas in ſervitutem retraheret:* quae tangunt prae ceteris Principem Arauſionenſem Gulielmum I., in quem reliqui omnes fere Scriptores, partibus Hiſpanicis obnoxii, plenis & inflatis velis hac occaſione invehuntur; omnia tamen ipſius Jo. Auſtriaci acta, ſtatim poſt ejus inaugurationem, qua de Gandavenſi Foedere ſancte obſervando fidem ſacramento interpoſuerat, Belgii Proceribus ſatis oſtendebant, quid de ſinceritate illius fidei ac jurisjurandi exſpectandum eſſet: ut taceam, quae per Legatos Elbertum Leoninum, & hunc ipſum Gaſp. Schetum, a Belgii Ordinibus ex Brabantia in Hollandiam, & mox ſubſecutos Ducem Arſchotanum, Hiergium, Willervalium, & Adolphum Meetkerkium, ab ipſo Joanne ad Hollandiae Zelandiaeque Ordines & Auriacum Principem (*a*) Geertrudisbergam miſſos, ab iis petere ſuſtinuerit, e quibus manifeſtum erat, Jo. Auſtriacum id agere, ut poteſtatis ſuae pomoeria ultra limites extenderet, neque in animo habere Pacem aut pacta Gandavenſia eâ, qua par erat, religione obſervare. Neque ſiniſtras has Ordinum Foederatorum aut Arauſionenſis Principis ſuſpiciones fuiſſe, mox con-

(*a*) Vide Scriptorem Vitae Gul. I. Tom. III. pag. 30.

Digitized by Google

confirmarunt ipſius Auſtriaci & Eſcovedi ad Philippum literae, in Gallia a Rege Navarraeo interceptae, ad Gulielmum miſſae, & (*b*) ab Aldegondio ac Theronio Bruxellas ad Ordines adlatae, quibus uterque, inito licet Pacis foedere, ad bellum integrandum variis ſtimulis Hiſpanum Regem adhortabantur.

Videns interea ac dolens J. Auſtriacus, omnes jam fere Hollandiae civitates, totamque di-

(*b*) Vid. Thuanum Lib. LXIV. §. 7. & Haraeum Vol. II. Annal. Brab. p. 256 & 257. ubi quod diem ſe fruſtra quaeſiviſſe dicat, quo hae literae Bruxellas fuerint adlatae, d. 28. Julii id contigiſſe patet ex Hooftio Lib. XII. p. 523. Siglis arcanis conſcriptas, ſed a Marnixio Aldegondio explicitas indicat Meteranus initio Lib. VII. Interceptum fuiſſe totum faſciculum, in quo erant novem Epiſtolae, tres ipſius Jo. Auſtriaci, & ſex Eſcovedi, e quibus deprehenſa fuerunt pernicioſa ejus conſilia, ad libertatem Belgii opprimendam, invadendum Galliae regnum, & liberanda e carcere Regina Scotiae, quod regnum ſimul cum Anglia ſibi jam deſponderat Auſtriacus, ſcribit Hub. Languetus in Epiſt. Secret. ad Auguſt. Saxoniae Ducem Lib. I. Epiſt. 119. pag. 309. quae ſi vera ſint, opponi poſſunt frivolis exceptionibus, quibus literas has ſuas excuſare conatus eſt Auſtriacus epiſtola verboſiſſima d. 24. Aug. ad Ordines Bruxellas miſſa, cujus verba nonnulla profert Haraeus p. 257. Sed integram edidit Dinothus Lib. IV. de Bel. Belg. p. 232. usque ad p. 247. ubi etiam exhibet Ordinum literas, Septembri menſe an. 1577. ſcriptas, quibus Regi Philippo indicarunt, ſe omne obſequium Auſtriaco renuntiare, & petierunt alium Regii ſanguinis Succeſſorem mitti, cui tutius fidere poſſent. Sed ad has literas *adfectata mora non niſi menſe Februario ſequentis anni reſponſum fuit*, ut dicit Thuanus Lib. LXIV. §. 10. pag. 555.

Digitized by Google

ditionem Vltrajectinam ad Foederatorum Ordinum & Principis Arauſionenſis partes transiiſſe, omni tandem abjecta larva, diſſimulatum diu odium palam fecit, totamque Barlaimontiorum domum, & quicumque Ordinibus Belgii ac Foederatis adverſi & infeſti erant, ſibi conciliando, ad fraudulentam vim ſe conferre, & per legionum Germanicarum praefectos varias urbes, quas illi praeſidiis obtinebant, in poteſtatem redigere, Arcemque Antverpienſem, Bergas ad Zomam, Bredam, Silvam Ducis, Daventriam, aliasque intercipere machinabatur. Sed ſuas & Eſcovedi ſui literas (*c*) in Gallia interceptas intelligens,

(*c*) Superſunt hae literae, noſtro ſermone exhibitae in Analectis ad Botrii Hiſt. Belg. T. I. p. 164. & ſeqq. ſed ſuo idiomate, ſeu Hiſpanico, addita verſione Belgica, editae tunc fuerunt Antverpiae apud G. Sylvium 1577. poſt librum, qui conplectitur Narrationem rationum, propter quas Ordines ſe contra J. Auſtriacum armaverint. Has certe juſtiſſimas fuiſſe oſtendunt ea, quae interceptis illis J. Auſtriaci literis contenta fuiſſe ſcribit Languetus in dict. Epiſt. Secr. Lib. I. Ep. 119. pag. 309. quae adponi merentur: *Explicatae tandem fuerunt Auſtriaci literae, notis arbitrariis ſcriptae, & deprehenſa conſilia, quae ab Hiſpanis agitantur non ſolum ad opprimendam libertatem Inferioris Germaniae, ſed etiam ad invadendum Regnum Gallicum, & liberandam ex captivitate Reginam Scotiae, quam cum Angliae & Scotiae regnis ſibi jam deſponderat Joannes ab Auſtria. In iis literis graviter perſtringuntur plerique Proceres Belgici, qui ea re & exemplo Egmondani* (intelligit Philippum Egmondanum, Comitis Lamoralii Egmondani filium degenerem, qui Bruxellas Hiſpanis, ſed irrito ſucceſſu, pro-

gens, metuensque ne quid ſiniſtri propter perfidiam hanc ſibi eveniret, Bruxellis (*d*) Mechliniam ſe contulit, & Brabantiam relinquere propoſuit, urbemque Namurcum ex inſidiis occupare in animum induxit.

Haec vero quum ex fideliſſimis Annalium Belgicorum monumentis inter omnes conſtent, longe aliter tamen a Scheto noſtro, & non levi, ut arbitror, in Belgii Ordines injuria, narrantur in hoc Commentario pag. 20-23. ubi, licet profiteatur,

dere tentaverat) *& aliorum ita ſunt irritati & conſternati, ut videantur quidvis tentaturi, antequam ſe Hiſpanorum poteſtati committant.*

(*d*) Cauſſas, quare Auſtriacus Bruxellis ſe Mechliniam, & inde Namurcum, contulerit, exponit Hub. Languetus in Epiſt. Secret. Lib. I. Ep. 116. pag. 301. & multo cum partium ſtudio, verborumque acerbitate, in Principem Arauſionenſem iniquiſſima, J. B. Taſſius Lib. IV. Comment. p. 266. Veriſſima ſunt, quae ſcribit idem Languetus dict. Lib. Epiſt. 118. p. 306 & 307. *Joannes ab Auſtria non potuit fallere Hollandos & Zelandos, ut ſperabat, nec potuit perſuadere Statibus, ut conferrent pecuniam, qua quidem dicebat ſe velle militi Germanico debita ſtipendia numerare. Verum illi metuebant, ne ea pecunia militem conſcriberet ad opprimendam ipſorum libertatem. Itaque, cum videret ſibi non haberi fidem, & Bruxellenſes, apud quos vivebat, nolle arma deponere, etiamſi id ab ipſis ſaepe petiiſſet, ſeceſſit Mechliniam, exiſtimans ſe non verſari Bruxellis ſine periculo. Cum exiſtimaret ne quidem Mechliniae ſe eſſe tutum, per occaſionem excipiendi Reginam Navarrae, ad fontes Spadanos proficiſcentem, profectus eſt Namurcum, & oppidum ſimul cum Arce occupavit, & militari praeſidio firmavit.*

Digitized by Google

tur, ſe opuſculum hoc nullo alio quam veritatis ſtudio ſcripſiſſe, in omnes tamen ſe vertit formas, ut juſtam Auſtriaci contra Ordines indignationem fuiſſe perſuadeat: eumque nihil omiſiſſe, quo clementia, manſuetudine, & humanitate Ordinum populique animos ſibi conciliaret, ſed indigne ab illis habitum, contemtum, & in ipſa Inaugurationis ſollemnitate, ſuffragiis Ordinum minime ſinceris facta, ei inſultatum fuiſſe ſcribit, ut, nulla perfidiae Auſtriaci ex literis ejus interceptis probatae mentione facta, nefarium illud, quo Arcem Namurcenſem intercepit, facinus aliis coloribus, ſed fucacatis & adſcititiis, obduceret ac tegeret. Certiora & veriora de his edocemur ex Huberti Langueti Epiſtolis ad Auguſtum Saxoniae Ducem anno illo 1577. ſcriptis, quae habentur inter ejus Epiſtolas Secretas, hoc ſeculo *Halae* integriores editas, ex quibus non exigua lux iſtorum temporum hiſtoriis adfundi poteſt.

Ad Namurcum vero dolis occupandum oportunam Auſtriaco occaſionem dabat Margaretha, Henrici III. Franciae Regis & Iſabellae, Hiſpani Regis quondam uxoris, ſoror, Henrici Navarraei conjux, per Hannoniam in agrum Leodienſem proficiſcens, ut ſub ſpecie valetudinis curandae Tungrenſibus ſeu Spadanis aquis uteretur. Totum



Digitized by Google

enim hoc Reginae iſtius iter ad medicatos hos fontes ſuſceptum, alias, quam valetudinis refocillandae, rationes habebat occultas, ut nimirum aulam Gallicam Regemque maritum, propter civile cum Hugenottis bellum, relinqueret, Ducique Andino, ſeu Fratri ſuo Alenzonio, viam aperiret (*e*), qua pedem Belgio inferre poſſet. Hoc igitur praetextu eam ſalutandi propter Regis ſui adfinitatem, ele-

(*e*) Vide Hooftium Lib. XII. pag. 519. Id ipſe indicare videtur Strada, licet non aperte ſcribens, Lib. IX. pag. 437. *occaſionem nactus occurrendi Galliarum Regis ſorori, ad aquas Spadanas proficiſcenti (ſi modo biſce ſub aquis aliud non latebat) Namurcum venit.* Adde Fr. Haraeum Vol. II. Annal. Brab. pag. 259. & C. Schetum in hoc Commentario pag. 23. Rationes vero, Margarethae minus honorificas, propter quas haec Navarrae Regina aulam Gallicam maritumque eo tempore, & ſequentibus annis, reliquerit, non uno in loco exponit Aug. Busbequius in egregiis Epiſtolis Legationis Gallicae, praeſertim Epiſt. XXIII. & ſeqq. quomodo autem Dux Andinus, poſt ingentes cum fratre ſuo, Galliae Rege, rixas, ſe ex aula Francica clam proripuerit, & licet Mater, filium inſecuta, eum in aulam revocare, & cum Rege in gratiam reducere tentaverit, ſed irrito conatu, quia Belgis operam ſuam offerre meditabatur, ad quod inſtitutum Margaretha ſoror aditum ipſi parare ſtuduerit, itinere hoc ad fontes Spadanos ſuſcepto, ut cum J. Auſtriaco conſilia conferret, narrat Languetus in Ep. Secr. Lib. I. Epiſt. 136. & 137. p. 351. & 352. ſed de hac Franciſci Valeſii, Andium Ducis, opera Belgis oblata, ut ſuis ipſe commodis inſerviret, domi poſthabitus propter naſcendi ordinem, alienis increſcere avidus, ex vero judicat H. Grotius Lib. III. Annal. pag. 54.

Digitized by Google

electo Nobilium comitatu, quos inter etiam Raſſinghemius, & Caſpar Schetus fuerunt, honoris cauſſa Margarethae obviam progreſſus eſt, eamque per aliquot dies Namurci viciniſque in locis ſumtuoſo epularum ſplendidiſſimarum adparatu excepit, qua dimiſſa d. 24. Julii in manus Auſtriaci perveniſſe literas, a ſuis interceptas, ab Ordinibus ad Magiſtratus Namurcenſes ſcriptas, quibus Auſtriacum capi, firmaeque cuſtodiae tradi jubebant propter illius & Eſcovedi literas, ad Regem Hiſpaniae ſcriptas, ſed ad Ordines delatas, in Annalibus ſuis Brabantinis ſcribit Haraeus, additque conmotum animo Auſtriacum inde diſcedere & Luxenburgum reverti conſtituiſſe, ſed a Carolo Comite Barlaimontio, Vrbis Namurcenſis Praefecto, retentum confirmatumque fuiſſe, oblata ſpe & opera intercipiendae Arcis, cui praeërat Joannes Burgundus, Fromontii Toparcha, Ordinibus quidem devinctus, ſed a Rege Hiſpano, ut ait, minime alienus.

Antequam vero id facinus adgrederetur Auſtriacus, ab Ordinibus, in urbe Bruxellarum congregatis, ad illum mittitur hic Caſpar Schetus, (hunc enim ut Regium miniſtrum ſe ſequi juſſerat quidem Auſtriacus, ſed ad privata quaedam negotia curanda per aliquot dies illic ſubſtiterat) mandatis inſtructus, ut omnem daret operam, qua eum



Digitized by Google

Bruxellas, ad Ordines redire permoveret. Hic Namurcum adveniens, & Auſtriacum animo valde agitatum offendens, aeſtum ejus ſedare quidem & cauſſam indignationis, quam conceperat, ab Ordinibus removere tentavit, ſed Bruxellas reverti negavit Auſtriacus, niſi longe alia regiminis conſtitueretur forma, & admitterent Ordines conditionum a ſe praeſcriptarum formulas, quarum capita Grobbendonckio tradidit, & ſic eum Bruxellas remiſit d. 20. Julii, ſimul jubens, ut intra triduum ad ſe reſponſa Ordinum referret. Quum vero in hac Vrbe Ordines, Magiſtratus Bruxellanos, & civitatis Praefectum Gulielmum Hornanum, Heſii Dynaſtam, Hiſpanis non valde obnoxium, ad aequa paratos inveniret, & cum reſponſis illorum, quibus Auſtriacum Bruxellas comiter revocabant, biduo ſerius d. 25. Julii Namurcum remeaſſet, obſtupuit Arcem Vrbis jam ab eo occupatam, cujus rei conſilium Scheto fuerat celatum; ut ipſe narrat in hoc Commentario pag. 23. ad p. 27. (*f*)

Prae-

(*f*) Vid. Thuanum Lib. LXIV. §. 9. p. 551. & ſeqq. & J. B. Taſſium Lib. IV. Comment. §. 7 & 8. p. 268. ubi omnes illos enumerat, qui cum eo Namurcum venerunt, ſed Arcis Praefectum, apud quem jentaculo excipiebatur Auſtriacus, dum ab Hiergio & Comite Meghenſi inſidiae peragerentur, *Dominum de Yves* vocat, quem Joannem Burgundionem, Fromontii Dynaſtam, Thuanus ceterique Scriptores adpellant.

Praecedenti enim die, ſub ſpecie venationis inſtituendae, fratribus Barlaimontiis comitatus, quum per Arcis portam in agros eſſet excurrendum, ex equo deſcendens Auſtriacus, tamquam luſtrandae Arcis numquam viſae deſiderio, more peregrinantis, teneretur, dum a Praefecto, Fromontii Toparcha, interea jentaculo excipitur, Barlaimontii, cuſtodibus & praeſidiariis amotis, Caſtellum Auſtriaco vindicant, fucum ſibi factum, & per inſidias interceptam Arcem, nequidquam indignante Praefecto; quemadmodum illo etiam itinere Carolimontem per Hiergium Barlaimontium (*), & Mariaeburgum occupavit, fruſtra tamen tentatis Hannoniae Montibus. Rei hujus novitate ſe adtonite perculſum, ipſique Auſtriaco facti indignitatem, & perniciosum atque ancipitis aleae plenum conſilium, candide profeſſum fuiſſe, ſcribit Schetus (g), quia ſic omnis reconciliationis cum Ordinibus ſpes ipſi merito praeciſa videbatur. Sed plurima de Ordinibus querentem regeſſiſſe addit, ſe praeſen-

(*) Vid. Languetum Ep. Secr. Lib. I. Epiſt. 140. p. 358.

(g) Pag. 27. & 28. *Inſtituta ex compoſito venatione, & deſiderio per oportunitatem videndae Arcis ſimulato, occupatis praeſidio portis, initio illius Praefecto neſcio quo fuco facto, eam velut ex inſidiis invadere viſus eſt. Qua quidem ego rei novitate attonite perculſus graviter indolui, reditum me meum, uti juſſus eram, non maturaſſe, &c.*

ſentiſſimo in periculo verſatum, &, *ſi in alterum tertiumve diem rem diſtuliſſet, fraude ſe circumventum, & ludibrio hoſtibus futurum* fuiſſe, quod certis & fide dignis indiciis ſibi conſtare ajebat, ut, niſi ſe in tutum locum tempeſtive recepiſſet, in conjuratorum retia incidiſſet, captivitati traditus, *ad exemplum primae auctoritatis Magnatum, negotiis publicis curandis admotorum, e Senatu Regio, & Curiae palatio abductorum, & cuſtodiae emancipatorum* (*b*), quibus verbis innuit Comites Mansveldium, Barlaimontium, Praeſidem Viglium, Aſſonvillium, Delrium, aliosque Hiſpanis nimium addictos, per Glimaeum, Brabantiae Walonicae Praefectum, Bruxellas a Gulielmo Hornano, Heſii Toparcha, Vrbis Praefecto, an. 1576. evocatum, e Curia abreptos & cuſtodiae traditos. Per *certa* autem iſta & *fide digna indicia* (*i*), quibus ſibi conſtitiſſe adfirmabat Auſtria-

(*b*) Vid. Schetum p. 29. & p. 43. & confer Stradam Lib. VIII. p. 414. Thuanum Lib. LXII. §. 8. p. 467. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 475. & J. Bapt. Taſſium Lib. III. Comment. p. 207-209. qui aſperis verbis in hoc factum invehitur, cujus rationes enarrat Meteranus Lib. VI. p. 107.

(*i*) Ita C. Schetus p. 42. hujus Comment. ex ore ipſius J. Auſtriaci: *Accedere ad haec detectas conſpirationes, quibus inſidias ſibi poſitas* indubitatis indiciis *cognoverit; iis enimvero de cauſſis neque videri ſibi tutum, neque ipſos* (Ordines) *petere aequum eſſe, ut penitus ſe omni*

ſtriacus, ſe a conjuratis captivitati addictum fuiſſe, intelligebat literas illas, quas ſtatim, poſt Caſtellum Namurci in poteſtatem ſuam redactum, quum ad rei perpetratae rumorem ingens in Vrbe fieret trepidatio, populi ſedandi cauſſa protulit, ſed literas, *incerto auctore ſcriptas*, ut dicit Thuanus, quibus ſcilicet admonebatur, nonnullos tam in urbe Bruxellarum quam Mechliniae de ſe capiendo & in Zelandiam avehendo clandeſtina iniiſſe conſilia. Has autem literas fictitias, & nullo nomine ſubſcripto ſignatas fuiſſe refert Mayernus Turquetus (*k*), dicitque, Auſtriacum eas monſtraſſe Philippo Croviaco, Duci Arſchotano, ad illarum conſpectum obſtupeſcenti; & hinc eumdem Ducem Arſchotanum, ejusque fratrem Carolum Croviacum, Marchionem Havraeum, qui antea Auſtriacum in hoc itinere comitati erant, eique adhaeſerant, non diu poſt, conſcenſis pernicibus equis, Namurco ſe proripuiſſe, tradit Dinothus (*l*), & e noſtris Hooſtius (*m*); & licet eos per Octavium Gonzagam e fuga retrahere conaretur Auſtriacus, incitato tamen & admiſſo equorum curſu elapſos fuiſſe ſcri-

*ni militia exuat, neque prius, quid Auraicae Princeps moliatur, deque ipſius mente ſibi conſtet, &c.*

(*k*) Lib. XXX. Hiſt. Hiſp. pag. 1462.

(*l*) Lib. IV. de Bel. Belg. pag. 236.

(*m*) Lib. XII. p. 527.

*** 5

ſcribit (*n*) etiam J. B. Taſſius (*o*). Has vero inſidias de capiendo Jo. Auſtriaco aſtu Gulielmi I. agitatas fuiſſe adfirmat Strada (*p*), eumque hujus rei curam dediſſe Marnixio Aldegondio, quem ridicula bilis atrae malignitate ea propter vocat *hominem ignominioſe nequam*, & *qui Calvinum puer audiverat docentem*, *ſenex vero alios ejusmodi flagitia ipſe docebat:* ex quibus verbis patet, quam turpiter ſe dent, qui ex nimio partium ſtudio, & inmodico diverſae religionis zelo, in Viros magnos evo-

(*n*) Praeter Ducem Arſchotanum, & Marchionem Havraeum, Fromontii quoque Toparcham, Arcis Namurcenſis Praefectum, Auſtriaci factum inprobantes, ab eo diſceſſiſſe, licet invitos retinere adniteretur, teſtantur Mayernus Turquetus Lib. XXX. Hiſt. Hiſp. pag. 1463. & Auctor libri Gallici de Tumult. Belg. (*Hiſtoire des Troubles & Guerres Civiles du Pays-Bas*) pag. 419. Horum tamen ab eo diſceſſum ſimulatum fuiſſe, colligi poteſt ex iis, quae ſcribit Languetus in Epiſt. Secret. Lib. I. Ep. 120. p. 313. *Secuti erant Namurcum Joannem ab Auſtria Dux Areſcotus, & Havraeus ejus frater, ſed cum reſciviſſent, in literis interceptis, quarum antea mentionem feci, ita de ipſis ſcribere Joannem ab Auſtria, ut appareret, eum ipſis non fidere, clam ab eo diſceſſerunt. Vbi id reſcivit, miſit plures Equites, qui eos perſequerentur. Sed multi credunt haec ſimulate acta fuiſſe. Cum veniſſent Bruxellas, parum humaniter excepti ſunt ab aliis Proceribus, nec ipſis habetur fides*, & huc referenda, quae ſubjungit Ep. 121. p. 315. *Nec Areſcoto, nec Fratri, nec filio ejus habetur fides a Statibus, & propterea nulla eſt ipſis data praefectura.*

(*o*) Lib. IV. Comment. pag. 270.

(*p*) Lib. IX. pag. 436.

Digitized by Google

evomunt convitia, faece Suburana potius, quam ingenuo Hiſtorico, digna. Adjungit idem Strada, horum conſiliorum etiam participem fuiſſe Heſii Toparcham, Bruxellarum Praefectum, ex nobiliſſima Hornanae gentis domo oriundum; ideoque Jo. Auſtriacum ſine mora cum iſtis literis Bruxellas ad Ordines miſiſſe Baronem Raſſinghemium, & juſſiſſe Heſium civesque arma deponere, antequam ipſe ad eos rediret. Quod vero Strada Principem Arauſionenſem conſilii illius de capiendo Auſtriaco auctorem fuiſſe, & Aldegondio hujus rei curam dediſſe criminetur, inſignem Principi Auriaco injuriam feciſſe certus ſum, licet ejusdem calumniae ſocios habeat Michaelem ab Iſſelt (*q*), & Jo. Bapt. Taſſium (*r*), qui, poſtquam narraſſet, quomodo J. Auſtriacus poſt occupatam Arcem Namurcenſem literis (*s*) ad Ordines d. 24. Aug. ſcriptis facti cauſſam indicaverit, ſubjungit, eum inter alia addidiſſe: *ſe nihil aliud expetiſſe nec expetere, quam Auriaci impios conatus, ſui ſecuritate, evitando, Rempubli-*

(*q*) Hiſt. ſui Temp. p. 552.
(*r*) Lib. IV. Comment. p. 269.
(*s*) Integras illas literas exhibet Mich. ab Iſſelt p. 542-546. & partem earum memorat Haraeus Vol. II. Ann. Brab. p. 258. & 259. in quibus apertius, Auriacum Principem inſidias de ſe capiendo ſtruxiſſe, Ordinibus ſcribit.

Digitized by Google

*blicam, auxilio bonorum, in priſtinam libertatem felicitatemque vindicare.* Aliter enim Thuanus (*t*), qui ſcribit, Philippum Comitem Lalainium, & Fredericum (*v*) Perenottum Campiniacum, qui, licet Cardinalis Perenotti Granvellani frater eſſet, tunc tamen Ordinibus & Auriaco Principi adhaerebat, aliosque Proceres, facinoris hujus oblique ab ipſo Joanne inſimulatos fuiſſe: eademque Thuano tradit Meteranus (*x*), ubi dicit, Jo. Auſtriacum videri voluiſſe hujus criminis accuſare Lalainium & Campiniacum, adeo ut Thuanus id ex Meterano, cujus Opere, Gallice verſo, paſſim (*y*) uſus eſt, hauſerit. Ceteri vero Scriptores Rerum Belgicarum, Borrius (*z*), Hooftius (*a*), & Auctor (*b*) Vitae Gulielmi I., ubi hiſtoriam interceptae ab Auſtriaco Arcis Namurcenſis narrant, tantum referunt, ab eo Bruxellas ad Ordines miſſum fuiſſe Baronem Raſſinghemium,

(*t*) Lib. LXIV. §. 9. p. 552.
(*v*) *Joannes Perenottus Champignius* male vocatur a Cambdeno in Annal. Angl. ad an. 1577. pag. 268.
(*x*) Lib. VII. fol. 133.
(*y*) Singulis enim libris, inſtar Plinii, praefixit nomina Auctorum, ex quibus ſua depromſit, eosque inter Meteranum ſemper recenſet, ubi de rebus Belgii agit.
(*z*) Lib. X. in fin. & init. Lib. XI.
(*a*) Lib. XII. p. 515. & 516.
(*b*) Tom. III. pag. 63. vide & C. Schetum in hoc Comment. pag. 29.

Digitized by Google

mium, qui illis ſuo nomine exponeret, *ſe id feciſſe ſecuritatis ſuae cauſſa, quia inſidiae ſibi a nonnullis erant poſitae.* ſed nullius nomine expreſſo. Certe ipſe Auſtriacus in conſpirationis iſtius, quam praetexuit, auctoribus nominandis admodum variavit. Nam d. 24. Martii an. 1577. per Jo. Octavium Gonzagam Concilii Statuum Senatores admonuit, indiciis variis, e Gallia ad ſe miſſis, ſibi conſtare, ſubornatos in perniciem ſuam fuiſſe duos Gallos Nobiles, Bonivetum (*c*) & Bellangrevillium, qui ex urbe Lovanio Au-

(*c*) Eosdem Auſtriaco inſidias ſtruxiſſe, & Teronium in miniſterio Principis Auriaci agentem, cum 500 civibus Bruxellenſibus conſpiraſſe ad capiendum Joannem, & comites ejus Hiſpanicos interficiendos, ex Scriptore Hiſpano Herrera notat Amelot de la Houſſaye ad Maurerii Comm. Gall. Hiſt. Holl. pag. 129. ed. Lond. anni 1754. ita enim prae ſe fert titulus, licet in aliis exemplaribus, ne cui id fraudi ſit, falſa haec inſcriptio praefixa ſit, *Hiſtoire de Guilleaume de Naſſau, Prince d'Orange, avec des notes politiques, Hiſtoriques, & Critiques par M. Amelot de la Houſſaye, a Londres* 1754. addito & Tomo ſecundo, cui inſcribitur, *Hiſtoire de Philippe Guillaume de Naſſau, Prince d'Orange, & Eleonore Charlotte de Bourbon ſa femme, avec des notes &c. par Amelot de la Houſſaye*, ceteris de *Mauritio*, *Fred. Henrico*, *Barneveldio*, & *Grotio*, in titulo omiſſis, & penitus ſuppreſſo auctoris *Auberii Maurerii* nomine, fuco illaudabili, quo forte detecto mutatus eodem anno titulus fuit, ita ut in prioribus libri hujus editionibus legitur, ſed auctoris nomine vitioſe exhibito *par Aubry du Mouriez*, pro *Louis Aubery, Seigneur du Maurier*.

Digitized by Google

Auſtriacum ſubducere & trans mare Rupellas avehere inſidiabantur. Illis tamen captis omnia ficta & vana adparuiſſe, ideoque incolumes dimiſſos eſſe, patet ex Decreto Ordinum d. ult. Jul. an. 1577. apud Borrium (*d*). Ab his valde diverſa ſunt, quae narrat Fr. Haraeus (*e*), qui teſtatur, ipſos Belgii Ordines literis ad Magiſtratus Namurcenſes ſcriptis J. Auſtriacum capi juſſiſſe, ut ante dictum eſt. Itaque, quum nemo illius narrationis ſiniſtrae, qua Fam. Strada, Mich. Iſſeltius, & Jo. Bapt. Taſſius memoriam Gulielmi I. dedecorarunt, & conſpirationis, quae legitimis probationibus numquam firmata fuit, ullam fecerit mentionem, aequum, & par erat, eam ex Thuano aliisque refutare, & injuriam hanc a Principis Auriaci Manibus amovere, quia veritati ſemper litandum eſt.

Ad rei nuntium graviter perculſi Ordines, Praeſulem Marollium, aliosque, miſerunt ad Auſtriacum, cui indignationem ſuam ſignificarent, eumque de reditu in urbem Bruxellas admonerent, interpoſita ſecuritatis atque incolumitatis cautione. Sed his reſponſo arrogantius dato remiſſis, ad Ordines ablegavit Baronem Raſſinghemium, noſtrum-

(*d*) Lib. XI. pag. 837.
(*e*) Vol. II. Ann. Brab. pag. 259.

Digitized by Google

ſtumque Grobbendonckium, literis mandatisque inſtructos, quibus continebantur aliquot capita (*f*) conditionum ab Auſtriaco Ordinibus praeſcriptarum ad auctoritatem ſuam amplificandam, utque Principem Auraſionenſem, & Ordines Hollandiae ac Zelandiae, ſi quid contra *Edicti Perpetui* aut Foederis Gandavenſis pacta committerent, omni deinceps commercio excluderent, ſibique ſoli ſe adjungerent. Fieri aliter non potuit, quin J. Auſtriacus hac temeritate ac perfidia ſua Ordinum & Procerum odium & diffidentiam majorem ſibi contraheret, quia haec adverſabantur non tantum Paci Gandavenſi, ſed & Edicto illi Perpetuo, quod ſe ſancte obſervaturum concepto jurejurando ipſe promiſerat, adeoque non immerito, propter interceptam Namurci Arcem, in Auſtriacum, ut in *hominem perjurum*, invehitur Gulielmus I. in Apologia ſua II. p. 119. Perfidia enim in eo conſiſtebat. Poſt Hiſpanorum, Italorum, & Burgundionum copias ex Belgio dimiſſas, reſtabat, ut Germani etiam milites, qui ſub Philippi II. ſignis meruerant, hinc deducerentur, quod ut fieret, debita illis ſtipendia an-

(*f*) Ea exhibet Borrius Lib. XI. pag. 835. breviter Hooftius Lib. XII. pag. 523. ſed longe amplioribus verbis Schetus in hoc Commentario pag. 34-36.

Digitized by Google

antea erant adnumeranda, eaque de re Ordines cum Praefectis ac Ducibus illorum egerant. Sed, quum inter ſe convenire non poſſent, ſponte operam ſuam obtulit Auſtriacus, ut ad paciſcendum cum Ordinibus Duces cohortium Germanarum permoveret. Cum illis igitur acturum ſe ſimulans, abierat Mechliniam (*g*), quo Duces iſti convenire juſſi ſunt. Sed fidem Ordinibus datam fallens contrarium egit, &, de ſtipendiorum ſolutione nullum verbum locutus, animos eorum corrumpendo operam dedit, ut auxilia ſibi adverſus Ordines promitterent, oblatas ab illis condiditiones repudiarent, urbesque, quas praeſidio tenebant, prae ceteris (*h*) Antverpiam, ſibi traderent; quo tamen voto excidit. Illam enim urbem, cohortibus nonnullis ſub ductu Cornelii Endani clam in Arcem inducendis, ſibi occupare quum tentaſſet, in itinere oppreſſae ac fugatae fuerunt, & ſollertia Ponti Noyellii, Beurſae Toparchae, Arx Antverpienſis Ordinibus vindicata eſt, capto

(*g*) Vide C. Schetum pag. 22. hujus Comment. ubi ipſe non obſcure malam J. Auſtriaci hac in re fidem indicare videtur, quum ſcribit, eum ex urbe Bruxellis, *ſive praetexta, ſive vera & legitima occaſione, diſcedere conſtituiſſe, & Mechliniam neceſſario ſibi proficiſcendum adſeruiſſe, tranſigendi nimirum cauſſa cum Germanorum Ducibus de ſtipendiorum ſolutione, &c.*

(*h*) Vid. Bern. Junium Tom. I. Hiſt. Gandav. pag. 302.

Digitized by Google

capto Ludovico Bloſio Trelongio (*i*), qui ſub Legati titulo, dum Namurci apud Auſtriacum eſſet Dux Arſchotanus, locum hunc tenebat, quem Hiſpanis adſerere nitebatur. Diruta tunc Arce hac Antverpiana; cui exſtruendae inmenſam pecuniae vim in-

(*i*) Hunc innuit Hub. Languetus in Epiſt. Secret. Lib. I. p. 307. cum dicit Arci Antverpianae in ſpeciem inpoſitum fuiſſe filium Ducis Arſchotani, xvi annorum adoleſcentem, (Carolum Crojum Cimaci principem vocat Thuanus Lib. LXIV. §. 7. pag. 548.) dum Namurci eſſet pater, eique Vicarium fuiſſe adjunctum, ſed cujus nomen non exprimit; quem tamen poſtea pag. 310. *Trellonium* vocat; additque, milites illic ab Auſtriaco alienatos fuiſſe a quodam *Borſſe*, qui eſt Bourſae Dynaſta; hac opera egregie tunc de Ordinibus promeritus. Omnem vero Arcis Antverpienſis Ordinibus interceptae hiſtoriam ibidem p. 311. Auguſto Saxoniae Duci perſcribit Languetus: ut & Haraeus Vol. II. Annal. Brab. p. 261. qui recte Pontum Novellium Bourſii Dominum vocat. vide & J. Bapt. Taſſium Lib. IV. Comm. p. 270. & Bern. Junium T. I. Hiſt. Gandav. p. 304. & plura de Antverpia, Ordinibus ac Principi Arauſionenſi; dum Namurci haeret J. Auſtriacus, vindicata, apud Thuanum Lib. LXIV. §. 9. p. 552. Dinothum Lib. IV. p. 236. Stradam Lib. IX. Dec. 1. p. 439. Borrium Lib. XI. p. 853. & ſeqq. Hooftium Lib. XII. p. 524. 525. & Auct. Vitae Gul. I. T. III. p. 76-79. Eumdem Bourſium an. 1578. Mechliniam, civibus egregia virtute confirmatis, Ordinibus retinuiſſe narrat dictus Languetus Epiſt. 135. pag. 348. Anno tamen ſeq. 1579. relictis Ordinum partibus, quorum auſpiciis Mechliniae praefecturam tenebat, perfide urbem illam Principi Parmenſi prodidit, licet a Jo. Burgundo, Fromontii Toparcha, ad obſequium Ordinum redire gravibus verbis admoneretur, ut patet ex illius Epiſtolis ad Bourſium, editis a Borrio Lib. XIII. p. 82.

inpenderat olim Albanus, ſimul etiam a civibus dilaceratum fuit illud (*k*) arrogantiae ejus nec minoris ſtultitiae, qua ipſe ſibi eam erigi juſſerat, monumentum, Statua nempe aenea magnifica & ſuperba, quae a Requeſenio quidem jam ſublata, ſed humi (*l*) proſtrata huc usque jacuerat, atque ex trunco ejus tormenta (*m*) bellica iterum fabricata ſunt, ut ipſe illam ex machinis, a Lud. Naſſavio captis, conflari juſſerat. Fuerunt, qui in Statuam hanc, ex Arce extractam, *ſecuribus ita ſaevierunt, tamquam ad ſingulos ictus dolorem incuterent*, [ut non ineleganter dicit Strada (*n*)] *ac veluti ſanguinem elicerent, ut imaginaria caede frue-*

& 83. vel ſic tamen Hiſpanis ſuſpectus, non diu poſt a Mechlinienſibus an. 1580. urbe illa fuit depulſus, ſubſtituto in ejus locum Roſſignolio, ſed qui mox inde ejectus eſt, Mechlinia Ordinibus recuperata, licet per Jo. Norritſii milites Anglos miſere ſpoliata, praefecto urbi inpoſito Famarſio. vid. Meteranum Lib. X. p. 169. & 170. qui circa finem ejusdem libri narrat, Bourſium illo anno in exercitu Parmenſis, Tornacum expugnantis, occubuiſſe.

(*k*) Quam ex merito perſtringit Gulielmus I. in Apolog. II. p. 104. 105.

(*l*) Hoc modo ſe dejectam hanc ſtatuam, & humi procumbentem, Antverpiae vidiſſe teſtatur Thuanus Lib. XLVI. §. 20. p. 760.

(*m*) Eo ſpectant Numi a Ger. Loonio editi & illuſtrati Tom. I. p. 238.

(*n*) Lib. IX. Dec. I. p. 443.

*fruerentur. Fuere, qui fragmenta* (*o*) *lapidum ex comminuta baſi domum aſportarent, appenderentque ceu fracto ex hoſte manubias, ac ſumtae qualiscumque demum ultionis ad poſteros documentum.*

Recepta Vrbe & Arce Antverpienſi, alia etiam loca vicina ſub Ordinum auſpiciis in poteſtatem redacta ſunt. Primum laeti ſucceſſus augurium fuit Berga ad Zomam, in quam cum duabus Germanorum militum cohortibus ſe contulerat Carolus Fokkerus, poſtquam ex Arce Antverpiana pedem referre eſſet coactus. Hanc vero urbem, intercepta prius arce Wouda, (*Vvanum* vitioſe vocat Dinothus) terrore perculſi milites, ob-

(*o*) Inter iſta fragmenta referendus eſt dexter hujus ſtatuae pollex, e quo, ut *ex pollice ſtatuam Herculis cognoſci* dicebant veteres, ejus magnitudo & proceritas, quae xv pedum fuiſſe dicitur, colligi poteſt. Illum vero pollicem ſe poſſediſſe ſcribit Hooftius Lib. VI. p. 224. eumdemque Belgico Epigrammate celebravit Pindi Belgici princeps Juſtus Vondelius, inter alia ejus Carmina poſt Palamedem pag. 116. Latinis autem verſibus Conſtantinus Hugenius, Lib. IV. Epigr. pag. 154. & David Hoogſtratanus, pag. 256. Poëm. ed. Vlaming. ex quo patet, eum tunc poſſediſſe Ampliſſimum Vrbis hujus Conſulem Joannem Pollium, apud cujus Filium Hermannum Henricum, qui dignitatem Conſularem intaminata virtute, qua de patria & hac civitate praeclarum in modum meritus fuit, illuſtriorem reddidit, ſed his ipſis diebus, dum haec ſcribo, vivis ereptus eſt, ingenti bonorum omnium, quibus ſemper venerabilis exſtitit, deſiderio, me hoc Statuae Albanicae fragmen vidiſſe memini.

obſidionem ſuſtinere averſati, ſtatim Campiniaco tradiderunt ſimul cum Duce Fokkero, vinculis ligato, qui Bruxellas captivus abducitur. Acceſſit mox Steenberga, & Silva Ducis, per eumdem Campiniacum Ordinibus adſerta, & tota inſula Tholana, cum aliis locis propinquis, ad ditionem Auriacam ſpectantibus, Philippi Comitis Hohenloi opera Principi Arauſionenſi vindicata (*p*). Sed his memorabilior fuit Bredae interceptio, in quam ſe receperat Georgius Fronsbergius, ex Antverpia ejectus, relictis ſarcinis ſuis, in quibus variae repertae fuerunt literae, clandeſtina J. Auſtriaci conſilia manifeſtantes. Vetus hoc gentis ſuae patrimonium, ſub ductu ejusdem Campiniaci & Comitis Hohenloi, recuperavit Guhelmus I. ſimili fere, ſed felicius ſuccedente, ſtrategemate, quo olim Hannibal (*q*) literis fictitiis, Conſulis Romani Marcelli ſcripturam & ſigillum ſimulantibus, Salapitanos decipere tentavit. Centurione enim Germano ab Jo. Auſtriaco ex urbe Namurco ad Fronsbergium Bredam remiſſo cum literis, ſenſu per numeros occultato ſcriptis, quibus de obſidione

(*p*) Haec referunt Thuanus Lib. LXIV. §. 9. p. 553. Dinothus Lib. IV. p. 250. 251. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 548. & vide Hooftium Lib. XII. p. 529.
(*q*) Vid. Livium Lib. XXVII. cap. 28.

Digitized by Google

ne duobus menſibus perferenda eum admonebat, donec ipſe cum copiis ad depellendum ab urbe hoſtem in ſubſidium adveniſſet; ſed in via capto, & Geertrudisbergam ad Arauſionenſem deducto homine, poſita torquis aurei pretioſiſſimi mercede, uſus fuit, ut hac urbe potiretur. Credidit enim illi alias literas, arcanis notis etiam exaratas, Fronsbergio tradendas, quas ope Gul. Silvii, celebris tunc Antverpienſis typographi, qui Principi illic forte aderat, & manum Jo. Auſtriaci perite referre callebat, dextre adſimilaverat, & ſigillo ex prioribus literis Auſtriaci artificioſe ſubducto confirmaverat, ipſius velut nomine ſcribens, *non ſatis ſibi copiarum adeſſe, quibus urbi obſeſſae ſuccurreret, itaque militibus ſuis, opportunitati magis commodae ſervatis, parceret Fronsbergius, Bredamque, quibus optime poterat, conditionibus hoſti cederet, alio tempore recipiendam.* Centurione ſuſcepti officii partes fideliter praeſtante, & ſubornatis his literis eluſus Fronsbergius, civibus praeſertim ad antiquum dominum redire ardentibus, urbem Bredam, pacta incolumitate, tradidit 4. Nonar. Oct. an. 1577. (*r*). Hae

(*r*) Vid. Borrium Lib. XI. p. 856. 857. Hooftium Lib. XII. p. 529. 530. & Auct. vitae Gul. I. Tom. III. pag. 82--86. male enim Thuanus, nulla optimi ſtrate-

Hae clades Jo. Auſtriaco evenerunt, poſtquam Arcem Namurcenſem (*s*) tam ma-

tegematis facta mentione, ſola praeſidiariorum militum ſeditione Bredam a Fronsbergio deditam ſcribit Lib. LXIV. §. 11. p. 556. ſolus etiam Fam. Strada literas iſtas a Principe Auriaco non per captivum illum Centurionem, ſed per alium nuntium, ejus loco ſubſtiſtitutum, ad Fronsbergium miſſas eſſe narrat Lib. IX. Dec. I. p. 462.

(*s*) Ad hunc aliosque J. Auſtriaci actus aliquo colore ac fuco obducendos ſcriptae ſunt, ſermone Gallico, Epiſtolae illae, hodie rariores, quae Rhemis & Pariſiis eo tempore prodierunt cum inſcriptione *Epiſtres Belgiques*, ſive Epiſtolae ad res Belgii ſpectantes, ſed quae deinceps, additis ad eas Reſponſis, noſtra & Gallica lingua recuſae ſunt Francof. 1578. hoc titulo: *Lettres d'Advertiſſement à la Nobleſſe & aultres Deputez des Eſtats Generaulx du Païs bas, ecrites par un Serviteur du Seigneur Don Jehan d'Auſtrice; avec leurs Reſponſes, par lesquelles la vraye cauſe des troubles du dit Païs bas eſt expoſee, & le masque de Don Jean & ſes adherens leve.* Has inter una eſt, Epiſt. XVI., ad Delegatos Senatus Ordinum, verbis valde inportunis & injurioſiſſimis ſcripta, qua hanc Namurci interceptionem tamquam rite & ordine ab eo factam defendit Auctor, addito inſigni Comitis Barlaimontii elogio; ſed illam excipit Epiſtola nomine Ordinum Reſponſoria, qua J. Auſtriaci fallacias, perfidiam, ſimulationem, ac tyrannidem vividis coloribus depingunt, Barlaimontium vero praecipuum turbarum, & crudelitatis in primarios Belgii Proceres, jam ab Albano exercitae, incentorem deteſtantur, ſeque omnibus viribus libertatem ſuam adverſus Hiſpanorum dominationem vindicaturos ſpondent. Huic lectu digniſſimae Epiſtolae addi meretur amplum Reſponſum ad Declarationem conſiliorum ſuorum a J. Auſtriaco publicatam, quod ſub titulo: *Reſponſe à un petit Livret, intitulé, Declaration de l'intention du Seign. Don Jehan d'Auſtrice.* prodiit Antverp. apud Chri-

Digitized by Google

mala fide occupatam d. 24. Julii an. 1577. Or-

Chriſtoph. Plantin. 1578. quae eſt Ordinum refutatio Edicti ſeu Declarationis J. Auſtriaci d. 25. Jan. an. 1578. in lucem editae, & libro illi ſubjunctae pag. 42. in cujus initio profitetur Auſtriacus, ſe Arcem Namurci ſibi vindicaſſe, *pour mettre noſtre perſonne en ſeureté contre les conjurateurs, ennemis de la Religion Catholique Romaine, & du Roy Monſeigneur & Frere, vrays perturbateurs du repos, & de la paix publique.* eadem Auſtriaci Declaratio Belgice verſa exſtat apud Borrium Lib. XII. p. 932. & reſponſi Ordinum ſummaria ſubjungit pag. 944. Ad easdem inſidias ſibi ſuisque ſtructas etiam provocavit in Epiſtolis ad Praeſidem & Senatores Concilii Regis, eodem die, quo Namurci Arce potitus fuit, ſcriptis, quas profert Borrius ſub finem Lib. X. aliisque ſimilibus ad Ordines Vtrosque & Vrbium Magiſtratus miſſis, quas idem edidit Lib. XI. pag. 863. & ſeqq. Ex vero autem, fidemque hiſtoricam ſecutus, omnia Jo. Auſtriaci facta, quibus Belgii Ordines contra ſe exacerbavit, juſtamque eorum diffidentiam & indignationem contraxit, enarravit Em. Meteranus Lib. VII. & VIII. Hiſt. Belg. & J. Fr. Petitus, uterque Hiſpanicis Scriptoribus opponendus (quantumvis iniquiſſime tam de Meterano quam Petito judicet Adr. Meerbeeckius in Chronici ſui Praefatione) in Tom. II. Lib. XI. Chronici Hollandiae & Zelandiae, Gallico idiomate editi, ubi pag. 333. *b.* de Arce Namurcenſi ab eo occupata agens tradit, Auſtriacum brevi ante, ut certius falleret Ordines, Bruxellas miſiſſe noſtrum Grobbendonckium, qui illis indicaret, ſe venatus cauſſa eo profectum, deſiderio in illam Vrbem revertendi tamen teneri, rebus illic bene ordinatis ſecundum conditiones a ſe propoſitas, quibus tamen jam ipſi ita ſatisfactum erat, ut Ordinum placitis acquieſcere videretur. Ibidem ſubjungit Petitus duas rationes, aliis indictas, cur Namurcum ſe contulerit Auſtriacus, ut evitaret ipſe vindictam Ordinum, ſi forte inſidiae, quae Caſtello Antverpienſi paraverat, male ſucceſſiſſent; utque ve-

Ordinibus eripuiſſet, unde ab illo tempore hoſtiliter cum eo, ita ut merebatur, agi coeptum eſt. Multi quidem, jam ſtatim poſt facinus hoc ab eo perpetratum, omnem inpenderunt operam, ut concordiam inter Auſtriacum & Belgii Ordines in integrum reſtituerent. Prae ceteris vero id egit hic Caſpar Schetus, vel Schetzius, Grobbendonckius, Quaeſtor, ſeu Aerarii Regii apud Brabantinos Praefectus, qui variis legationibus & excurſibus ſuſceptis ac ſaepe repetitis, nunc Namurco Bruxellas profectus ad Ordines, nunc Bruxellis Namurcum ad Jo. Auſtriacum reverſus, ſaepius eundo & redeundo fruſtra tamen inſudavit, ut hunc ad ſaniora reduceret conſilia, illos vero eidem mitigaret ac placaret. Diploma (*) Inſtructionis ab Auſtriaco tunc C. Scheto Bruxellas delegato datae, ex qua animus ejus erga Ordi-

luti portam haberet apertam in tractum Luxemburgenſem, ſibi adhaerentem, per quam homines quoscumque extraneos in Belgium admitteret. Sed & ipſi Ordines in Apologia ſua adverſus Auſtriacum ampliſſima omnia ejus facinora in Belgii perniciem ſuſcepta late expoſuerunt, quod ſcriptum ſolum alios auctores, diverſa tradentes, ſatis refutat, editum in Analectis ad Borrii Hiſtor. Tom. I. pag. 151-164.

(*) Illud Diploma Schetzio ſimul cum literis ad Ordines, additis poſtulatorum aliquot capitibus, datum fuiſſe a J. Auſtriaco d. 27 Julii an. 1577. colligi poteſt ex iis, quae habentur apud Borrium Lib. XI. pag. 835. & 836.

Digitized by Google

dines exulceratus elucefcit, numquam antea ab ullo, ni fallor, Scriptore productae, edidi in fine hujus Voluminis, depromtum ex Codice Ms., quo plurima alia iſtorum temporum ad res Belgii facientia continebantur, quemque Nobiliſſimus C. Baro de Proli mecum communicavit, quum ante hoc biennium Antverpiae eum inviſerem, ac Bibliothecam Muſeumque viri humaniſſimi luſtrarem ſimul cum Ampliſſimo, & ſplendido inter Vrbis hujus Proceres ornamento, Iſaaco Sweerſio, qui pro amicitia, qua ab ipſa me juventute proſecutus eſt, me comitem adſumſerat jucundiſſimi itineris, quando a Concilio Statuum, cujus honoratum tunc membrum erat, in Flandriam ad munimenta atque armamentaria illic inſpicienda mittebatur.

Partibus ſibi a J. Auſtriaco demandatis quomodo defunctus fuerit Schetus, ſatis deſcripſit ipſe in hoc Commentario, ex quo patet quidem, Grobbendonckium diverſis illis legationibus Ordinum nomine ad Auſtriacum remeantem, moderatiora ipſa ſuadere & inculcare adniſum fuiſſe. Sed calida aliorum conſilia ſecutum vel ambitioni ſuae velificatum Auſtriacum (*t*) acerbiora praetuliſſe. Non inprobaſſe tamen videtur (*v*) Schetus,

(*t*) Vide pag. 33-39.
(*v*) Sic enim pag. 40. ſcribit: *Accurate Ordines edo-*

tus, Namurcenſem Arcem tamquam jure ac merito ab illo vindicatam, ut ſecuritatis ſuae cauſſa evitaret (*x*) inſidias ab Auriaco Principe ei ſtructas, ſed imaginarias & falſo jactatas, de quibus ſupra dictum eſt, additque, ut indubitatam famae huic auctoritatem adſtrueret Auſtriacus, ipſum Marnixium Aldegondium minime illas diſſimulaſſe; cujus ta-

*edocere jubebar, quam neceſſario quamque juſta de cauſſa in Arcem ſe Namurcenſem recepiſſet Auſtriacus, cujus rei & Arſchotanus Dux, & Vicecomes Gandenſis fidem facturi forent, qui ipſum praeſentiſſimi periculi ſui praemonuiſſent*, &c.

(*x*) Vid. pag. 42. & 43. ubi haec inter alia ſubjungit: *Accedere ad haec detectas conſpirationes, quibus inſidias ſibi poſitas indubitatis indiciis cognoverit; iis enimvero de cauſſis neque videri ſibi tutum, neque ipſos petere aequum eſſe, ut penitus ſe omni militia exuat, niſi prius quid Auraicae Princeps moliatur, deque ipſius mente ſibi conſtet, quam ubi intellexerit, & de religione, deque obſervantia erga Regem, ſuaque ſecuritate, debite cautum ſibi ſit, prompte ſe neque gravatim ab armis omnibus receſſurum.* & paullo inferius: *neque ſcrupulum ipſis aliquem movendum, aut in ſiniſtram partem accipiendum me exiſtimare, quod ſua Serenitas munitum in locum ſe dediſſet; habere enim ipſum cauſas, cur id fecerit, graviſſimas, cum nemini incognitum ſit, pervagatum fuiſſe rumorem, & ex Auriaci Principis literis indubitato documento compertum, conſultum aliquando fuiſſe, anne Auſtriaci perſona cuſtodiae mancipanda eſſet, quo Reipublicae foret melius.* ſed reſpondiſſe Ordines addit pag. 45. *dolere ſibi vehementer, quod eos non indicaret, quibus auctoribus inſidiae ipſi intentatae forent; quive ipſum de ſuo periculo praemonuiſſent, quo, rei veritate explorata, in tanti ſceleris convictos pro enormitate flagitii dignis ſuppliciis animadverti poſſet.*

Digitized by Google

tamen rei fidem auctori relinquendam arbitror. *Propoſiti tenax* Jo. Auſtriacus ab Ordinibus Arcem Antverpienſem ſibi reſtitui, Trelongium e captivitate dimitti, Ordinibus Hollandiae ac Zelandiae & Principi Arauſionenſi (*y*) bellum indici poſtulat ſub denuntiatione, Ordinibus non valde ingrata, certe non admodum terrifica, ſe Philippo ſcripturum, ut alium e domo Regia Succeſſorem Praefectum in Belgium mitteret, ipſosque Ordines, ut idem quoque (*z*) a Rege peterent, rogat. Verum illi per Atrebatenſem & Iprenſem Epiſcopos, quos Bruxellas miſerat Joannes, Scheto (*a*) invito tunc apud ſe manere juſſo, gravibus verbis ipſi indignationem ſuam, propter Arcem Namurci ſibi vindicatam, interceptas illius & Eſcovedi literas, occultos belli adparatus de occupanda Antverpia, conſpirationem cum Germanis militibus, foedus clandeſtinum cum Guiſiorum Duce, literas ad varios Principes (*b*) & Germaniae Imperatorem ſcriptas, qui-

(*y*) Vid. pag. 47.

(*z*) Vid. pag. 44. 49. 63. ultro id feciſſe Ordines, conſtat ex eorum literis d. 24. Aug. & 8. Sept. ad Hiſpaniae Regem ſcriptis, quae leguntur apud Borrium Lib. XI. pag. 867. 868.

(*a*) Vid. pag. 50.

(*b*) Vid. Petitum Tom. II. Chronici Lib. XI. p. 331. qui etiam pag. 346. dedit Excerpta ex literis iſtis clandeſtinis Auſtriaci & Eſcovedi interceptis, de quibus ſupra abunde actum eſt.

Digitized by Google

quibus indigna calumniarum ac criminationum injuria Ordines & Auriacum Principem traduxerat, & ſimilia plura Foederi Gandavenſi & Edicto ipſius Perpetuo adverſa, declarant, eumque ad monent (*c*), ut omnes peregrinos & ſuſpectos homines, quibus ſe totum reddebat obnoxium, ab aula ſua removeret, ſolisque Belgis uteretur. Interim animis utrimque magis ac magis inritatis, dum Namurci apud Auſtriacum haereret Schetus, privato colloquio libere ipſi expoſuit, quomodo (*d*) Pacem ore ſemper prae ſe ferens bellum tamen animo agitaret, pravis aliorum conſiliis adverſus Ordines incenſus, aureſque tantum praeberet illis, qui ex bello quaeſtum ſibi uberiorem ſperabant. Cumque praetexeret Au-

(*c*) De his ita Schetus p. 39. *Vt ab illegitimis, extraordinariis, & ſubclientelaribus conſiliis abſtinere velit, praeſertim extraneos omnes ſuſpectos, uti male affectos erga provinciam, a ſe ſemoveat, nec eſſe, niſi iis remotis, ut tranquillam gubernationem ſibi promittat, aulicam vero ſuam familiam ex Nobilitate & Officialibus Belgis conſtituat.* & pag. 45. *Rurſus inſtabant* (Ordines) *ut a familia & clientela ſua extraneos omnes, & praeſertim ſuſpectos, ablegare vellet, quoniam hi Ordinum deliberationibus actionibusque ab eo tempore, quo ſua Serenitas conpoſito foedere ipſis ſe adjunxiſſet, obſtinate adverſari contrariaeque ſemper ſententiae fuiſſe dicerentur.*

(*d*) Vid. pag. 54. 56. 57. idque praeſertim patet ex blandis, ſed doloſis, Auſtriaci literis, d. 13. Aug. Namurco ad Ordines miſſis, ſed ex quorum reſponſo facile colligere poterat, ſe ſurdis auribus iſta cantare. utraſque profert Borrius Lib. XI. p. 858.

Digitized by Google

Auſtriacus, animo conmotior, cauſſam Regis ſibi agendam, gubernationemque ſuam ad illius praeſcriptum inſtituendam eſſe, hanc minime arbitrariam eſſe regeſſit Schetus, Auſtriacumque ſimulata Pace ex ſuo ſolius arbitrio, nullo Regis juſſu, Arcem Namurci occupaſſe, eoque auſu temerario & periculi pleno Ordines a ſe alienaſſe, ac quietem publicam perturbaſſe; & perſuadere ipſi conatus eſt, bellum, quod machinabatur, ſine ullo Philippi ipſius emolumento, ei exitioſum fore. Egregia certe ſunt, & in exemplum externis quibusque Regibus, etiamſi viribus Philippo Hiſpano paribus, exhibenda, quibus Schetus (*e*) graviſſimas de Batavis aegre ſubjugandis difficultates Auſtriaco ante oculos poſuit, eique perſuadere ſtuduit, licet nonnullas Belgii regiones, in Brabantia nempe & Flandria, in poteſtatem ſubigeret, ſolos tamen Hollandos Zelandosque, qui Albani & Requeſenii impetus crudeliſſimos tam animoſe ſuſtinuerant ac retuderant, adeo ut ad inſultus toties repetitos, quibus hucusque ab illis oppugnati erant, nihil a Rege quamlibet potente poſſet adjici, armis ab Auſtriaco non facile domandos, praeſertim quum jam illis ſe adſociasſent reliquae Belgii nationes, Foederis Ganda-

(*e*) Vid. pag. 58. 59.

davici vinculo conjunctae, quae omnes duplicatis viribus validiores factae, & communi in Hiſpanos odio ductae, tum externa Britannorum, Germanorum, Gallorumque auxilia circumſpicientes, bellum hoc eo magis arduum, inutile, & nil profecturum redderent; ſed adſiduis cladibus hic ei conflictandum fore, claſſes continuo inſtaurandas in vadis & undarum anguſtiis, remque ad inconſtantis freti arbitrium gerendam, ubi indigenae vadorum magis periti, locorum incommodis, graveolentiae aeſtuariorum, & aëris intemperiei innati atque indurati, & ab exercitatis claſſiariis omnique bellico adparatu inſtructiſſimi, etiam potiores, ut ſemper fuerant, exiſterent, adeoque Regi, viribus inutiliter conſumtis & inmodicis inpenſis ac jacturis exhauſto atque exinanito, bellum accelleraret perniciosiſſimum, & non niſi ſtrage atroci dirimendum: quod praeſertim poſtea ab Anglis & Belgis experta fuit & inreparabili detrimento ſenſit vaſta illa & opinione magis quam rebus ipſis formidanda Philippi claſſis, vano & arroganti nomine invincibilis dicta. His conſona ſunt, quae in egregia Praefatione, Operi ſuo Hiſtorico praefixa, de irrito Regis Hiſpani niſu, quo per Albanum Belgas ſub jugum mittere ac veluti devota capita necare conatus eſt, magno Henrico IV. in memoriam revocavit

vit Thuanus (*f*), ut ei perſuaderet, fruſtra Reges, ex praepoſtero religionis diverſae ardore, in populum, libertatis ſtudioſum, ferro & igne graſſari, in conſcientias dominari, & ut temere corporibus, multo minus animis eorum, odioſum illud & intolerandum ſervitutis jugum ingerere. Explorare ſaltem & perpendere antea debuiſſet J. Auſtriacus, vel ipſe potius Philippus, quem artis regendi populum valde inperitum fuiſſe conſtat, gentis Batavicae (*g*) ingenium atque indolem,

(*f*) Ita enim illic de Philippo ſcribit Thuanus: *Potenti exercitu in Belgium miſſo, ſumma auctoritate, ferro & flammis omnia miſcuit, arces ubique exſtruxit, libertatem inſolitis vectigalibus ad belli ſubſidia inpoſitis labefactavit, & civitates opulentas infracta libertate quaſi praevalida corpora cibo ſubtracto ad maciem adduxit. Haec vero dura & praerupta conſilia populorum inſecuta eſt deſperatio, ac poſtremo defectiones; quae utcumque ad tempus conpoſitae, tandem hunc exitum habuerunt, ut major & opimior pars, atque ad navigationes, quibus maxime opes illarum provinciarum conſtant, oportunior, a reliquo corpore quaſi avulſa, nunc Ordinum auctoritate adminiſtretur, & bellum non ſolum cum altera parte, ſed cum univerſis Hiſpanorum viribus jam pridem feliciter gerat.*

(*g*) Hanc Belgarum indolem memorabilibus verbis deſcripſit Lud. Mayernus Turquetus Lib. XXX. Hiſt. Hiſp. pag. 1463. quae ſua lingua hic adponi merentur: *Pluſieurs croyent non ſans fondement, qu'entre toutes les nations d'Europe celle des Pays bas eſt la plus politique, la plus docile, & la plus liberale, quand Dieu luy donna des Princes & des Gouverneurs, qui la ſçavent contenir en paix, & par juſtes commandemens en tirer deuë obeysſance; mais ſi par une hautaine & abſolue façon de la maiſtriſer, ou par appetit de nouveautez, ou par tardiveté &*

lem, qua bonos & aequos Principes facile tolerare poſſunt Belgae, ſed ab iniquis & crudelibus Dominis, poteſtate ſibi credita abutentibus, non minus quam a Regibus Romani, abhorrent, unde ſaxum Siſyphium in caput ſuum retro ruiturum inani opera ſe volvere noviſſet, ut ſuo ipſius decore ac pudore quadriennio poſt didicit, populum hunc, male concocta tandem & egeſta omni patientia, auſum fuiſſe dura & inmitia ejus ſceptra frangere, omnique in Tyrannum obedientiae & obſequio renunciare.

Revocato igitur animo ad veriſſimas has Scheti admonitiones, quibus eum ad pacem cum Ordinibus renovandam adhortatus, irritum belli ſucceſſum praedixerat, reliquos etiam Conſiliarios advocat Auſtriacus, ſententiam eorum exploraturus, qui cum nihil haberent quod opponerent, ad Ordines denuo

*& nonchalence de ſes Recteurs, elle ſe depite, il n'y a rien plus inſolent au monde, plus leger, & irreſolu, ny qui ſoit plus aveugle en ſes affaires, ce qui ne s'eſt que pas trop verifié aux troubles & tumultes qui ont eſté de noſtre age.* Optime etiam Hugo Grotius, de Leyceſtrio imperium in Belgas adfectante agens, & diſſimilia Anglorum ac Belgarum ingenia depingens, Lib. V. Annal. pag. 95. *Plurimum differunt*, inquit, *harum nationum ingenia & mores: nam Angli, ut addicte ſerviunt, ita evecti ad dignitates priorem humilitatem inſolentia rependunt: Belgarum eſt parere & imperare cum modo, nec gens ulla fidelius amat Eminentes, aut iisdem, ſi contemtus adſit, inplacabilius iraſcitur.*

nuo Grobbendonckium (*b*) ablegat, ut voluntatem hanc Auſtriaci, in Pacem inclinantis, apud eos exponeret. Bruxellas reverſus Schetus eo adducere Ordines adlaboravit, ut conditiones paullo ante per Atrebatenſem & Iprenſem Epiſcopos oblatas (*i*) amplecterentur, ad quas cum reſponſa eorum jam Namurcum, antequam inde rediret Schetus, eſſent miſſa ac perlata, rem interim urguere per aliquot dies, & de Pace hac contrahenda cum illis conſulere non deſtitit, cui tamen reconciliationi non temere morigeros ſe praebuerunt Ordines, ut ex eorum Reſponſis (*k*) colligere licet; Auſtriaco praeſertim non alia lege ex Namurcenſi Arce recedere, & Carolimontem reſtituere negante, quam ſi Ordines Hollandiae Zelandiaeque Edictum de Pace Religionis, quo ſacris Romanenſibus praeſertim cavebatur, in ſuis ac Foederatorum regionibus admitti & obſervari curarent, neque alterius religionis permitteretur exercitium, tum priſtina Regi obedientia, & ſua ſibi auctoritas firmaretur,

(*b*) Vid. pag. 61. Novam tunc Schetzio Inſtructionem, ſeu literas fiduciarias, d. 24. Aug. dediſſe Auſtriacum, patet ex initio Declarationis, a Grobbendonckio Ordinibus exhibitae, apud Borrium Lib. XI. pag. 861. qui etiam illic adfert Reſponſa Ordinum ad Conditiones a Joanne per Praeſules illos propoſitas.

(*i*) Vid, p. 64-66.

(*k*) Vid. p. 71. & ſeq.

*****

Digitized by Google

tur, omni armorum motu interim ceſſante; quod ſi facerent, ſe a Gandavici pacti veſtigiis non receſſurum, Vrbesque interceptas illis redditurum pollicetur. Sireneis tamen his cantibus patulas aures non propere dederunt Ordines, quos nec ipſi Grobbendonckio adquieviſſe, ſed jam tunc aliqua erga eum diffidentia ac ſuſpicione ſiniſteriore ductos fuiſſe, Hollandos prae ceteris ac Zelandos, patet ex literis Scheti, quibus Auſtriaco omnia cum Ordinibus a ſe acta, praeſertim de Religionis Pacificatione & obedientia Regi praeſtanda, perſcripſerat, ad portam Bruxellenſem, antequam Namurcum deferrentur, interceptis, miſſo ad Arauſionenſem Principem exemplo: qua de re, ut & ſarcinis ſuis, codicillis ac tabulis, a civibus, pro porta excubantibus, ultimo ſuo in hanc urbem reditu excuſſis, velut ingenti injuria ſibi facta, graviter ſe offenſum (*l*) querebatur. Non penitus tamen injuſtam aut temerariam fuiſſe hanc Ordinum illo jam tempore ſuſpicionem eventus deinde conprobavit, quando, poſt abruptum Pacificationis Colonienſis negotium, Grobbendonckius ipſe, cum aliis partes Ordinum deſerens, ad Hiſpanorum caſtra tranſiit.

Non diu tamen poſt Namurcum denuo able-

(*l*) Vid. p. 67. 69. & 91.

Digitized by Google

legatus, d. 6. Sept. Bruxellis egreſſurus, eodem die ab Auſtriaco ad Ordines deferuntur literae, quibus indicat, laetum ſibi ex Hiſpania a Rege nuntium veniſſe, quo declarabat Philippus, ſe conſtituiſſe in Pacem cum Belgis conſentire, & ad vota Ordinum, qui praecedente anno literis ſuis ab eo petierant, ut Auſtriaco libertatem ſe Praefectura abdicandi concederet, alium ſui ſanguinis Succeſſorem ſe miſſurum, promiſiſſe. Quid de fide atque integritate hujus Epiſtolae, & ſincero Philippi, pacem ſuo calculo adprobantis, animo judicandum ſit, ipſe ſuppeditare videtur Schetus, quum inter alia, quae Bruxellas redux Ordinibus expoſuit, illis narrarit, ſe literas has inſpiciendi copiam, ut mandaverant Ordines, inpetraſſe, quas ſuppoſititiis characteribus, ſeu notis arcanis, d. 6. Aug. exaratas, Regisque manu ſubſcriptas fuiſſe dicit, factaque ſibi interpretatione ex iisdem ſe intellexiſſe propenſum Regis in Pacem animum, ſibique conſtare, eum Namurci Arcem ab Auſtriaco cum ingenti Pacis praejudicio occupatam inprobare, ſed (*m*) *nonnulla porro alia iisdem literis fuiſſe conprehenſa, quae quia non evulganda juſſerat Auſtriacus, fidem ſibi hac in re praeſtandam* ajebat. Novas praeterea concordiae ſtabiliendae leges ab An-

(*m*) Vid. p. 76.

Auſtriaco ſibi datas Ordinibus exhibens, XVII. Capita complexas, quas ſingulas cum Ordinum Reſponſis huic Commentario (*n*) inſeruit, non diu poſt ſimul cum (*o*) Brugenſi Epiſcopo & Willervalio ad Joannem remiſſus eſt, ut reconciliationem iſtam aequioribus conditionibus tandem ad finem perducerent. Ordinum votis adnuere, de Pace redintegranda tranſigere, & in eorum ſententiam tranſire velle videbatur Auſtriacus, ſed, quo minus rei ſummam inponeret manum, haerere ac tergiverſari coepit, poſtquam intellexiſſet, Principem Arauſionenſem mox Antverpiam adventurum, *haereticum* (*p*), ut vocabat, *a Regia Majeſtate averſum & alienum, turbarum & rebellionis Hollandorum & Zelandorum auctorem & inſtigatorem, & incurium Pacificationis Gandavicae obſervatorem.*

Et certe hunc Principis Auriaci in Brabantiam adventum, praecipuam reconciliationis cum J. Auſtriaco tranſigendae, ſed de cujus fide & perpetuitate nihil certi ſperandum erat, moram & obicem interpoſuiſſe, ex reliqua Commentarii hujus Schetziani (*q*) parte abunde adparet, licet Ordines, ne rem

(*n*) Has videre licet a pag. 78. usque ad pag. 86.
(*o*) Vid. pag. 92.
(*p*) Vid. pag. 94.
(*q*) Nempe a pag. 98. usque ad finem.

Digitized by Google

rem inceptam deſtituerent, eosdem Delegatos, Praeſulem nempe Brugenſem, Willervaliumque, ſed Scheto (r) inritum hujus legationis ſucceſſum praeſagiente, ideoque ſe comitem excuſante, datis novis & mutatis pacti conditionibus, ad Auſtriacum remiſerint, ſed, qui literis (s) querulis & indignabundis poſtulata eorum velut iniqua inſectatus, Namurco relicta Luxenburgum e veſtigio ſe contulit, non alio, ut eventus docuit, conſilio, quam ut ſe contra Ordines armaret, quod & alterae inde ad Ordines d. 4. Octobr. confirmarunt literae, quarum argumentum ſubjungit, & ex iis non inmerito colligit Schetus (t), *non alium in finem haec tendiſſe, quam ut bellum Ordinibus & Auriaco Principi moveretur, eo conſilio ſtudioque, ut conmiſſae denuo inter ſe Provinciae, & mutuis vulneribus debilitatae, confectaeque facilius tandem ſub intentatum pridem jugum redigerentur.*

Mirari profecto liceat lentam Ordinum patientiam, qua tot legationibus ultro citroque miſſis, totiesque repetitis, (quarum recenſum hic adcuratius, veſtigia Auctoris ſecutus, expoſui, cum, quia apud nullos alios Scriptores tam operoſe, quam a Scheto

(r) Vid. pag. 106-108.
(s) Vid. p. 108.
(t) Vid. p. 110-113.

to Grobbendonckio, deſcriptae ſunt, tum, ut Opuſculi hujus ſummam, velut promulſidem, lectoribus exhiberem) tam diu cum Auſtriaco agere non averſati ſunt, ut eum ad ſaniorem mentem reducerent, modosque reconciliationis tentarent, & non potius, omiſſis his ambagibus, recta exercitum verſus Namurcum miſerint, ſtatim, poſtquam urbis illius Arcem tam perfide ſibi vindicaſſet, quod deinde, quum ſe armis inſtruendi ſpatium nactus eſſet, ſero tentarunt, copiis eo deductis ſub Comite Lalinio & Hohenloo ad Namurcum & Ruremondam obſidendam, ſed quae inde profligatae, & ad Gemblacum non exigua clade Lalinii exercitus repulſus fuit, quam tamen poſtea tempeſtiva ad Rimenantam victoria, virtute Boſſuvii relata, & cui non diu ſupervixit Auſtriacus, egregie reſtituerunt.

Cauſſa vero, cur conditiones ab Ordinibus ad Pacem bona fide contrahendam praeſcriptas rejecerit Auſtriacus, praecipua fuit, quod eo ipſo tempore, quo Luxenburgum e Namurco ſeceſſit, graviter hominem ureret; Ordines interea, quum Philippus eorum literas, quibus novum e regio ſanguine Succeſſorem in Auſtriaci locum mitti petierant, nullo per totum annum reſponſo dignaretur, e re ſua cenſuerint, Principem Arauſionenſem in Brabantiam evocare, licet nonnulli ex Proce-

ce-

Digitized by Google

ceribus, gloriae Gulielmi I aemuli, rem iniquius ferrent (*v*). Illuc invitatus, & conſenſu Ordinum Hollandiae ac Zelandiae difficulter inpetrato, quia inſidias capiti ejus metuebant ab hoſtibus, quos plurimos illic habere noverant, iter tamen in Brabantiam ſuſcepit, & comitatus Vxore, fratre Joanne Comite Naſſavio, Aldegondio, aliisque primoribus, Antverpiam venit, in quam urbem a civibus armatis, obviam ei tendentibus, ſummo cum adplauſu deducitur, ſimilique feſtivitate non minus ſollemni Bruxellis excipitur. Tanta vero illic exſtitit Principis Arauſionenſis auctoritas & exiſtimatio, ut Ordines Brabantini, frendente licet ac ringente, & alias ſuper alias (*x*) proteſtationes interponente J. Auſtriaco, quibus animoſe ab illis reſponſum eſt, Gulielmum I regionis Brabantinae Tutorem, ſeu quietis publicae cuſtodem, ſub Ruardi titulo, conſtituerint. Summam tamen hanc dignitatem ipſi

(*v*) Vid. Bern. Junium Tom. I. Hiſt. Gandav. pag. 305. qui ſcribit ea de cauſſa ad Principem Auriacum ab Ordinibus miſſos fuiſſe Jo. Lindanum, Abbatem Geertrudisbergenſem, Campiniacum, Elbertum Leoninum, & Juriſconſultum Liesveltium. Adde Haraeum Vol. II. Ann. Brab. p. 262. Borrium Lib. XI. p. 872. & Auct. Vitae Gul. I. Tom. III. p. 100. & ſeqq.

(*x*) Auſtriaci expoſtulationes refert Haraeus Vol. II. Annal. Brab. pag. 265. & Reſponſa Ordinum habet Borrius Lib. XI. p. 876. ſeq.



Digitized by Google

ipſi oblatam multi lividis adſpiciebant oculis, & certe invidiam haud levem plurimorum primariae dignitatis Procerum inde ſibi concivit Princeps, quaſi (y) ad ſummam totius Belgii Praefecturam adſpiraret ambitioſius. Hinc enim evenit, ut nonnulli ex Nobilibus, aegre ferentibus ſummam rerum, ſub praetextu quaſi plerique Senatores Concilii Statuum ad Jo. Auſtriaci partes deſciviſſent, ſic ad unum Arauſionenſem Principem divergere, conſilia inter ſe inierunt de novo Belgii Gubernatore, velut per abſentiam Auſtriaci, ſed revera, ut nimis increſcenti Principis potentiae frenum injicerent, inſciis Ordinibus ipſis, evocando; & Praefecturam Belgii obtulerunt Matthiae Archiduci Auſtriaco, Rudolphi Imperatoris fratri, cujus rei auctores praecipui fuerunt Philippus Croviacus, Dux Arſchotanus, ejusque frater Carolus Croviacus, Marchio Havraeus, Comites Lalinii, Melunii, Philippus Egmondanus Comes, Gulielmus Hornanus, Maximilianus Vicecomes Gandavenſis, Raſſinghemius, & plures, quos inter haud pauci erant, de patria bene ſentientes, & qui ſe adverſus Hiſpanorum diritatem fortiter geſſerant, ſed aemulatione erga

(y) Vid. Bern. Junium Tom. I. Hiſt. Gandav. p. 308, 309. & Haraeum Vol. II. Annal. Brab. p. 265. & 266. & Auctorem Vitae Gul. I. Tom. III. p. 133. ſeqq.

Digitized by Google

erga Arauſionenſem ducti nimium, quo populus eum proſequebatur, amorem ferre non poterant, ideoque, ut Principem a publicae rei adminiſtratione excluderent, legibus, quibus Matthiae Archiduci Praefecturam decernebant, cautum voluerunt, ne (z) quem haberet a Conſiliis, qui extra Belgium natus eſſet, aut Romanenſium ſacris non adhaereret. Erant tamen plurimi etiam inter Ordines Belgii, Auriaco fidelius adhaerentes, qui rem tanti momenti, a paucis, inconſulto Ordinum ipſorum Senatu, ſuſceptam, graviter indignabantur; unde in temeritatem eorum & inſolentiam, ſuis tantum ſuffragiis offe-

(z) Ita ſcribit Languetus in Epiſt. Secretis Lib. I. Ep. 129. pag. 334. quo ſpectant verba, quae ex praefatione Conditionum, Matthiae praeſcriptarum, leguntur apud Dinothum Lib. IV. de Bell. Belg. p. 253. *Vt ei placeat Regis nomine harum Provinciarum gubernationem capeſſere, priusquam vicinus aliquis Princeps, hac praeſentium turbarum occaſione arrepta, huc pedem inferret, id quod mutandae Religionis Catholicae Romanae anſam praebere, atque obedientiae, Regi debitae, multum derogare poſſet.* quae tamen apud alios Scriptores, Conditionum illarum capita proferentes, non inveni, quales, Principi Auriaco non minus adverſi, ſunt J. B. Taſſius Lib. IV. Comment. p. 286-289. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 580-583. Haraeus Vol. II. Ann. Brab. p. 269. & ſeq. neque apud noſtros Hiſtoricos, Meteranum Lib. VII. fol. 141. Borrium Lib. XII. p. 927. aut Hooftium ſub finem Lib. XII. nec etiam apud Auctorem Vitae Gul. I. Tom. III. p. 177. & ſeqq.

offerendae, & Archiducis facilitatem ſuſcipiendae hujus Praefecturae, atque inſcio, ut creditum fuit, Rudolpho Caeſare celerrime ad Brabantinos transvolandi properantiam, non ſine cauſſa acriter invehitur Cardinalis Bentivoglius (*a*), dubitans, an major fuerit arrogantia eorum, qui propria auctoritate Matthiam Belgii Gubernatorem arceſſere auſi fuerint, quam ipſius Archiducis, de offenſa Regis, vel aliorum Procerum, tam ſupine ſecuri, praecipitantia. Ipſe vero Princeps Auriacus, qua erat prudentia politica, ſenſum injuriae diſſimulans, aliorum Procerum auctoritate, & populi favore ſubnixus, rem omnem dexterrime in ſua commoda convertit, & de invidia aemulorum, dignitatem (*b*) Tutoris Brabantiae ei eripere adnitentium, ſolidum egit triumphum. Quum enim probe noſceret, Matthiam, XX annorum juvenem, puſilli ingenii, nullo publici regiminis uſu inſtructum, Belgicarum rerum penitus ignarum, inanem Praefecti umbram, & membris alienis mobile lignum fore, ejus tamen electionem calculo ſuo probare prae ſe ferens, ſagacitate ſolita, in re-

(*a*) P. I. de Bel. Flandr. Lib. X. pag. 601.
(*b*) Hanc cauſſam facti primariam, cur Principis Auriaci clientes Ryhovius & Embiſius, Arſchotanum ceteroſque captivitati emancipaverint, ipſi ſua Apologia publicata indicarunt, praeter alias rationes, quas refert Haraeus Vol. II. Annal. Brab. pag. 266.

Digitized by Google

rebus dubiis ſemper promta, efficere valuit, ut ab illius aula peregrini omnes & ſuſpecti removerentur homines, ipſe vero ephebi hujus Vicarius ac moderator, tamquam Telemachi, rebus gerendis adhuc inparis & inepti, providus conſtitueretur Mentor, atque ita ſummae adminiſtrationis habenas ipſe manu teneret, dum vano Praefecti nomine ac titulo gauderet Matthias, quem proinde a populo vocatum fuiſſe *Principis Arauſionenſis Graphiarium, qui juſſis ac placitis Auriaci ſubſcribendis tantum inſerviret*, tradit (*c*) J. B. Taſſius. Neque diu poſt maximus Principis adverſarius, & domus Auriacae juratus hoſtis ac rivalis, Dux Arſcho-

(*c*) Lib. IV. Comment. p. 290. Haec optime deſcripſit H. Grotius Lib. II. Annal. in fine: *Arauſionenſis, quamquam Matthias ab inimicis evocatus advenerat, pudori ejus conſulens, auctor Ordinibus fuit, ut adoleſcentem clarum fraterna majeſtate, & Regis propinquum, cauſſae ſuae admoverent. Quod eo usque placuit, ut Matthiae regimen Belgicae, Arauſionenſi Vicarium imperium, inponeretur, idque velut recuſanti: quo aucta illorum ira eſt, qui ſpe duntaxat ejus* (Matthiae) *dignitatis, gratiam partis quaeſiverant. Matthiae praefectura mandatis & adſeſſoribus circumſcripta eſt, nec ipſi libido quidquam ejus faſtigii, praeter vitae ſplendorem habitumque uſurpare.* Huic certe Matthiae minime conveniunt laudes inmodicae, quas nimia adulatione in eum effudit Lipſius Dedicatione Electorum ſuorum, quod opus Criticum huic Archiduci inſcripſit. Dexteritatem vero ingenii, qua Auriacus in re ancipiti ſemper votorum compos fieri noverat, ſuis coloribus depinxit Auctor vitae Gul. I. Tom. III. p. 183.

Digitized by Google

ſchotanus, in quem paullo ante Flandriae Praefectura erat collata, turbarum Gandavenſium oportunitate, a populo in tumultum concitato, cum plerisque Gulielmi I aemulis (*d*) in carcerem conjectus eſt. Erant tamen plurimi inter Proceres, qui captivitatem hanc, ſub nomine populi ſeditioſi, opera maxime Franciſci Ketullii, Ryhovii Toparchae, & Joannis Embiſii, perpetratam, ipſius Principis vindictae, modum excedenti, adſcribebant, & indignabantur, qua procellam, ſibi ab hoſtibus intentatam, in illorum (*e*) caput derivavit. Vt igitur rei hujus

(*d*) Hiſtoriam hanc nobilium illorum captivorum prae ceteris Auctoribus adcuratiſſime deſcripſerunt Bern. Junius Tom. I. Hiſt. Gandav. p. 310-314. & ex urbis Aldenardae Archivis Ludov. Robynius, libello Belgice edito Gandavi 1753. ſub titulo, *Hiſtoria haereticorum Motuum in urbe Aldenarda agitatorum*, toto cap. XVIII. inter illos tamen male a Dinotho etiam relatum fuiſſe Campiniacum notat Hooftius Lib. XII. p. 542.

(*e*) Ita loquitur Aubertus Maurerius in Comment. Gall. Hiſt. Holland. pag. 70. *Ainſi le Prince d'Orange, par ſa prudence, & par ſa bonne conduite, fit tomber ſur ſes ennemis la tempête, qu'ils avoient excitée pour le perdre.* Et ipſe Taſſius Lib. IV. Comment. pag. 286. fatetur, *fruſtratos fuiſſe auctores operis, ut, dum imperium Auraici peſſumdare atque in nihilum redigere conantur, illud ipſum corroborarint ac prorſus confirmarint.* Certe alii etiam Hiſtorici teſtantur, rem, ſi non juſſu Arauſionenſis Principis, ſaltem eo conſcio neque invito, peractam fuiſſe; ut vel ex ſolo Ryhovii cum Principe Auriaco & Aldegondio patere poteſt colloquio, quod narrant Meteranus Lib. VII. fol. 138. Hooftius Lib. XII.

jus invidiam vel leniret, vel a ſe averteret Gulielmus, Gandavum miſit Arnoldum Dorpium, qui ſuo nomine apud Ordines intercederet, ut Arſchotanus Dux e carcere dimitteretur, quia, ut (*f*) Thuanus inquit, *ſolus ille nihil poterat, ceteris, pro quibus interveniſſe videri voluit, ſub cuſtodia retentis.* Hoc quaſi beneficio Arſchotanum, hoſtium ſuorum coryphaeum, ſibi devincire, vel illius erga ſe odio benignitatem opponere, vel ſaltem facti a plerisque culpati indignationem minuere voluiſſe videtur. De ceteris vero captivis dubia & incerta fluctuabat ſententia, quia, ſi omnes ſui faceret juris, populum, cui exoſi erant, exacerbaret, ipſosque magis adhuc inplacabiles & vindictae cupidos redderet adverſarios; con-

XII. p. 540. 541. Bern. Junius T. I. Hiſt. Gandav. pag. 311. aliique: & apertius factum hoc Auriaco adſcribit Carolus Cuſtiſius in Annalibus Brugenſ. Tom. III. pag. 19. ed. ult. quamquam Reidanus Lib. II. Annal. pag. 22. ed. Lat. rei culpam a Principe amoliatur, & ipſe Gulielmus I. in Apolog. II. p. 128. & 129. ſe contra Philippum defendat, qui Auriacum inſimulaverat, tamquam vi & armis ſe Brabantiae Ruardum conſtitui, & ſeditione Gandavenſi Praefectum Flandriae ſe creari, curaſſet.

(*f*) Lib. LXIV. §. 12. p. 558. valde invito Ryhovio ex carcere dimiſſum fuiſſe Ducem Arſchotanum, & fruſtra Delegatos Flandriae Walonicae pro Raſſinghemio interceſſiſſe, narrat Bern. Junius Tom. I. Hiſt. Gandav. pag. 321. vide & Fr. Haraeum Vol. II. Ann. Brab. pag. 267.



Digitized by Google

continuata vero eorum captivitate, multorum Nobilium, illis adhaerentium, iracundiam augeret (*g*). Matthias igitur, videns longe majorem eſſe Principis Auriaci in Belgio auctoritatem, quam illorum Procerum, quorum ſuffragiis huc arceſſitus erat, poſthabitis Ducis Arſchotani partibus, cujus conſilia per hanc captivitatem irrita jam erant facta, ſatius eſſe duxit, Ordinibus & Principi Arauſionenſi ſe adjungere, quo comite, & Gunthero Schwartsburgico, Joanne Naſſavio, aliisque Viris primariis ſtipatus (*h*), Antverpiam & Bruxellas abiit, ubi d. 18. Jan. an. 1578. Belgii Praefectus inauguratus eſt; ut ipſe etiam Auriacus, ſplendido in urbem (*i*) Gandavum, ad res illic ordinandas, introitu, magnifica cum pompa a Magiſtratibus civibusque illic exceptus fuit. Joannes vero Auſtriacus, tam male de Ordinibus meritus, tamquam Pace violata, fractoque Foedere, adnitente praeſertim Gulielmo Principe, ab iisdem Ordinibus palam

(*g*) Vide Languet. Epiſt. Secret. Lib. I. Ep. 130. pag. 337.

(*h*) Antverpiae magnificentiſſime exceptum, & in D. Michaëlis Coenobio habitaſſe, quod antea incoluerat Arauſionenſis, ſed qui tunc in Fuggerorum aedes conceſſit, ſcribit Languetus dict. Lib. I. Ep. 127. p. 329.

(*i*) Vide Haraeum Vol. II. Annal. Brab. p. 272. Hooftium Lib. XII. p. 547. & Bern. Junium Tom. I. Hiſtor. Gandav. p. 326. & ſeqq.

Digitized by Google

lam hoſtis patriae (k), Edicto promulgato, declaratur, omnesque ejus adſeclae, velut rebelles, proſcribuntur, bonis fiſco adjudicatis, & ad cauſſam dicendam citantur.

Auſtriacus vero, quum Ordines ſe contra eum, tamquam hoſtem publicum, armarent, ut damna nuper ſibi inlata conpenſaret, ex Italia revocavit militum Hiſpanorum, Italorum & Burgundorum legiones, quas antea ſecundum Edicti Perpetui pacta ex Belgio quum emigrare juberet, ei praedixerat Sanctius d'Avila fore, ut brevi illas pede relato revocare neceſſe haberet, quibus Ducem a Rege praefici deſideraverat Alexandrum Farneſium (l) Parmenſem, cujus virtutem mi-

(k) Exſtat hoc Edictum apud J. B. Taſſium Lib. IV. Comment. p. 274. & ſeqq. & vide de eo Thuanum Lib. LXIV. §. 12. Haraeum Vol. II. Annal. Brab. p. 268. Borrium Lib. XI. p. 904. & ſeqq. & Auctorem vitae Gul. I. Tom. III. p. 146-154. eosdem Ordines etiam literas ad Regem Hiſpaniae ſcripſiſſe, ſi, revocato Jo. Auſtriaco, adminiſtrationi Belgii ſuo ſuffragio Archiducem Matthiam praeficere vellet, ſe illi, tamquam Regis Legato, & locum tenenti, certis obtemperaturos conditionibus; a ſua autem parte Auſtriaeum Viennam ad Rudolphum miſiſſe Marchionem Varembonium, & ab Imperatore petiiſſe, ut fratrem Matthiam domum redire juberet, ſibique concederet milites in Germania conſcribere, ſed utrumque Auſtriaco negaſſe Imperatorem, eique Pacem cum Belgis faciendam ſuaſiſſe, memorat Languetus Lib. I. Epiſt. Secret. Ep. 128. pag. 332. ut & pag. 344.

(l) De illius natalibus, fatis, ingenio & meritis, omnium adcuratiſſime diſſeruit Fam. Strada Dec. I. de Bell. Belg. Lib. IX. pag. 449-455.

Digitized by Google

militarem in bello contra Turcas, navali praeſertim ad Lepantum praelio, expertam, habebat perſpectiſſimam. His viribus, praeter legiones aliquot Germanicas, etiam acceſſerunt cohortes, quas e Gallia in ejus auxilium adduxit Carolus Mansveldius, Petri Erneſti (*m*) filius, unde numeroſum ſatis collegit exercitum, in cujus cohorte praetoria Auſtriaco praeferebatur vexillum cum Crucis imagine, & addita epigraphe, qua jactabat, ſe, ut in hoc ſigno Turcas vicerat, in eodem (*n*) quoque Haereticos victurum. An-

(*m*) Ejusdem nimirum Petri Erneſti Mansveldii, qui antea agmen duxerat peregrinorum militum, e Belgio excedere juſſorum, ut ſupra notatum pag. XXVIII. De his copiis Gallicis, a Carolo Mansveldio e Francia, ubi a Guiſio Duce exauctoratae erant, in auxilium Auſtriaci adductis, legi meretur Languetus in Epiſtolis Secretis Lib. I. pag. 330. 336. 339. 352 & 355. ubi inter alia ſcribit; *mirum id ſibi videri, quia Regem Galliae adfirmabant omnes ſuis interdixiſſe ſubditis, ne cuiquam militarent adverſus Ordines Belgicos, & ne commeatu aut ulla alia re hoſtes eorum juvarent. Sed videntur*, addit, *Galli jam perſuaſi eſſe ſibi licere non praeſtare ea, quae promittunt.* Easdem tamen copias brevi poſt in Franciam rediiſſe tradit, militibus imperium Mansveldii detrectantibus, quem pecuniam ad ſtipendia iis ſolvenda miſſam in ſuos convertiſſe uſus criminabantur. Carolum vero hunc Mansveldenſem Comitem miſerabili & ſingulari morte non diu poſt in Gallia periiſſe, ſerpentibus per varios corporis meatus magna copia erumpentibus, ſcribit idem Languetus, licet narrationi vix credulus, Epiſt. CXLV. fin. pag. 741.

(*n*) Vid. Thuanum Lib. LXVI. initio. Stradam Dec. I. de Bell. Belg. Lib. IX. p. 465. Dinothum Lib.

Digitized by Google

Antequam vero in Ordines irrueret, Edicto d. 25. Jan. publicato (o), bellum illis ſollemniter denuntiavit. Fatendum eſt, a parte Ordinum res ad bellum hoc non ea, qua par erat, induſtria & vigilantia tunc paratas fuiſſe, ut vires aequas valido exercitui opponere, victoriamque de Hiſpanis ſibi polliceri poſſent. Neglectum erat Auriaci Principis conſilium, quo plures in Germania copias conſcribi ſuaſerat, hoſtemque ultro adgrederentur, neque vim tantum inlatam repellerent, ut ſcribit (p) Haraeus. Hinc Auſtriaco agmen in agro Namurcenſi adverſus Belgas movente, vicit ſententia, bellum non aperte gerendum, ſed retroducendum eſſe exercitum. Conſilii voto ſuo oportuni certior factus Joannes, primum a Ruremondae obſidione Comitem Hohenloum abigit, Venloamque ſe referre cogit; exerci-

Lib. IV. p. 261. & Maurerium in Comm. Gall. Hiſt. Holl. pag. 72. Exercitum ejus conſtitiſſe ex xx. circiter millibus militum ſcribit Bern. Junius Tom. II. Hiſt. Gandav. pag. 4. licet xvi. millia peditum, & duo millia equitum numeret tantum Haraeus Vol. II. Annal. Brab. pag. 273. & Mich. ab Iſſelt pag. 586.

(o) Edictum hoc exſtat apud Borrium Lib. XII. p. 932.

(p) Vol. II. Annal. Brab. p. 273. *Orangius vero offenſivo bello agendum, Auſtriacumque, antequam majores copias colligeret, Belgio expellendum conſulebat ac urgebat. Verum hoc Orangii conſilium, diverſitate opinionum obſtante, expleri non potuit.*

* * * * * *

Digitized by Google

citum vero Comitis Lalinii, Namurco potiri meditantis, inde repellit, ſumtisque animis, & mora amputata, recedentium tergis inſiſtit, de quibus, virtute praeſertim Farneſii Parmenſis, inſignem prope Gemblacum retulit victoriam (*q*), exigua ſuorum, ſed

(*q*) Nimis tamen jacturam Ordinum exaggerant & caeſorum numerum coacervant Scriptores, partibus Hiſpanorum propitii. Eam ad 10000. augent Strada Dec. I. de Bell. Belg. Lib. IX. p. 468. & Bern. Junius T. II. Hiſt. Gandav. pag. 4. jactantque a parte Auſtriaci X. vel XII. tantum periiſſe milites; 600. praeterea captivos recenſent, ſuſpendio mox ab eo necatos, 34. ſigna cum omnibus machinis & adparatu bellico. Octo millia cecidiſſe ſcribit Haraeus Vol. II. Ann. Brab. p. 274. & addit, duo tantum millia Hiſpanorum pugnaſſe, e quibus vix 200. perierint. Septem millia peditum caeſa captaque, Scotosque ſuperſtites in fluvium praecipitatos, decem e Regiis tantum deſideratis, dicit J. B. Taſſius Lib. IV. p. 293. & 294. Haec fidem omnem ſuperant, & imaginem nobis referunt dubiae veterum ſcriptorum fidei, quando Darii & Alexandri congreſſus memorant. Ipſum Auſtriacum, literis poſt pugnam Namurcum ad virum quemdam Nobilem ſcriptis, gloriatum fuiſſe, 600. ſuos Equites, & 10500 pedites totum Ordinum exercitum profligaſſe, trucidaſſe 7000. milites, & 10500. cepiſſe; ex ſuis vero, duos tantum occiſos, octo vulneratos fuiſſe, ſcribit Languetus Lib. I. Epiſt. 136. p. 350. Majorem fidem mereri videtur Bentivoglius P. I. de Bell. Flandr. Lib. X. in fine, qui tradit tria millia ex Ordinum copiis cecidiſſe, ſed magnum captivorum numerum fuiſſe. ubi pag. 534-537. exhibet ille ſcriptor Orationem J. Auſtriaci, ad Duces militesque ante praelium habitam, multo ſtyli artificio ad Livii exemplum a Bentivoglio, ut ſaepe ſolet, exornatam. Hanc autem cladem cum quadam verborum in Belgas contumelia deſcribit idem Languetus Lib. I. Epiſt. 134. pag. 345.

Digitized by Google

ſed cruenta Ordinum ſtrage, ipſaque Gemblaco urbe potitus, victricia arma ulterius circumferens, varia adhuc (*r*) Brabantiae &

345. refertque, Ordines *ſtultitiae ſuae graves dediſſe poenas, fuſasque eorum copias fuiſſe, quas prope Namurcum per totam hiemem in caſtris otioſas habuerant, neque eas inde abducere, aut majora ſubſidia mittere voluiſſe, licet non ignorarent, J. Auſtriacum adventare cum exercitu, cui nequaquam futurae eſſent pares.* ſubjungit vero, famam fuiſſe, ſex aut ſeptem millia Foederatorum periiſſe, ſed alios adfirmaſſe, vix tria millia cecidiſſe, quorum maxima pars Scoti erant. Cauſſam autem cladis praecipuam fuiſſe narrat pag. 347. & 348. abſentiam Comitis Lalinii, aliorumque Ducum, qui exercitu relicto ad nuptias viri Illuſtris in vicinia celebrandas ſe contulerant, vel Bruxellas abierant ad ſpectandam Archiducis Matthiae inaugurationem; alteram vero adnectit de pecunia intercepta, quae, ad ſtipendia militibus adnumeranda, erat miſſa, unde Walones, primi pugnam detrectantes, ceteris quoque ſeditionis exemplum dederint. Primam cauſſam abſentiae Lalinii ac ceterorum Ducum, Bruxellas ad nuptiarum ſollemnitatem celebrandam profectorum, etiam memorat Maurerius p. 71. ad quem Amelottus Huſſaeus in notis pag. 139. ed. Lond. indicat, fuiſſe nuptias viri Nobilis Berſellii cum filia Illuſtris Mirodii.

(*r*) Singula utriusque tractus oppida, ab Auſtriaco capta, adcurate recenſuerunt Thuanus Lib. LXVI. §. 2. 4. & 5. Dinothus Lib. IV. p. 262—264. J. B. Taſſius Lib. IV. Comm. p. 269—300. & Hooftius Lib. XIII. p. 559—561. Montibus tamen Hannoniae, quibus etiam metuebatur, proſpexiſſe Comitem Lalinium, neque magnos deinde progreſſus feciſſe Auſtriacum, & fruſtra inhiaſſe Trajecto ad Moſam, Mechliniae, & Bruxellis ipſis, ubi ad cladis Gemblacenſis nuntium ingens terror ac trepidatio fuit, qua correptus populus vim inferre tentavit Proceribus illis, quorum conſiliis hoc

& Hannoniae oppida occupavit. Succeſſu rerum tam inflato animo inſoleſcebat Jo. Auſtriacus, ut captivis Nobilioribus, ipſoque Goignio, copiarum Praefecto, ad manum ejus oſculandam adductis, ferociter ingeſſerit (*s*), *ſic frangi a Deo contumaciam illorum, qui contra Regem ac Religionem inpie rebellaverant, & hoc uno praelio eos doceri, quantum juſta Regiae Majeſtatis cauſſa Deo cordi eſſet.* Hos ſpiritus gerens Auſtriacus non reminiſcebatur dubiae, variabilis, & incertae belli vitaeque aleae, ut ipſe non diu poſt ultimo ad Rimenantam praelio expertus eſt, quo certe ſenſit juſtam illam Regiae Majeſtatis cauſſam Deo non adeo cordi fuiſſe. Et tamen Auſtriacum *in victoria hac non minus modeſtum ac clementem erga victos, quam in bello conſtantem fortemque ſe exhibuiſſe*, ſcribit (*t*) J. B. Taſſius.

Victos interim Belgas *ſpe pacis tentare*, ut dicit Grotius (*v*), *Regi placuit, Barone Sellefio conditiones ferente ex Hiſpania, diver-*

bellum erat adminiſtratum, neque ipſi Archiduci pepercisse; ſed interventu Auriaci Principis motus ſedatos fuiſſe, patet ex Epiſtolis Langueti Secretis p. 347. 348. 354. 362. & 363.

(*s*) Vid. Stradam Dec. I. de Bell. Belg. Lib. IX. p. 468. & 469. & Hooftium Lib. XIII. p. 558.

(*t*) Lib. IV. Comm. §. 32. p. 294.

(*v*) Lib. III. Ann. pag. 54.

Digitized by Google

*verſas a pactis Gandavenſibus, & quibus Joannis praefectura non mutabatur.* quibus verbis innuit, hoc anno 1578. ex Hiſpania, in quam ſuperiore anno erat miſſus, tandem rediiſſe Joannem Norkarmium (*x*) Selleſium, qui ſecum adferebat dilatum diu Regis reſponſum ad literas Ordinum, quibus illi, de Auſtriaco graviter queſti, alium in ejus locum a Philippo Succeſſorem mitti petierant. Sed in his literis Regiis, nulla de revocando Auſtriaco facta mentione, ab Ordinibus tantum exigebatur, ut Romanenſis religionis cultum, & obſequium Regiae Majeſtati debitum, vindicarent ac reſtituerent, ut publicae adminiſtrationis ſummam in illam revocarent formam, quae tempore Caroli V. obtinuerat, utque Princeps Arauſionenſis ſe obſidem ſiſteret apud Jo. Auſtriacum, vel alium, cuicumque Rex fidem haberet. Ex his facile intelligentes Ordines, Philippum ipſum non minus quam J. Auſtriacum id unice

(*x*) Idem hic Selleſius, qui poſtea, quum Hiſpani an 1580. Buchanium fruſtra tentarent, a Juſto Villerſio captus, & Caſtello Zelandiae Rammekenſi incluſus, quadriennio poſt ex animi aegritudine & adverſae fortunae inpatientia, quum Hiſpanus Rex negaſſet illum cum captivo La Noyio permutare, multa queſtus de ingrata mercede a Philippo ſuis ac fratris meritis reddita, illic obiit. vide Busbecquii Epiſt. XLIV. Legat. Gall. p. 557. Thuanum Lib. LXXI. §. 8 & 9. & Borrium Lib. XIV. p. 198.

ce agere, ut omnem a Foedere Gandavico, in quod ſuperiore anno conſenſerant, ſed cujus pactis tam iniqua & inportuna adverſabantur poſtulata, recedendi occaſionem quaererent, reſponſum hoc Regium belli denuntiationem judicantes, & inſidioſas has conditiones (y), quibus inludere Belgis magis, quam ſerio Pacem expetere videbatur, indignabundi repudiarunt, &, quia Parmenſis cum exercitu novo huc venerat, ut Belgium armis opprimeret, ſe alias rationes, ope vicinorum & amicorum Principum inituros eſſe (z), reſponderunt. Neque diu poſt cum Im-

(y) Earum abſurditatem ex merito irridet Languetus Lib. I. Secr. Epiſt. 141. p. 360.

(z) De hoc Ordinum reſponſo vide Meteranum Lib. VII. p. 142. Thuanum Lib. LXVI. §. 3. p. 600. Dinothum Lib. IV. p. 266. & Stradam, ſed qui veris falſa inſerit, Dec. I. Bell. Belg. Lib. X. pag. 488. Plurima inſtrumenta huc pertinentia, quae libro ſingulari Antverpiae apud Chriſtoph. Plantinum anno illo 1578. excuſa fuerunt, habet Borrius Lib. XII. Hiſt. p. 938-943. Veriſſime dicit Grotius, loco ſupra indicato, *Conditiones, a Barone Selleſio ex Hiſpania allatae, diverſae a pactis Gandavenſibus, & quibus Joannis Praefectura non mutabatur: quod tunc ſatis viſum, cur recuſari deberent. Noſſe enim ſe Belgae tum primum ceperant.* Quod vero peteret Philippus, ut Belgium eo modo adminiſtraretur, quo tempore Caroli V, quid aliud erat, quam Belgis Abderitana objicere pectora, ut bellum, tam diu ad jugum Inquiſitionis avertendum ab iis geſtum, ab ovo iterum ordirentur. recte igitur hac de re judicat Languetus Lib. I. Epiſt. Secret. p. 360. *Tempore Caroli Imp. capitali ſupplicio in Belgio adficiebantur illi, qui a religione Pontificia judicabantur eſſe*

Digitized by Google

Imperatore Rudolpho agi coeptum eſt, qui Legatum hoc tempore in Belgium miſerat Othonem Henricum Comitem Schwartzenbergium, ut obſervaret, ne quid Matthias Archidux, aut Arauſionenſis Princeps, in domus Auſtriacae detrimentum molirentur, &, licet multa de propenſa Caeſaris in Belgas voluntate praefaretur, duo tamen prae ceteris mandata Ordinibus exponeret, ut religionis Romanae conſervandae, & legitimi obſequii, Philippo debiti, rationem haberent. Ad haec Ordines, rerum a ſe geſtarum cauſſam ſtrenue agentes, J. Auſtriaci perfidiam, ejusque aſſeclarum inprobitatem, ſurdas ad juſtiſſima poſtulata ſua Regis Hiſpaniae aures, & ſeveritatem in Belgas exercitam, Imperatori graviſſimis verbis ante oculos expoſuerunt, Caeſaremque obteſtati ſunt, ut Belgio, tot calamitatibus preſſo, velut

*eſſe alieni, in eosque diligenter inquirebatur. Jam vero ſunt longe alia tempora*, &c. *Stulte igitur faciunt Hiſpani, ſi ſperant Belgas ſua ſponte ſubituros illud jugum, quod jam ſe abjeciſſe putant, cum praeſertim res ipſorum non ſint ita deploratae, ut Hiſpani certam de ipſis victoriam ſibi promittere poſſint.* Exemplum vero literarum Regis Philippi a Selleſio Ordinibus exhibitarum, una cum ſimilibus J. Auſtriaci literis, quibus tam abſonae proponebantur Conditiones, a ſe viſum ſcribit idem Languetus pag. 364. & adjungit: *Haec quidem magnifice dicuntur a Rege Hiſpaniae, & J. Auſtriaco, ego tamen nihilominus puto eos eſſe cupidiſſimos pacis, cum res ipſorum quotidie fiant deteriores, & pecunia plane deſtituantur.*

velut non minimae Imperii ſui parti, ſuccurreret, Ordineſque, Matthiam, & Auriacum Principem, adjuvaret ſua auctoritate (*a*), qua Pacem aequo jure inter Regem ac Belgas ſtabiliret. Hac in re non ſine ratione animadvertit Hooftius, mirum videri poſſe, Imperatorem, inſtituta hac Legatione, Ordinibus aperuiſſe prolixam animi voluntatem Belgio opitulandi, quum huc usque omnia caute evitaſſet, quibus Philippum in cauſſa Belgarum aliquo offenderet. Sed adjungit Hooftius, ſibi quodam tempore a conſanguineo Petro Hooftio, Jo. Fil., narratum fuiſſe, Imperatorem Rudolphum, ſecum aliquando in Arce Pragenſi de ſtatu Belgii colloquentem, dixiſſe, *ſi res juris & aequi eſſet, regiones Belgicas ſibi debere.* ſive hoc dicto queſtus fuerit Imperator de injuria a Carolo V. domui ſuae facta, quum Philippo potius, quam avo ſuo Ferdinando, Belgium cederet; ſive reſpexerit ad jus feudi, quod poſtea hic Caeſar ſibi vindicare voluit, cum ageretur de Conditionibus, ex quibus deinde promanarunt Induciae duodecennales. Ne-

(*a*) Haec Ordinum reſponſa ad Comitis Schwartzenbergii propoſitiones, nomine Imperatoris factas, Gallico idiomate tunc edita Antverp. apud Chr. Plantinum. & vide de illis Thuanum Lib. LXVI. §. 7. p. 603. Borrium Lib. XII. p. 935. & ſeqq. & Hooftium Lib. XIII. p. 566.

Digitized by Google

Neque tantum opem Imperatoris, ſed etiam copias auxiliares Joannis Caſimiri, Electoris Palatini, ultro oblatas, & ſubſidia (*b*) Eliſabethae, Angliae Reginae, Legato ad eam miſſo Carolo Philippo Croviaco Havraeo, ſibi impetranda cenſuerunt Ordines, ut juſto (*c*) exercitu & majoribus viribus bellum, quod neceſſario gerendum videbant, Jo. Auſtriaco ipſi inferrent. Denique & Franciſci Valeſii, Audini & Alenzonii Ducis, Belgio dudum inſidiantis, ſpontaneam operam amplectendam rati ſunt, quo tamen in has terras ſemel evocato, doloſam deinceps equi Trojani machinam ſe huc adtraxiſſe experti fuerunt Belgae, licet tunc, Regina Angliae nequidquam indignante, tanto in hunc (*d*) Alenzonium ſtudio ducerentur

(*b*) Illam tamen tot auxilia, quae votis Ordinum reſponderent, tunc mittere prohibitam fuiſſe propter turbas in regno ſuo commotas, inter quas Comes Arundellius in carcerem conjectus, alii ſupplicio mactati ſunt, ſcribit Languetus Lib. I. Secr. Epiſt. 138. pag. 355.

(*c*) Adcuratum Indicem omnium copiarum & cohortium, additis Ducum & Praefectorum nominibus, qui illo tempore ſub vexillis Ordinum militarunt, exhibet Borrius Lib. XII. p. 948.

(*d*) De hac Alenzonii electione ſic ſcribit Vlricus Huberus, Tom. II. Hiſt. Civ. pag. 399. *Hoc erat tempus, quo, ſi Gulielmus Arauſionenſis acer in armis fuiſſet, & milites aeque ac cives regere & circumagere potuiſſet, ſuas & Ordinum res ſtabilire potuiſſet. Sed, hu-*

tur plurimi, a Principe Auriaco ad id permoti, ut, ſimul cum imperio copiarum bellicarum,

*jus bellici vigoris & unionis inde dependentis defectu, ad exteros confugiendum fuit.* Alenzonium hunc, obnitentibus licet Hollandis, Zelandis, & Vltrajectinis, a Belgii Ordinibus Generalibus, commendatione praeſertim & ſtudio Principis Auriaci, an. 1580. electum fuiſſe conſtat, eo ſcilicet conſilio, quod adfirmant nonnulli, ut, cura aliarum regionum, Flandriae nempe & Brabantiae, huic demandata, & ejurato Hiſpaniae Rege Philippo, ultimo Hollandiae Comite, ipſe ſupremam ambitionis metam, diu animo concupitam, pertingeret, Comitatum ſcilicet Hollandiae ac Zelandiae. vide Auct. Vit. Gul. I. T. III. pag. 386. & ſeqq. Huc forte referri poteſt typus Numi memorabilis, in populum ſpargendi eo die, quo ſe Comitem Hollandiae inaugurandum animo praeceperat Gulielmus, in quo Batava Virgo cum Libertatis inſignibus ſedet inter duos Leones, evaginatis gladiis horti Belgici ſepimentum defendentes, apud G. Loonium Tom. I. Hiſt. Num. Holl. pag. 343. ex quo emendanda eſt Numi epigraphe falſa & vitioſa apud Stradam Dec. II. Bell. Belg. Lib. V. pag. 289. Epiſtolam, Arauſionenſi minime honorificam, de ſummo Belgii regimine ſecum participando ad Alenzonium ſcriptam, memorat Haraeus Vol. II. Annal. Brab. p. 315. & 316. traditque, Parmenſem literas iſtas omnibus oſtentaſſe. Sed non ſine cauſſa alii de fide hujus Epiſtolae dubitant; & ipſe Gulielmus I. eam ſuppoſititiam & ab hoſtibus fabricatam fuiſſe adfirmat in literis ad Belgii Ordines Delftae d. 25. Jan. an. 1581. exaratis, quae leguntur poſt illius Apologiam pag. 172. & ſeqq. Cauſſam vero, qua tam propenſo in Alenzonium & Gallos animo agebatur Gulielmus, derivant ex tertio quartoque cum Carola Borbonia & Ludovica Colignia matrimonio, vel ex politico ejus axiomate, a quo dimoveri ſe non patiebatur, ſalutem Belgii ſine Franci Regis auxilio vindicari non poſſe. Deteſtabilis tamen per-

Digitized by Google

rum, titulum *Defenſoris Libertatis Belgicae contra Hiſpanorum tyrannidem* in eum con-

perfidia hujus Alenzonii Ducis, qua an. 1583. Antverpiam intercipere, ferro & igne illic graſſari, & lanienae Pariſienſis imaginem exhibere adniſus eſt, fraudulentas ejus & Belgio exitioſas, ſi ſucceſſiſſent, machinationes adeo manifeſtavit, ut titulum illum *Defenſoris Libertatis Belgicae* temere ipſi delatum indignarentur plurimi, eumque *Proditorem* potius agnoſcerent; unde & magnam invidiam & odium Princeps Auriacus ſibi contraxit, praeſertim, quum, poſt facinus hoc ab Alenzonio perpetratum, nihilominus reconciliationem cum eo ineundam Ordinibus ingerere non deſiſteret. Haec vero Brabantinorum, & prae ceteris Antverpienſium, a Gulielmo alienatio, omnem, quo huc usque eum proſecuti erant, & praeſertim, quum paullo ante a ſubornato percuſſore illic fere letaliter vulneraretur, amorem & venerationem, in vehementiſſimam mutavit exacerbationem, adeo ut eum non diu poſt ex Curiae Vrbanae feneſtra ſe praecipitaturos minarentur, ſi Alenzonium Galloſque reducendos ſuaderet: ut ſcribit Busbecquius Epiſt. XVII. Leg. Gall. p. 501. longe aliter certe, quam an. 1577. erga Auriacum, in Curia cum Senatu diutius, quam ſperaverant, haerentem, ſe geſſerant Bruxellenſes, quod narrat Languetus Lib. I. Epiſt. Secr. Ep. 125. pag. 324. Sed plura de hac Antverpienſium & aliorum Belgarum in Principem Auriacum indignatione & odio, ex quo per totum biennium voti ſui de Comitatu Hollandiae & Zelandiae conpos fieri non potuit, & quum, an. 1584. animis jam mitigatis culmen illud fere adſcendiſſet, nefaria tamen parricidae manu ex iſto gradu dejectus eſt. idem habet Busbecquius Epiſt. XVII. p. 499. Ep. XXI. pag. 511. Ep. XXII. p. 512. & praeſertim Ep. XXIV. p. 520. & 521. Argumenta vero, quibus cum Alenzonio in gratiam redire, Ordinibus perſuadere tentavit Arauſionenſis, ſpecioſa magis, quam ſolida, fuiſſe oſtendit Auctor ejus Vitae Tom. III. p. 556-572. addita & in exem-

Digitized by Google

conferrent. Certe ſi temporum illorum faciem & Belgii conditionem ancipitem adeo ac vacillan-

exemplum laudata Ordinum Hollandiae, maſculis verbis indignationem Principi exponentium, admonitione. Denique Alenzonium, illum *Belgarum Liberatorem*, ſequenti anno, contracta ingenti animi aegritudine, propter temerariam & irritam expeditionem Antverpienſem, qua Phaëtontis inſtar magnis auſis exciderat, & vim conſilii expertem mole ſua ruere expertus erat, (quo reſpiciunt Numorum typi apud G. v. Loon Tom. I. Hiſt. Numiſm. Holl. pag. 328. & 330.) praeſertim quia concoquere non poterat decretum, quo Magiſtrâtûs Antverpienſes diem nefaſtum 17. Jan. an. 1583. tamquam *Gallifugium*, quotannis ſollemniter celebrari, Deoque gratias annuas agi juſſerant; in tabificum inci-diſſe morbum, atque in flore juventutis, anno aet. XXXI. in caſtro Theodorici (*Thierry*) obiiſſe, Scriptores tradunt. Ex iſta enim animi aegritudine confectum fuiſſe, veroſimilius videtur. Haraeus certe Vol. II. Annal. Brab. p. 362. ſcribit, *Alenzonium, maerore conſumtum, quod, tam ignominioſe Antverpia ejectus, ſuſceptum Belgarum Principis ac Liberatoris titulum, nec ſuo nec Fratris Franciae Regis auro potentiave, defendere potuiſſet.* & huic conſentit Strada Dec. II. de Bell. Belg. Lib. V. p. 285. *Ex eo tempore aeger animo, mox etiam corpore, nullum maeroris allevamentum admiſiſſe viſus eſt: ſedulo apud ſe reputans, ubi illa Liberatoris Belgarum adverſus injurias Hiſpanorum, ubi Brabantiae Ducis, ubi Flandriae Comitis quaeſita nomina? tantum ſanguinis* (in oppugnatione Antverpiae) *fuſum, tantum Nobilitatis amiſſum.* Vbi & aliorum traditionem de venenata potione Alenzonio miniſtrata explodit, quod tamen refert Bentivoglius Dec. II. de Bel. Flandr. Lib. II. p. 136. & ex ore Praefecti aulae Alenzonianae adfirmat Reidanus Lib. III. Ann. pag. 73. venenum illud juſſu matris Reginae Catharinae Mediceae ipſi datum fuiſſe, ſed Veneficum ſtatim, quum letales toxici vires ſentiret Alenzonius, ſe proripuiſſe. Thuanus etiam Lib.

Digitized by Google

lantem perpendamus, admirari ſatis non poſſumus, quomodo illud, quum ex prioribus, quae ineluctabiles videbantur, calamitatibus poſt Albani diſceſſum & Requeſenii mortem aliquod reſpirandi ſpatium eſſet adeptum, & tamen praefecturam J. Auſtriaci, patriae itidem exitioſiſſimam, Proceres merito averſarentur, &, quum toties nunc huic nunc illi Monarchae, velut Tutelari Numini, Imperatori nempe, Galliarum Regi, vel Anglorum Reginae, Principatum harum regionum obtuliſſent, ex confuſa tamen & indigeſta mole deinceps in bene ordinatam Rempublicam emergens, caput tandem extulerit, & non potius in dominium potentis alicujus Heri conceſſerit, quum inſtar Virginis luculenter dotatae, a plurimis procis ac rivalibus concupitae, tot eſſent Principes, qui ejus imperio avide inhiabant. Ab hac parte Regis Hiſpaniae

Lib. LXXIX. §. 16. p. 211. & 212. & hunc ſecutus Hooftius Lib. XX. pag. 900. & 901. ubi mortem ejus deſcribunt, quum antea dixiſſent: *Alenzonium, animo jam pridem aegrum, & ſtomacho nullum cibum admittente debilitatum, ſanguine ex omnibus corporis meatibus profluente, quaſi venis equitando ruptis, defeciſſe*; ſubjungunt tamen: *mortem ejus ſuſpicione veneni minime caruiſſe, &, ſecto corpore, eroſiones & hujusmodi notas intus repertas, a chirurgis relatum fuiſſe.* Sed, ut de hac medicata potione dicit Strada: *Ita ferme tradere ſolent ſcriptores in obitu Principum; quaſi vero communi privatorum fine decedere ob aequalitatis metum illis indecorum eſſet.*

Digitized by Google

niae Praefecti, omnem crudelitatis & perfidiae modum excedentes, jure exoſi, inviſi, & deteſtabiles fuerant; ab illa Princeps Arauſionenſis, poſt foedus inter Hollandiae Weſtfriſiaeque, deinde inter Hollandiae & Zelandiae Ordines, ſe auctore initum, poſt tot Vrbes foederatas, ab Hiſpanis in ſuas partes jam adtractas, poſt tot Regiones, quae eum Gubernatorem ſummum elegerant, non contentus Hollandiae, Zelandiae, Groningae, Friſiae, & Vltrajectinorum Praefectura in ſe collata, etiam Brabantiae & Flandriae, adeoque ſupremam univerſi Belgii adminiſtrationem hoc tempore nactus erat, cujus voto quum non pauci primariae dignitatis Nobiles obicem objicere tentarant, ex aula Imperatoria huc arceſſendo Matthiam Archiducem, ſed qui aetatis juvenilis inperitia tanto oneri inpar erat; iidem illi Proceres, Duci Andino faventes, nunc tandem ad Regis Galliarum Fratrem decurrere decreverunt, ut ſaltem aliquis peregrinus eſſet Princeps, cui Belgium in praedam cederet. Sed, ut memorabilibus Grotii (*e*) verbis hic utar; *Vndique confuſa hoc tempore Reſpublica fuit, velut indigeſta moles, & partibus diſcors; dum quaſi vacuum regimen rapiunt ſinguli, diverſa via. Et contra regnum quidem armis*

(*e*) Lib. III. Annal. p. 54. & 55.

Digitized by Google

*mis certabatur: ſed aliis laudata, principatus & leges: alii vires ſuas prae Venetis atque Helvetiis admirati, nec conſiderata diſſimilitudine, Optimatium nomine imperium diſtrahebant: aut etiam, quod dignitate ab aliis vincebantur, plebejae potentiae imminentes, vulgus, qua turbidiſſimum, ductu, voce concitabant, inclementes ſuſpicionibus, nec ullam probantes cum exceptione libertatem. Intus & palam partes & ſeditiones erant: nec eo minus bellum; lentum tamen, nec ſatis intentum tempori, quia pro ſtudiis copiae diſtinebantur. Amſtelodamum, quam maximam Hollandicarum Vrbium libertati defuiſſe diximus, Joanni Naſſavio tunc etiam fovebatur.*

Ordines igitur ad Comitia Imperii, Wormacjae a Caeſare Rudolpho indicta, ſplendidam miſerunt Legationem, in quibus Marnixius Aldegondius, poſtquam in itinere aulam Palatinam adiiſſet, & Joanni Caſimiro iter in Belgium cum ſuis copiis properandum perſuaſiſſet, Romano ore verba faciens, libera & maſcula (*f*) Oratione, d. 7. Maji ann.

(*f*) De hac Aldegondii Oratione vide Thuanum Lib. LXVI. §. 9. Borrium Lib. XII. pag. 953—960. ubi totam fere exhibet; Meteranum Lib. VIII. fol. 150. & Hooftium Lib. XIII. p. 571. & ſeqq. Contra eam prodiit tunc Luxenburgi violentiſſima Oratio, ſub fictitio cujusdam Cornelii Calidii Chryſopolitani nomine evulgata, quae tota

Digitized by Google

ann. 1578. habita, Caeſari & Principibus Imperii miſeram Belgii conditionem expoſuit, illorumque opem eo magis inploravit, quia commune periculum erat, ſi belli hujus incendium latius proſerperet, & Coloniam, Monaſterium, Embdam, aliasque regiones vicinas, quibus jam dudum inhiaverant Hiſpani, pervaderet; rogatque, ut prohiberent, ne quis Jo. Auſtriacum, aut qui ejus partibus adhaerebant, armis vel commeatu adjuvaret. Haec Aldegondii egregia Oratio, licet integro quidem ſucceſſu deſtituta & inpedita fuerit per Legatos, quos ad haec etiam Comitia Jo. Auſtriacus miſerat, hunc tamen fructum Belgis adtulit, ut plurimi Germaniae Principes, de harum regionum ſtatu melius edocti, benignius in poſterum erga hunc populum animati fuerint, &, licet tunc quidem auxilium petitum Belgis non conceſſerint, Paci tamen conciliandae operam ſuam addixerint, unde enata deinde fuit Pacificatio Colonienſis (*g*), inſtinctu praeſertim Impera-

tota continet acerbam in Belgas, tamquam adverſus Deum Regemque rebellantes, invectivam.

(*g*) Vid. Ger. Loonium Tom. I. Hiſt. Numiſm. Holland. p. 273. Acta hujus Pacificationis Colonienſis, cui Schetzius Grobbendonckius, inter Legatos Ordinum Belgii etiam electus, interfuit, quo tempore illic *Orationem Exhortatoriam ad Pacem*, ſed ſuppreſſo ſuo nomine, edidiſſe Schetzium, teſtatur Valer. Andreas in Biblioth. Belg. pag. 257. plurimi deſcripſerunt; prae-

ratoris ſuſcepta, licet proſpero etiam eventu fruſtrata.

Vt

praeſertim Adolph. Meetkerckius, eodem nomine ac titulo illuc miſſus, libro Antverpiae & Lugd. Bat. apud Plantin. 1580. edito, adjectis notis, & optima Praefatione, quae fere continet Apologiam contra Hiſpanos pro Ordinibus, lectu digniſſima. Hunc vero librum indicari opinor a Meterano Lib. IX. fol. 158. *b.* ed. opt. an. 1652. ubi memorat *Deſcriptionem Pacificationis Colonienſis*, additque, ſingula iſtius Conventus Acta ab auctore notis illuſtrata fuiſſe, praefixa operoſa pro Belgis Praefatione, cujus ſummaria ibidem exhibet. Sed Deſcriptionem hanc Lugduni in Galliis an. 1586. quod prodiiſſe ſcribat, erratum forte in nota anni & loci, pro 1580. & Lugdunum Batavorum cum Lugduno in Gallia confuſum puto, ut patet ex Thuano Lib. LXVIII. §. 24. pag. 691. Certe ſolam illam, quae Antverpiae & Leidae an. 1580. excuſa eſt, (nam in utraque urbe typographiam habebat Plantinus) recenſet Valer. Andreas in Biblioth. Belg. p. 5. in fin. Belgico idiomate verſa etiam Leidae apud Carolum Silvium, Ordinum Hollandiae Typographum, prodiit eodem anno 1580. in qua editione Praefatio illa & notae etiam habentur. Hiſtoriam quoque Pacificationis hujus Colonienſis; & Legatorum, tam a parte Imperatoris & Ordinum, quam a parte Regis Hiſpani, conditiones oblatas, adcurate recenſuerunt Dinothus Lib. V. p. 306-321. Haraeus Vol. II. Annal. Brab. p. 295-298. & J. B. Taſſius Lib. V. Comm. p. 348-393. Sed doloſas hujus Conventus machinationes, a Philippo Hiſpano ſimulati & numquam ſerio acti, bene expoſuit Baudius Lib. I. de Induciis Bel. Belg. pag. 41-43. ed. in 4°. & Auctor Vitae Gul. I. T. III. p. 300. & ſeqq. quo reſpiciunt Numi, eo tempore ab Ordinibus cuſi, cum epigraphe, PRAESTAT PVGNARE PRO PATRIA, QVAM SIMVLATA PACE DECIPI, apud Loonium Tom. I. pag. 275. & Biſotum Hiſt. Numor. Reip. Holl. Tom. I. pag. 42. & 43. illos enim ad irritam hanc Pacem Colonienſem referendos eſſe, firmatur ex Thuano Lib.

Vt ad ultimos J. Auſtriaci adverſus Belgas conatus, ſed infelices, accedam, quia hanc re-

LXVIII. §. 18. p. 684. & Jo. Iſ. Pontano Lib. XIV. Hiſt. Gelr. pag. 938. nam erravit Erneſt. Eremundus de Orig. & Progreſſ. Tumult. Belg. p. 266. & hunc forte ſecutus Maurerius in Comm. Gall. Hiſt. Holl. pag. 72. qui perperam hos Numos retulerunt ad Hiſtoriam Malecontentorum Walonicorum, qui, pacem Religionis repudiantes, Principi Auriaco, Gandavi praeſertim, ſe oppoſuerunt. Gandavenſes enim prae ceteris, Ordinibus Flandriae illic congregatis, propoſitas hujus Pacificationis leges, adnitente Auriaco Principe, repudiarunt. vid. Bern. Junii Hiſt. Gandav. Tom. II. p. 191 - 194. Quam mala autem fide Philippus hanc Pacificationem inſtituerit, hinc praecipue, ut alia praeteream, patuit. Cum enim videret, pleraſque Belgii regiones ad illam admittendam permoveri non poſſe, animum Principis Arauſionenſis, cujus maximam eſſe auctoritatem noverat, corrumpere ac ſolicitare tentavit ad privatam pacem, inſciis Ordinibus, & Matthia Archiduce, ſecum ineundam, jactatis & per Comitem Schwartzenbergium oblatis Attalicis conditionibus de filio ejus, Burano Comite, ex cuſtodia Hiſpanica dimittendo, omnibusque Gulielmi dignitatibus in hunc conferendis, de inpenſis & bonorum jacturis, damnisque toto bello ipſi illatis, conpenſandis, & majoribus opibus, quam antea umquam habuerat, concedendis, ſi res Belgii deſerere, & Dillenburgum privatus ſe conferre vellet. vide Grotium Lib. III. Ann. pag. 66. & Reidan. Lib. II. pag. 39. Sed nimis integer ac cautus erat Auriaci animus, quam ut ullis promiſſis, quamlibet luculentis, vel montibus auri jactatis, ſe abſtrahi pateretur ab Ordinibus Hollandiae ac Zelandiae, qui ſociata ſecum opera tam animoſe tyrannidem Hiſpanicam repulerant, ipſumque Principem ad tantae auctoritatis faſtigium evexerant, ut futuram domus ſuae magnitudinem, in his terris jam ſtabilitam, lubricis & fallacibus Philippi, hoſtis jurati, & tamen haec dona ferentis,

Digitized by Google

rerum ab eo geſtarum telam, Commentarii Schetziani majori luce illuſtrandi & amplius ſupplendi cauſſa ſuſceptam, pertexendam mihi propoſui; addendum hic aliquid eſt de pugna ad Rimenantam, inter Liram & Herentaliam in Brabantia ſitam, decretoria, qua cladem Gemblacenſem duplicato foenore ipſi reddiderunt Ordines Foederati, & tempeſtivam de eo victoriam retulerunt virtute Maximiliani Henninii, Comitis Boſſuvii, ejusdem (*b*), qui ante quinquennium in praelio navali prope Amſtelaedamum captus, & trium annorum cuſtodia Hornenſi detentus fuerat. Hic enim,

tis, pollicitationibus mutaret, ac temere poſtponeret; ideoque reſpondit: *Se multis nominibus Hollandiae & Zelandiae Ordinibus nimis devinctum eſſe, quam ut eos tam perfide deſereret*; & obteſtatur: *Se neque fortunae, neque uxoris, neque ſobolis cauſſa in gratiam cum Rege Hiſpano rediturum, ſed ſe totum ſervitio Belgii & Ordinum fidelem manſurum.* ut ipſe narrat in Apologia ſua pag. 151-155. ſive in Append. ad Borrium T. II. p. 94. Ita *animus Principis*, ut dicit Grotius pag. 66. Annal. *praeter cauſſas diffidendi, divitiarum contemtor, eoque integer & incorruptus, ſatis babuit ſcire, quanto Hiſpanus redimeret ſui metum.* plura videri poſſunt apud Auct. Vitae Gul. I. T. III. p. 302. 306. ad p. 310. qui merito Principem ea propter valde laudat; ſed ſimul animadvertit, eum non minus, quam Philippum ipſum, clam huic Pacificationi adverſatum, quia illam ſuis commodis valde nocituram intelligebat, ideoque ante alia inſtitiſſe, ut reciperetur Religio Reformata, quam numquam admiſſurum eſſe Philippum ſatis noverat.

(*b*) vid. Langueti Epiſt. Secret. Lib. I. Ep. 140. pag. 385.

enim, fronte caſtrorum diligenter munita, Joannem Auſtriacum, longe numeroſiori exercitu fidentem, ejusdem, quo ad Gemblacum pugnaverat, ſucceſſus ſecurum, ſed nimia temeritate, Principi Parmenſi inprobata, Ordinum copias adgredientem, fortiſſime excepit, ut acri & calido per totum fere diem concurſu, ope praeſertim Scotorum, ſub Norritſio ac Stuarto intrepide pugnantium, & propter intenſiſſimum Solis aeſtum nudata fere corpora hoſtibus objectantium, Auſtriacum caſtra Belgarum perrumpere prohibuerit, ſuosque, non exigua ſtrage ſaucios, verſus Namurcum reducere coëgerit. Et tamen victoriam vaniſſima jactantia ſibi adſcribere non erubuit Auſtriacus, quae gloria ipſi non invidenda eſt, ſi palmam tribuere deceat illi, cujus exercitus, amiſſo majori militum numero, campum ſeu praelii theatrum hoſti cedere, & praecipiti fuga, ut graviori periculo ſe eripiat, alio pedem referre adigitur. Ridiculum enim ſe praebuit Adr. Meerbeeckius in Chronico ſuo (*i*), ubi refert, Auſtriacum nimium ſuorum ardorem inhibuiſſe, contentum Foederatos a Rimenanta depuliſſe, e quorum exercitu 2000. Scotos occubuiſſe ſcribit, unice forſan, ut obloqueretur Petito, qui in ſuo Hollandiae & Zelandiae Chronico (*k*) rem ex

(*i*) pag. 520.
(*k*) Lib. XI. pag. 351. & 352.

Digitized by Google

ex vero deſcripſerat. Strada (*l*) quidem & Haraeus (*m*), lauream hanc Foederatis integram eripere vix auſi, *aequata* tamen *propemodum jactura*, *parique damno*, pugnatum fuiſſe ſcribunt; &, ut Boſſuvio aliquam adſpergat maculam, addit Strada, illum, *omiſſa oportunitate omnibus copiis inſequendi hoſtem, victoriae extrema corrupiſſe. Auſtriacum vero capeſſendi belli temeritatem adminiſtrandi cautione redemiſſe.* Sed haec laus Auſtriaco data debetur Parmenſis Principis prudentiae, qui, cum equitatu ſubſiſtens, ut peditibus recedendi oportunitatem praeberet, Hiſpanos extremo periculo exemit. Ad Boſſuvium quod adtinet, illum ſuis ſe caſtris prudenter continuiſſe, neque toto cum exercitu decernere voluiſſe, antequam cum auxiliaribus copiis, pridem exſpectatis, advenisſet Joannes Caſimirus; prius vero 400. vel 500. Scotos in hoſtem inmiſiſſe, qui Auſtriaci militibus numero quum eſſent inpares, illis in ſubſidium Anglos & Germanos equites ſubpeditaſſe, pugnamque, quam ab hora ſeptima matutina inchoaverant, ſub Solis occaſum deſeruiſſe; & retroceſſiſſe Hiſpanos, ſcribit (*n*) Languetus; unde etiam his victoriam

(*l*) Lib. X. de Bell. Belg. p. 499.
(*m*) Vol. II. Annal. Brab. p. 282.
(*n*) Lib. I. Epiſt. 150. p. 749.

riam minime adjudicandam patet. Thuanus (*o*) vero, qui a parte Auſtriaci 900. milites amiſſos teſtatur, iſtam Stradae in Boſſuvium criminationem ſine dubio ante oculos habuit, quum eam his verbis refutaret: *Culpa non plenae victoriae partae a plerisque in Boſſuvium rejecta, qui non omnibus copiis in hoſtem inpreſſionem feciſſet; qui tamen juſtas non tentatae ſummae rerum aleae cauſſas habebat, quippe iniquo equitibus loco, & exercitu haud ſatis inſtructo.* Magis equidem miror, Jo. Bapt. Taſſium (*p*), licet Hiſpanis addictiorem, multis laudibus Boſſuvii prudentiam efferre, *qua J. Auſtriaci conſilia, aliquo damno illato, nullo fere accepto, omnino diſſipavit, illosque, qui Auſtriaco expeditionem hanc diſſuaſerant,* (Parmenſem Principem, & Gabr. Serbellonium, caſtrorum Auſtriaci praefectum, intelligit) *nimis veraces reddidit.* Subjungit porro, Boſſuvium, ſi perſequi voluiſſet victoriam, reliquum Auſtriaci exercitum in ſummum periculum adigere potuiſſe, *propter ingentem praecedentium ſtragem fugamque.* Auſtriacum vero *infelici hoc ſucceſſu ſpe ſua plane deluſum, quamprimum de reditu, & exercitu Arſchotam & Tilmontium reducendo, cogi-*

(*o*) Lib. LXVI. §. 12.
(*p*) Lib. IV. Comm. pag. 321. & 322.

Digitized by Google

*gitaſſe, relicto Boſſuvio, multa gloria digno, quod coepta tanti hominis vana atque irrita omnino reddidiſſet.* Michael denique (*q*) Iſſeltius etiam Auſtriaco cladem, Foederatis victoriam tribuit, quos *diſpoſitis loco opportuno tormentis Hiſpanos grandioribus pilis ita excepiſſe, ut non pauci miſeris modis dilaniati occubuerint*, Auſtriacum vero *inde in regionem Namurcenſem receſſiſſe*, teſtatur. Et dubitamus adhuc meritam Boſſuvio lauream nectere? quum in Auſtriaci ſtragem conſentiant par illud Scriptorum, Belgis ceteroquin iniquiorum; utriusque enim teſtimonia noſtris (*r*) Hiſtoricis pondus haud leve addunt, qui a parte Auſtriaci in fugam rejecti 800. vel 1000. milites cecidiſſe adfirmant.

Laudi ex re bene geſta relatae non diu tamen ſuperfuit Comes Boſſuvius, qui Antverpiae circa finem ejusdem anni 1578. fato de-

(*q*) Hiſt. ſui Temp. pag. 608.

(*r*) Meterano nempe Lib. VIII. fol. 153. Borrio Lib. XII. pag. 987. & Hooftio Lib. XIV. p. 592-594. quibus accedat Maurerius Comm. Gall. Hiſt. Holl. pag. 71. qui refert, Boſſuvium caſtris firmo opere munitum Auſtriaci impetus ita retudiſſe, ut coactus fuerit praecipiti regreſſu non ſine clade ſibi conſulere, quem ſi perſecutus fuiſſet Comes, exercitum Hiſpanorum internecina ſtrage delere potuiſſe, addit, quod a ſe neglectum poſtea valde poenituiſſe Boſſuvium, notat Petitus in Chronico ſuo Lib. XI. pag. 351.

deceſſit; cujus mortem vel ideo hic memorandam arbitror, cum quia in Annalibus Batavis non obſcurum ejus nomen eſt, tum ut a Gulielmi I. Principis Arauſionenſis memoria diluatur labes, quam ei adſperſerunt duo Scriptores Hispanici. Primus eſt Famianus Strada (*s*), qui ex literis Alex. Parmenſis & Bernardini Mendozae poſteritati perſuadere conatus eſt, Boſſuvium, *opera Auriaci Principis*, ſuſpicantis eum ad caſtra Regia redire conſtituiſſe, *veneno propinato exſtinctum fuiſſe*, ſubjungitque narratiunculam adeo abſurdam, ut falſitatem ſuam ipſa manifeſtet; quam legerit in Commentariis neſcio quibus aulici cujusdam Farneſiani: Auriacum nempe, quum moribundo adeſſet Boſſuvio, eique a Sacerdote ultimum inpertiretur viaticum, cum riſu quodam ac deſpectu rogaſſe, quidnam hoc cerimoniarum eſſet? ſed Boſſuvium hac ejus inportunitate inritatum, ipſi non tantum exprobraſſe, prius fortunam & decus, nunc quoque vitam ſibi ab eo ereptam, animae tamen ſalutem ſibi a quoquam extorqueri non paſſurum eſſe. Sed non erat is Princeps Gulielmus I, qui cerimoniis ſacrorum, quae alter profitebatur, tam ruſticum in modum, homini praeſertim moribundo & in agone verſanti, inſultaret: multo

(*s*) Dec. II. de Bell. Belg. Lib. I. pag. 36.

Digitized by Google

to minus, ut ſolitis Hiſpanorum veneficiis hoſtem aliquem, ne dicam amicum, ut tunc erat Boſſuvius, de medio tolleret. Quo animo fuerit erga hunc Comitem, patuit, quando Hiſpanis adhaerens Boſſuvius per (*t*) Conſulem Delſtanum Hugonem Groeneweegium an. 1573. Arauſionenſem Principem ex inſidiis intercipere tentaverat, neque diu poſt navali pugna captus, & Hornam abductus, tamen a Gulielmo, memoriam iſtius injuriae deponente, liberaliter admodum in captivitate habitus, deinde ex cuſtodia dimiſſus, omni comitatis genere a Principe exceptus, & ad Ordinum partes ſe conferre perſuaſus, iis etiam optimam & fidelem operam, pugna praeſertim illa Rimenantiana, & Nivella non diu poſt capta (*v*), navavit. Idem tamen Strada, calumniae indignitatem ſentiens, ut quaſi inminueret facinoris hujus dedecus, tamquam inſimulationis eum puderet, ſubnectit: *quibus quamquam vulgatis traditisque equidem ipſe neque fidem addiderim neque dempſerim, haud ignarus ſaepe incerta ſpargi, & plerumque atrociora credi.* Sed hunc

(*t*) vide J. Meurſium Lib. VIII. Rer. Belg. pag. 288. Haraeum Vol. II. Ann. Brab. p. 157. Hooftium Lib. VII. p. 300. 301. & Auct. vitae Gul. I. T. II. p. 367. & ſeq.
(*v*) vid. Jo. Bapt. Taſſium Lib. IV. Comm. p. 324. & 325. & Hooftium Lib. XIV. pag. 600.



Digitized by Google

hunc ſatis refutavit nobilis (*x*) Auctor vitae Principis Arauſionenſis Gulielmi I., oſtenditque, Auriacum Comitis Boſſuvii amicitiam magni feciſſe, & apud Ordines pro eo intercesſiſſe, ut operam illius, patriae praeſtitam, ſtipendii incremento, auctisque honoribus, remunerarentur. Hooftius (*y*) etiam, Borrius (*z*), aliique, mortem Boſſuvii narrantes, addunt, Principem aliosque Proceres ejus jacturam, propter viri virtutem, rerum peritiam, & fortitudinem aegre tuliſſe. Alter, Hiſpanis quoque obnoxius ſcriptor, qui in partem hujus calumniae venit, ſed ab Auctore vitae Gulielmi I. redargui non potuit, quia tunc nondum editus erat, eſt Jo. Bapt. Taſſius (*a*), qui *Boſſuvium, Antverpiam reverſum, haud diu poſt veneno, in coena quadam oſtreis, juſſu Auriaci Principis, indito, periiſſe.* Sed hos quidem Scriptores ſuo relinquamus genio, quum (*b*) ceteri eum ex febre ardenti, magno ſui relicto deſiderio, defunctum fuiſſe teſtentur.

Ipſe

(*x*) Tom. III. p. 244. & ſeqq.
(*y*) Lib. XIV. p. 617.
(*z*) Lib. XIII. pag. 25.
(*a*) Lib. V. Comment. pag. 329.
(*b*) vid. Haraeum Vol. II. Annal. Brab. pag. 287. Petitum in Chronic. Holl. Lib. XII. p. 364. & Mich. ab Iſſelt p. 629.

Digitized by Google

Ipſe etiam J. Auſtriacus, non diu ante Boſſuvium Comitem, fato conceſſit. Poſt cladem enim ad Rimenantam nihil fere memorabile, Binchio tantum & Maubuſio interceptis, in Belgio geſſit. Dum vero prope Namurcum conſidet, ingens caſtra ejus invaſit mortalitas, abſumtis plurimis militibus. Illic adverſa valetudine correptus, in letiferam animi (*c*) aegritudinem incidit, poſtquam intellexerat, Joannem Escovedum, fidiſſimum arcanorum ſuorum miniſtrum, properata morte apud Hiſpanos interemtum; quod licet vulgaretur a factione Ducis Albani perpetratum, Auſtriaco tamen conſtabat, Philippum ipſum, ab Antonio Perezio incitatum, caedis Escovedi auctorem eſſe, ſeque etiam gratiae Regiae jacturam feciſſe. Dudum enim Philippo ſuſpecta fuerant fratris ſui occulta conſilia & ambitioſa magnarum cogitationum vota, quae manifeſtius ipſi patuerunt, quando manum chartis literisque, poſt illius obitum, injici easque in Hiſpaniam perferri juſſit. Fuerunt etiam, qui tradiderunt, Auſtriacum (*d*), ipſius Philippi juſſu, vene-

(*c*) Hanc ipſe manifeſtavit tribus literis, animi fere deſperati nuntiis, & in Regem valde expoſtulatoriis, paullo ante mortem ad Regem ipſum, Jo. Andr. Doriam, & Petrum Mendozam ſcriptis, quas exhibent Borrius Lib. XII. p. 1004. & ſeqq. & Hooftius Lib. XIV. p. 600 & 601.

(*d*) Vide Hooftium Lib. XIV. p. 602 & 603. & Auct.

neno ſublatum fuiſſe, idque ei clam per ve-
ne-

Auct. vitae Gul. I. Tom. I. p. 159. idque apertius ſcribit Maurerius in Comm. Gall. Hiſt. Holland. pag. 64. ubi dicit Philippum ſe ab Auſtriaco exoneraſſe ſtatim poſt Eſcovedi necem, qui exitioſa ipſi ſuggeſſerat conſilia; & pag. 71. addit, Auſtriacum ſive ex moerore, ſive ex veneno, obiiſſe. & hic errat Amelottus in nota editioni Londinenſi p. 143. ſubjecta tradens, Eſcovedum Auſtriaco ſupervixiſſe, omneſque ejus chartas arcanas in Hiſpaniam detuliſſe. Conſtat enim, Eſcovedum, ab Auſtriaco cum literis illis ſecretis, de quibus ſupra dictum, in Hiſpaniam miſſum, opera Antonii Perezii praecedente anno 1577. necatum, ejuſque caedem Auſtriaco aegritudinem animi valde auxiſſe, ut patet ex Auctoribus, quos ſupra indicavi ad pag. XXI. qui tamen ſimul referunt, facinus illud, cujus dein poenitebat Regem, in caput ipſius Perezii derivatum fuiſſe, qui in carcerem conjectus capitis ſupplicio ſe fuga ſubtraxit, & valde calamitoſam in Arragonia vitam traxit, quo etiam reſpicit J. B. Taſſius Lib. IV. Comment. in fine. vide Auctorem notarum ad G. Naudaei librum Gallicum de Arcanis Rerumpubl. pag. 444. & ſeqq. Eumdem vero D. Gertrudis Abbatem etiam veneficum iſtum Maſſilienſem inpuliſſe in necem Principis Arauſionenſis, ut ſic Regi Hiſpano duos parietes una fidelia dealbaret, ſed inſidias Principi in tempore detectas fuiſſe, primus poſteritati tradidit Scriptor vitae Philippi Mornaei Pleſſiaci Lib. I. pag. 47. & ex eo Auctor vitae Gul. I. Tom. III. p. 255. ad Auſtriaci vero mortem quod adtinet, eum ex peſte obiiſſe tradit Petitus in Chronico Tom. II. p. 325. ex febri maligna & ardente defunctum ſcribit Haraeus Vol. II. Ann. Brab. p. 284. & Dinothus Lib. IV. pag. 286. quam valde acutam & peſtiferam fuiſſe dicit J. B. Taſſius Lib. IV. Comm. p. 325. ſed febrim hanc acutiorem & fatalem ei reddidiſſe maerorem animi, quo contabeſcebat, firmant Meteranus Lib. VIII. fol. 158. b. Thuanus Lib. LXVI. §. 18. p. 617. Cambdenus in Annal. Angl. p. 290. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 616. & Langue-

Digitized by Google

neficum Maſſilienſem Guerinium, pacta XX. millium flor. mercede, dari curaſſe Abbatem D. Gertrudis Lovanienſis, eumdemque poſtea jactaſſe, ſe egregiam hanc patriae operam praeſtitiſſe. Multi certe Scriptores Hiſpanici teſtantur,

guetus Lib. I. Epiſt. CLV. p. 759. ubi Saxoniae Duci ſcribit: *Diſſipata eſt hic fama, eum peſte periiſſe, ſed audio eum aliquot diebus ante mortem incidiſſe in febriculam, a qua medici nihil periculi inminere judicabant, ſed eam letalem reddidit dolor animi, quo contabuiſſe creditur. Interceptae fuerant paullo ante quam moreretur literae ipſius ad Regem Hiſpaniae, in quibus graviter conquerebatur, ſe contra fidem ſibi datam deſeri, & ita deſtitui omni facultate ducendi diutius bellum, ut neceſſe eſſet ſe & ſuas res peſſum ire.* Et haec veriora videntur, quam quae de veneno, juſſu Regis ipſi dato, alii narrant. Venenata enim potione pleroſque Principes aut Viros Illuſtriores e medio ſublatos tradi, vulgatiſſimum eſt. Naeniam Laevini Torrentii ſive Leſſum Lyricum in Auſtriaci obitum edidit Mich. ab Iſſelt in Hiſt. ſui Temp. p. 617. & ſeqq. ex quo carmine aliquid etiam de morte, Auſtriaco per venenum praecipitata, colligi poſſet ex conparatione Herculis, in Oetaeo monte Neſſaei veneni tabe conſumti;

*Qualem Herculem videre quondam*
*Theſſaliae juga ſaltuoſa*
*Perferre Neſſi vulnera triſtibus*
*Curata flammis* &c.

Illud ipſum Torrentii Epicedium, cum aliis Odis in laudes J. Auſtriaci de victoria navali Turcica, & Belgii Gubernatione, legitur poſt Ejusdem Poëmata ſacra pag. 293-304. Cenotaphii vero inſcriptionem in urbis Namurci templo ab Alexandro Farneſio, ejus ſucceſſore, Auſtriaco poſiti, cadavere in Hiſpaniam transvecto, & ſepulcro Caroli V. patris inlato, habet Haraeus Vol. II. Annal. Brab. p. 285.

Digitized by Google

tur, haud dubia veneni ſigna in mortui inteſtinis adparuiſſe: neque enim exiſtimandum eſt, mitiore Philippum animo erga nothum hunc fratrem fuiſſe, quam antea in filium Carolum, ſive ut Hypſipyles verſus Ovidianos de Medea nonnihil imitemur;

*Qui ſe legitimi maculavit ſanguine nati,*
*Auſtriaco fratri parceret ille notho?*

Ceteri vero adfirmant, Auſtriacum, vel contagio peſtilentiae in ejus caſtris graſſantis, vel e febre, per animi aegritudinem funeſta, partim ex intellecta Escovedi ſui nece, partim quia ſe in Hiſpania ſuſpectum a Philippo negligi ac deſtitui dolebat, in ipſo aetatis flore, inpleto nondum XXXIII. aetatis anno, fuiſſe extinctum Ipſis Kal. Oct. an. 1578. Indolem & virtutes J. Auſtriaci, pro vario partium ſtudio, diverſis admodum coloribus plurimi depinxerunt. In illius laudes profuſi ſunt Famianus Strada (*e*), qui amplam vitae ejus ſummam contexuit; Rich. Dinothus (*f*), & Jo. Bapt. Taſſius (*g*), quibus palmam adulationis praeripere voluiſſe videtur Mich. Iſſeltius (*h*), cui dicitur

(*e*) Sub finem Decad. I. Lib. X.
(*f*) Extremo libro IV. de Bell. Belg.
(*g*) In fine Lib. IV. Comm. p. 325 & 326.
(*h*) Hiſt. ſui Temp p. 617.

tur *Juvenis dignus*, *qui Neſtoris annos vixiſſet*, *Maurorum terror*, *Turcarum fulmen*, *Haereticorum peſtis*, *Catholicorum defenſor*, *Aſiae & Europae domitor.* ſatis ridiculo elogio. Saniori mente de eo judicarunt Maurerius (*i*), Borrius (*k*), Auctor vitae Gulielmi I. (*l*) & Reidanus (*m*); qui ſubjungit, quod aliis indictum, Principem Arauſionenſem per Elbertum Leoninum tentaſſe Joannem Auſtriacum permovere, ut, ejurato Rege Philippo, ipſe ſummum Belgii regimen, ab Auriaco ſponte ei oblatum, capeſſeret; eamque conditionem nec accepiſſe nec repudiaſſe Auſtriacum, ſed Principi Arauſionenſi non ſatis fidere auſum fuiſſe: cujus veſtigia preſſiſſe videtur Vlricus Huberus (*n*), qui ſupremum Belgii imperium ab Auriaco Principe oblatum fuiſſe Joanni Auſtriaco, etiam ſcripſit. Sed, quis ſanae mentis Belga umquam ſibi perſuaderi patiatur, Gulielmum I. (*o*) ad Vir-

(*i*) In Comm. Gall. Hiſt. Holl. p. 62 & 63.
(*k*) Lib. XII. p. 1005 & 1006.
(*l*) Tom. III. pag. 223. & ſeqq.
(*m*) Lib. II. Annal. pag. 27. ed. Lat.
(*n*) Tom. II. Hiſt. Civ. pag. 401.
(*o*) Legi merentur, quae de Gulielmo I, aemulum & potentiae ſuae conſortem haud facile ferente, animadvertit egregius Auctor Obſervationum ad rariſſimum Gabr. Naudaei librum de Violentis Rerumpublicarum Arcanis (*Coups d'Eſtat*) Cap. III. §. 10. pag. 385. & 386. ed. an. 1673.

Digitized by Google

Virginis Batavae, quam connubio ſtabili ſibi jungere animo dudum ipſe praeceperat, conplexus aliquem procum aut rivalem, multo minus J. Auſtriacum, adlicere aut ſolicitare meditatum fuiſſe? Menelao certe prudentior Helenam ſuam huic hoſpiti Paridi non tam commode conmiſiſſet.

*Quis, niſi mentis inops, bona quae tenet ipſe cupitve,*
*Tam facile externo crederet illa viro?*

Sed haec de rebus a J. Auſtriaco in Belgio geſtis ſufficiant, quae paullo adcuratius expoſui, ut majorem Commentario huic Schetziano lucem adfunderem, praeſertim quum haud pauca, eaque non minimi momenti, ad temporis iſtius conditionem ſpectantia, omiſerit Auctor; pleraque in favorem Praefecti hujus, ab Hiſpano Rege Belgis inpoſiti, Ordinibus ſaepe & Arauſionenſi Principi iniquior contorſerit; & tantum in deſcribenda Legatione ſua, dum in Arce Namurcenſi perfide occupata haereret Auſtriacus, ad Belgii Proceres ei reconciliandos velut ab internuncio inſtituta, & ſaepe iterata, verſatus fuerit; ſive ſolum hoc argumentum ſibi tractandum ſumſerit, ſive alia plura addere prohibitus fuerit; quum non diu poſt, anno nempe 1579. ab Ordinibus Belgii & Matthia Archiduce etiam eligeretur inter Legatos ad

Pa-

Digitized by Google

Pacificationem Colonienſem (*p*) miſſos. Miror vero ſcripti hujus Schetziani, hucusque inediti, nullam fieri mentionem vel apud exteros vel noſtros Hiſtoricos (*q*) illis in locis, ubi varias delegationes an. 1577. a Gaſpare Scheto ſimul cum Elb. Leonino, Raſſinghemio, aliisque, repetitis vicibus ſuſceptas, ut diſcordiam inter J. Auſtriacum, Ordines, & Principem Arauſionenſem conponere tentaret, deſcribunt. Sed magis adhuc miror, illud ignotum fuiſſe Biographis, qui, tam praecedenti quam hoc ſeculo, aliquid de genere, vita, ac gente Schetzii literis mandarunt, neque illud memorari a Valerio Andrea in Bibliotheca ſua Belgica, hoc ſeculo a Foppenſio aucta; aut a Franciſco Sweertio in Athenis Belgicis; vel a Butkenſio in Brabantiae Tropaeis, ubi Schetziorum Genealogias exhibet; vel denique ab Auctore Opuſculi rarioris Gallici, de Nobilioribus Belgii

(*p*) Vide Haraeum Tom. III. Annal. Brab. pag. 294. Mich. ab Iſſelt p. 642. Borrium Tom. II. pag. 52. & inter illos Legatos G. Scheti nomen etiam reperitur apud J. B. Taſſium Lib. V. Comment. pag. 349.

(*q*) Bentivoglium nempe Tom. I. de Bell. Flandr Lib. X. p. 575. Stradam Lib. IX. p. 441. Haraeum Tom. II. Ann. Brab. p. 260. J. B. Taſſium Lib. IV. Comm. §. 15. p. 273. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. p. 540. & 541. Borrium Lib. X. Hiſt. p. 814 & 835. Hooftium Lib. XII. p. 508. Auct. vitae Gul. I. Tom. II. pag. 30. & ſeq. aliosque.



Digitized by Google

Belgii Familiis, (*Nobiliaire des Pays-Bas*) quemadmodum etiam incognitum fuiſſe videtur Hoynckio a Papendrecht, qui aliquot abhinc annis Commentarios illos Taſſianos non ſine Hiſtoriae Batavae emolumento, licet latinitate perquam barbara ſcriptos, Analectis ſuis Belgicis inſeruit. Ille enim in nota loco Taſſii indicato (Lib. IV. p. 273.) ſubjecta, monet quidem per *Scetum* indicari *Gaſp. Schetz*, *Dominum de Grobbendonck*, *Theſaurarium Regium*: ſed de hoc ejus opere altum ſilet; quum tamen jam eo tempore in Brabantia eſſent, qui illud inter Bibliothecarum privatarum anecdota poſſiderent.

Illos inter fuit Henr. Joſ. Rega, Med. Doctor & Profeſſor, ut patet ex illius Bibliothecae Catalogo pag. 259. N. 128. ubi memoratur *Gaſp. Scheti Commentarius de Pace inter Joan. Auſtriacum & Ordines Belgii a ſe tractata. MS. in fol.* Illum vero Regam adhortatus fuerat Canonicus Carolus Major, ut hunc ſibi codicem compararet ex Bibliotheca Abbatis Aurelianenſis de Rothelin, Pariſiis vendita an. 1749. in cujus Catalogo recenſetur. Ad ipſum deinde Canonicum Carolum Majorem perveniſſe illius apographum, forma minore ſcriptum, oſtendit Index Bibliothecae ejus, quae haſtae ſubjecta fuit Mechliniae an. 1767. ubi

N.

N°. 6592. hic codex ita deſcribitur; *Gaſparis Scheti de Pace inter Jo. Auſtriacum & Ordines Belgicos anno* 1577. *a ſe tractata Commentarius. Praecedit ejusdem Hiſtoria originis & progreſſus tumultuum Belgicorum: MS. nitidiſſ. in* 4°. ibidemque Num. 6611. occurrit tractatus alter Schetzii hoc titulo: *Viri pietate, virtute, &c. Clariſſimi, (Gaſp. Scheti) Dialogus de Pace, rationes, quibus tumultus componi poſſint, explicans. Antverp. apud Jacobum Henricium* 1579. *in* 12°. *editio princeps, rariſſima.* ubi etiam ſequenti Numero additur liber, Belgico ſermone Coloniae excuſus eodem anno 1579., qui praecedentis Opuſculi interpretatio videtur. Sed de ſecundo illo Schetzii Opuſculo, quod in hoc quoque Volumine edidi, infra aliquid addam, praemiſſa prius Caroli Majoris animadverſione de inedito hoc Commentario Schetziano de Pace inter Auſtriacum & Ordines a ſe tractata, quam inter ſchedas meas inveni ſub forma Epiſtolae, Gallico idiomate ad Baronem Gottinium (*de Gottignies*) ſcriptae (*r*), cujus prima parte

(*r*) Ipſa Caroli Majoris Epiſtolae, vel Obſervationis MS., verba ſua lingua ſic ſonant: *Schetz etoit né a Anvers, Baron de Weſemael, Seigneur de Grobbendonck, Conſeillier du Roy, & Treſorier General des Pays-bas. Il étoit tres ſçavant, avoit beaucoup de lecture des anciens & modernes, judicieux, d'aimable converſation,*

 *grand*

parte G. Scheti ipſius & Commentarii hujus elogium, judicium Principi Arauſionenſi ini-

*grand miniſtre, & parfait Negotiateur pour traiter des affaires des plus epineuſes: preuve la Negotiation qu'il decrit icy, & quil a eu avec Don Jean, qu'il a porté & conduit à une fin deſireuſe quant à luy, mais au point du terme, renverſé par le Prince d'Orange.*

*Don Jean avoit de la confiance en ſa perſonne, d'autant qu'il fit adroitement entrevoir l'affection, qu'il conſervoit pour ſon Souverain legitime, raiſon pourquoy il luy étoit agreable, ſans perdre la confiance que les Etats Generaux, ſes Maitres pour lors, avoient en luy: Enfin il reuſſit ſi bien, que les conditions de part & d'autre furent acceptées, les Deputés des Etats nommés pour partir avec Schetz le lendemain de Bruxelles à Namur, pour les ſigner reciproquement, ſi le Prince d'Orange (avertis par ſes amis, qu'il avoit dans les Etats, au quel point cette inportante affaire touchoit à la fin) n'eut arrivé le même ſoir d'Anvers la veille de leur depart, qui eut aſſez du temps, credit, & d'intrigues pour faire ajouter aux conditions ſtipulées, deux autres de plus, bien perſuadé que Don Jean ne les accepteroit jamais, comme en effet la conference par la rompue, la mefiance acrûe, la paix evanuit, & la guerre recommancée avec plus de fureur.*

*Il y a encore d'autres Anecdotes dans cet Ecrit incomparable. L'Auteur debute avec l'Hiſtoire de l'Origine & Cauſes des Troubles des Pays-bas, ce morceau eſt excellent & digne de cet Auteur, Temoin oculaire, qui a la verité pour garand; d'ailleurs ajant ſans doute ſes amis parmis ceux qui tenoient pour leur Roy, & ſa qualité luy donna entré à tous les conferences, par la il n'ignoroit rien de ce qui ſe paſſoit au gouvernement, provinces, villes, & autres lieux.*

*Ce Manuſcrit étoit expatrié & inconnu dans ce pays-icy, je l'ay remarqué dans le Catalogue de feu l'Abbé d'Orléans de Rotbelin, vendu à Paris l'an.* 1749. *pag.* 454. *No.* 4131. *je l'ay fait acheter à feu Mr.-Rega, étant*

iniquius de Pace inter J. Auſtriacum & Ordines jam fere contracta, ſed illius ex Antverpia in urbem Bruxellas adventu interrupta & ſubverſa, aliaque huc ſpectantia continentur. Codex vero ille MS., ex quo ipſe hunc Commentarium in lucem protuli, ex ſupellectile Aegidii Laurentii Tollingii, hiſtoriae Batavae monumentorum rariorum amantiſſimi, heredum benignitate ad me pervenit; idem, qui olim poſſeſſorem habuit Regam, cujus & ſecundi poſſeſſoris, Caroli Majoris, inſignia gentilitia frontem codicis exornant. Alter vero Schetzii liber, ſub titulo *Dialogi de Pace*, ſed nomine ejus non adpoſito, olim editus, priori opuſculo a me in hac Collectione additus eſt, quia raritate cum inedito primo Commentario conferri meretur. Hunc Coloniae ab Auctore ſcriptum fuiſſe, dum illic Paci tractandae verſaretur, colligi poteſt ex pag. 163. hujus editionis; ubi haec habentur: *Alterum nos Gallia & Belgium docuerunt: alterum haec ipſa, in qua nunc agimus, Colonia.* Quamquam Dialogum hunc conpoſuiſſe & evulgaſſe Schetzium anno, antequam ad Pacifica-

*étant toujours logé chez luy, quand je me trouvois à Louvain, j'avois tout le loiſir de le lire d'un bout à l'autre avec beaucoup de plaiſir & ſatisfaction, de ſorte que je le peu connoitre pour vous en rendre compte moins mal qu'il m'eſt poſſible.*

cationem illam tenderet, exiſtimaſſe videatur Carolus Major (s), in altera parte ejusdem

(s) Adjungi etiam Epiſtolae illius, vel Animadverſionis, verba merentur, quibus de hoc Opuſculo ſic agit: *Quelque tems après l'infructueuſe conference avec Don Jean, l'Empereur avoit menagé un Congres de Pacification à Cologne l'an.* 1580. *Notre Schetz fut derechef de la partie, ajant été choiſi par les Etats Generaux un de leurs Deputés pour le dit Congres, pour diſpoſer les Eſprits de part & d'autre, à ſe rendre faciles à une deſirable union, l'année d'auparavant il a compoſé & fait diſtribuer un petit livre anonyme, qui vaut ſon poid d'or, & qui reſte encore aujourd'huy miniſterial & inſtructif en tant comment il convient de ſe prendre avec les Sujets dans un Pays, ou on pratique differends Religions. Ce livre porte ce Titre:* Viri (*Caſparis Schetz*) pietate, virtute, moderatione, doctrinaque Clariſſimi Dialogus de Pace, rationes, quibus Belgii tumultus inter Philippum Sereniſſimum & potentiſſimum Hiſpaniae Regem & ſubditos, hoc rerum ſtatu, conponi poſſint, explicans. Antverpiae apud Jacobum Henricium 1579. in 12°. *Titulus dedicationis*, Principibus Viris omnibus, ceteriſque verae Pacis amantibus. *Ce livre, qui m'a été prêté autrefois, après l'avoir devoré en grand appetit, j'ay copié non ſeulement le Titre comme vous le voyez icy, Monſr. Mais auſſy l'approbation ſinguliere & non pareille d'un Cenſeur Eccleſiaſtique, neanmoins homme d'eſprit & de jugement en voicy:* Hic liber, etſi multa contineat, quae bonorum morum juſtitiam laedant, & fidei unitatem convellant, tamen, quia multas continet rationes plauſibiles (quibus ſolis homines nunc moventur) conſtituendae Pacis, per nonnullorum libertatem ac petulantiam profligatae ac turbatae, videtur non inutiliter poſſe inprimi, ac omnibus communicari, ut Orbi notum ſit, quam abſque ratione faciunt, qui eo caecitatis venerunt, ut pacis ne ferre nomen poſſint. Salvo meliori judicio. Signatum Waltherus van der Steghen, S. Theologiae Licentiatus. *Heureux que le*

*Duc*

Digitized by Google

dem Epiſtolae ad Baronem Gottinium exaratae. Sed cum hoc Dialogo de Pace non confundendam eſſe arbitror *Orationem Exhortatoriam ad Pacem*, quam in Conventu Colonienſi a Schetzio habitam, eodemque anno 1579., ſed ἀνωνύμως, ab eo editam fuiſſe teſtatur Valerius Andreas (*t*), qui tamen Dialogum de Pace non memorat. Hanc vero Orationem a Schetzio illic umquam habitam aut promulgatam dubito, fruſtra certe & in his terris a me quaeſitam, & apud Brabantinos ope amicorum inveſtigatam, nusquam indagare aut reperire licuit. Inter Orationem enim in ſollemni congreſſu pronuntiatam, & Opuſculum, Dialogi forma conſcriptum, quid diſtet, nemo non percipit. Vnde ſuſpicari licet, Valerium Andream

*Duc d'Alve ètoit parti, car il auroit fait pendre l'Auteur avec le Cenſeur. Voila que j'ay de beaucoup paſſé les bornes d'une Note; exercez donc encore un peu votre patience pour finir avec notre digne Schetz. Le Congres de Cologne infructueuſement finis, Schetz avec quatre autres, le Duc d'Arſchot, deux Abbés, & Buchon Ayta, Prevot de St. Bavon à Gand, ſe ſont reconciliés avec le Roy, & ſe ſont attachés au Prince de Parme. Voyez P. Bor Parte 2*da*. Liv.* XIII. *pag.* 103. *verſ. & ibid. fol.* 143.

*J'ay fait cette Note pour Monſr. le Baron de Gottignies à fin de l'engager, de ſe faire acheter ce Manuſcrit de la Bibliotheque de feu Mr. Rega.* C. MAJOR.

(*t*) in Biblioth. Belg. pag. 257.

dream forte Dialogum illum de Pace, Latine editum, propter illius raritatem numquam oculis vidiſſe, praeſertim quum inter ſcripta, a Gaſp. Schetzio edita, nullam ejus mentionem faciat; ſed forte Belgicam illius verſionem vel vidiſſe, vel ab alio memoratam legiſſe, quia ejus titulus eſt (*v*), *Solida admonitio ad populum Belgicum, de commodis vel incommodis ad Rempublicam redundaturis, ſi Pax accipiatur vel rejiciatur.* Nulla enim cauſſa eſt, cur haec Oratio ad Pacem Exhortatoria, ſi a Schetzio habita fuerit in Conventu iſto Colonienſi, quod tamen aliunde non conſtat, ſuppreſſo ejus nomine fuiſſet edita, quum Legatorum Orationes, in ejusmodi Comitiis publice recitatae, additis illorum nominibus ſemper fuerint evulgatae; ut Elberti Leonini Oratio eodem tempore, ſeu anno 1579., habita exſtat, & Marnixii Aldegondii in Comitiis Wormacenſibus praecedente anno 1578. ad Imperatorem & Principes Imperii Germanici, de qua ſupra (*x*) dictum eſt; ut aliorum Orationes in ejusmodi Conventibus ſollemni ritu dictas non memorem. Quod autem addat Valer.

(*v*) (*Grondelyke onderrichtinge aen de gemeene Ingeſetenen van Nederland, van 't gemak of ongemak, dat te verwagten ſtaat, ſoo men den Pays aanneemt of afſlaat.*)

(*x*) Praefationis hujus pag. xcv.

Digitized by Google

Valer. Andreas; illa Oratione Schetum explicaſſe belli cauſſas, resque inter Ordines & Principem Auriacum actas, & quid pacem tunc inpedierit, eamque promovere debuerit, oſtendiſſe; ejusdem fere argumenti eſt Dialogus de Pace, eaque verba ſuſpicionem meam confirmant de utroque ſcripto a Valerio Andrea confuſo, de quo tamen certius judicare poſſem, ſi vel Orationem iſtam, vel Belgicam Dialogi verſionem nanciſci licuiſſet.

Pace vero iſta Colonienſi ſuo ſucceſſu, ut pleraeque aliae antea indictae, deſtituta, ſoluto conventu Schetzium, relictis Ordinum partibus, ad Regem Hiſpaniae ſimul cum Duce Arſchotano, Buchone ab Ayta (y) aliisque tranſiiſſe, quod addat Carolus Major in Epiſtola ad Baronem Gottinium, paullo ante exhibita, conſentiunt etiam Thuanus, Haraeus, Meteranus, aliique

(y) Viglii Praeſidis ex fratre Serapione nepos, etiam inter Legatos ad Pacem Colonienſem miſſos memoratur a J. B. Taſſio Lib. V. Comm. pag. 449. ubi in nota ſubjecta ejus Epitaphium habetur. Fuit Canonicus S. Bavonis Gandavi, & Archidiaconus Iprenſis, ſucceſſor Viglii in praepoſitura Gandavenſi, rebusque non exigui momenti gerendis, ut pacificationi Gandavenſi, tractatui Huijenſi, & Marchenſi, adfuit, ut ex Viglii *Zuichemi* Epiſtolis & Taſſii Commentariis conſtat.



Digitized by Google

que (z), quo referendae ſunt ipſius G. Schetzii Epiſtolae ad Praeſidem Fonckium ex urbe Colonia, Latino ſermone, ſcriptae, & una, Gallico idiomate, exarata ad Cardinalem Granvellum, & notulae illis ſubjectae, acriores quidem, ſed a veritate tamen non deſtitutae, & e quibus colligere licet, quid de Schetzio (a), ejusque erga Ordines fide, ambi-

(z) Vide Thuanum Lib. LXVIII. §. 24. Haraeum Tom. III. Ann. Brab. p. 298. J. B. Taſſium Lib. V. Comm. p. 385. Mich. ad Iſſelt p. 642. & Meteranum Lib. IX. fol. 168. & 169.

(a) Quo loco antea Cardinalem Granvellum habuerit Schetzius, & quidem anno 1562., quando domi ſuae adparatis epulis excepit Proceres Patriae illuſtriores, eosque inter Nobiles illos, qui, ducibus H. Brederodio & Lud. Naſſavio, celebrem libellum ſupplicem Margarethae Parmenſi de Inquiſitione & Servitute Hiſpanica avertenda obtulerunt; quo convivio, poſt varia dicteria, vinculis linguae fecundorum calicum hilaritate ſolutis, in Cardinalem ſparſa, Schetzio menſae & poculorum arbitro, inter jocoſi munera Liberi conſtituerunt veſtitum famulorum ſplendidum & ſumtuoſum mutare in nigrum laneumque & uniformem habitum, addito cucullo monachico, ſeu caputio ſcurrili, manicisque verſicoloribus, ut inſultarent Granvello, qui Nobiles illos Libertatis vindices *bruta & inſana capita* vocaverat, ut oſtenderent, ſub adſcito ſtulti tegmine latere Brutum, qui *ſtulti fuerat ſapiens imitator*, *ut eſſet Tutus ab inſidiis*, *dire Superbe*, *tuis*. De quo convivio apud Gaſp. Schetzium Grobbendonckium, Brabantiae Theſaurarium, celebrato vid. Fr. Haraeum Vol. II. Annal. Brab. p. 24. Stradam Dec. I. Lib. IV. p. 132. Chronicon Flandriae Belg. Tom. III. P. I. cap. XIII. p. 278. Hooftium Lib. I. p. 37. G. v. Loon Tom. I. Hiſt. Numism. Holland. Tom. I. pag. 61. & Auct. Vitae

ambitione, atque habendi amore, jam tunc cenſuerint plurimi, quum contra Viglius, Hopperus, ſimilesque, omnium, etiam diverſae partis, amorem & exiſtimationem ſibi conſervarint. Has Epiſtolas (*b*) ab Am-

Vitae Gul. I. Tom. I. p. 338-340. Et tamen idem hic Gaſp. Schetus libellum illum ſupplicem Brederodii ceterorumque Nobilium, in hoc Commentario, quindecim annis poſt ſcripto, pag. 5. vocat *Pandorae pixidem, unde omnes Belgii perturbationes ſubſecutae ſunt.* & anno 1580. cum Cardinale Granvello commercium literarium exercuit, quum Coloniae ad Pacificationem miſſus eſſet, paullo antequam deſertis Ordinum partibus ad Hiſpanos tranſiret, quos tamen ibidem pag. 6. dicit *ex perturbato Belgii ſtatu oportunam invadendi dominii occaſionem arripuiſſe, utpote qui multo jam tempore praedam & divitiarum hereditates ſibi polliciti, provinciarum fortunis inſidiabantur.* quae varium & mutabile hominis ingenium oſtendunt, adeoque prudenter feciſſe Grobbendonckium, quod Symbolum ſibi non adſumſerit egregium illud, & ſolis tantum ſinceris Batavae Libertatis cultoribus conveniens, atque ab ipſis hoſtibus laudandum SEMPER IDEM; ſed potius VENTURAM HORAM, qua TEMPORA ALIA FATA DATURA jam anno 1569. exoptaſſe videtur: ut colligi poteſt ex typo Numi Schetziani, a Loonio editi Tom. I. pag. 61. cujus archetypo frontem libri hujus exornavi, quem ex ſplendido ſuo Numorum ad Patriae hiſtoriam ſpectantium Muſeo, a Loonio ex merito olim laudato, plurimisque ineditis inſigni, ſingulari amicitiae honoratae humanitate mecum communicavit vir Ampliſſimus Cornelius Backer, Vrbis olim noſtrae Judex, nunc vero in ſenectute beatam illam vitam agens,

——— *qua procul negotiis*
*Opima rura bubus exercet ſuis.*

(*b*) Editae olim fuerunt, additis ad marginem notis illis, in libello, cui titulus hic praefixus eſt: *Lettres*

Ampliſſimo Meermanno, nuper funeſta literis morte nobis erepto, ad me miſſas, ideo adjeci, quia inter Acta authentica in Addendice ad Borrium non reperiuntur, & ad iſtorum temporum hiſtorias illuſtrandas haud parum faciunt.

His ſubjunxi Carmina nonnulla Eobani Heſſi & Gaſparis Scheti Elegiaca, quorum primum, Scheto noſtro inſcriptum, & valde longum, ab Eobano Heſſo editum fuit ante Homeri Iliada, Latino Carmine a ſe redditam, cui reſpondet Schetus ſequente Elegia; de qua tamen minus benigne judicat Gruterus in Praefat. ad P. II. Deliciar. Poët. Belgic. his verbis: *Qui legit Eobanum Heſſum, quidvis ſibi praeſumat de Caſpare Scheto Corvino. Et is quidem bene prolixa Elegia litare voluit honoribus Helii illius: ſed tali tamen ſucceſſu, ut ei nullum majus dare poſſim beneficium, quam ſi ipſam tenebris porro commendarim, neque produxerim in publicum.* Sententia ſatis ſuperciliosa. Licet enim Scheto inter primi ordinis Poëtas locum minime dandum agnoſcam, non tamen Muſae illius reliquias tenebris damnandas, aut publica luce minus, quam ipſius Gruteri Carmina, quae nobis ſuperſunt, dig-

*tres interceptés de quelques Patriots masqués*, Antverp. 1580.

dignas, arbitror. Et tamen nimis magnifice Elegiam hanc a Scheto juvene ſcriptam effert Valer. Andreas, qui, Goropii Becani judicium ſecutus, eam vocat *doctam hercle, atque elegantem, ut cum optimis Poëtarum conponi queat*. Quae verba repetiit Franc. Sweertius in Athenis Belgicis p. 256. Plura quoque Schetum, inſtantibus amicis, venamque ejus laceſſentibus, ſubinde carmina luſiſſe, teſtatur Valer. Andreas, eaque inter memorat Scheti Epigramma praefixum Deſcriptioni Belgii Ludovici Guicciardini, quod ex editione Antverpienſi Plantiniana etiam addidi, ut & carmen aliud Eobani Heſſi ad Schetum, ex illius Poëmatibus deſumtum. Haec enim fuerunt, quae ex noſtri luſibus Poëticis indagare potui, & his cum exiguo chartarum detrimento inſerenda duxi, ne interirent, licet alia plura eum ſcripſiſſe carmina non dubitem. Eruditionem viri & Poëticam facultatem laudarunt plurimi, qui iſta aetate floruerunt. Franciſco certe Sweertio (*c*) inter illuſtres & doctos Brabantiae Scriptores vocatur *Gaſpar Schetus*, *Corvinus* (*d*), *vir no-*

(*c*) in Monum. Sepulcr. Brabant. pag. 20.

(*d*) Illud *Corvini* nomen, cujus originem ignoro, Antverpiae adſciviſſe Schetum, patet ex Eob. Heſſi Elegia ante Homeri Iliada, pag. 250. hujus edit.

*Sic etenim doctas ſequeris, Corvine, Sorores,*
*Conjunctum hoc Scheto jam tibi nomen erit.*

*nobilis & Poëta.* Quanti doctrinam Scheti fecerit Juſtus Lipſius, patet ex illius Quaeſtionibus Epiſtolicis (*e*), ubi ejus judicio ſubmittit emendationes aliquot Livianas, dicitque Schetum, *non ſolum hiſtoriae veteris, ſed etiam, quod admirabile ſit in illa vi occupationum, Poëſeos peramantem fuiſſe.* Prudentiam Scheti politicam laudat J. Bapt. Taſſius (*f*), cui dicitur *Financiarum Quaeſtor Regius, vir prudens, negotiisque gerendis aptus.* Sed ampliſſimo elogio eum (*g*) exornavit Valerius Andreas, dicens: *Vir fuit, ſive prudentiam ſpectes, multorum annorum experientia partam, ſive ſapientiam atque acumen ingenii, ſeu denique doctrinam eloquentiamque, in ſingulis ſingularibus animi dotibus excellens.* Praeſertim vero in laudes ejus effuſus eſt Jo. Goropius Becanus, qui Originum ſuarum Librum VII dedicavit huic Gaſp. Schetzio Grobbendonckio; ejusque Fratribus, Melchiori Schetzio, Rumeſtae Toparchae; Balthazari Schetzio, Hoboocquenae Toparchae; Cunrado Schetzio; & Joanni Flemingo, Sebaſt. Filio, Domino in Wyneghem, Gaſparis Schetzii genero; quorum doctrinam,

(*e*) Lib. II. Ep. 14.
(*f*) Lib. III. Comment. pag. 206.
(*g*) Biblioth. Belg. pag. 257.

Digitized by Google

nam, literarum amorem, & ampliſſima praedia ac poſſeſſiones valde effert & celebrat (*b*).

Illuſtris enim haec familia Schetziorum, quae, teſte Guicciardino in Belgicae Deſcriptione, ex urbe Trajecto ad Moſam ingenuam habuit originem, inde Antverpiam, commerciis mercaturae tunc valde illic florentibus, ultra 230. abhinc annos, ſe contulit, & mercaturam ibidem feliciter exercuit. Certe Gaſp. Schetzius ipſe ſe *Mercatorem Antverpianum* vocat in titulo Carminis ad Eobanum Heſſum ſupra memorati, & in hoc Volumine editi (*i*). Hinc divitiis aucta fuit,

(*b*) pag. 567. & 568.

(*i*) p. 257. quin & in Eccleſia quadam Antverpienſi exſtitiſſe, & forte adhuc exſtare ſepulcrum, cujus lapidi inſculptum fuit nomen cujusdam Schetzii Mercatoris, per literas aliquando mihi indicavit Nobiliſſ. Meermannus. Et haec vel ideo notamus, ne Nobilibus, ex mercatoria Schetziorum, ſed titulis ſplendidioribus deinceps nobilitata, familia deductis, pudori ſit, gentem illam divitiis mercatura acquiſitis adeo illuſtratam fuiſſe: non magis profecto, quam nobis Belgis contumelioſum cenſendum eſt, ſaepius a Scriptoribus exteris, ſed malignis, & rerum Belgicarum imperitis, paſſim vaniſſimo & ridiculo ſupercilio, *mercatorum* & *piſcatorum* nominibus quaſi traductos, & cum quodam deſpectu exſibilatos fuiſſe Hollandos, Amſtelodamumque vulgari, ſed puerili, errore, *non niſi piſcatorum quemdam olim nidum, & ſtationem miſerandam*, vocatum, ex quo tamen nido ova luculenter excluſa ſibi vindicare non inlibenter amant hi nobiles Lamiarum nepotes.

fuit, & variis agris praediisque adquiſitis ſe ſupra Mercatorum conditionem exſerere coepit. Gaſparis enim pater Eraſmus Schetzius Secundus arcem Grobbendonckam, prope Herenthaliam, quae olim familiarum Kraayenheimiae & Brandtiae, tum Philippi Clivenſis, & domus Maſtainiae, patrimonium fuit, jam an. 1545. emit a Philiberto Maſtainio (*k*). Ex illo Eraſmo Schetzio Secun-

tes. *Nos vero*, ut cum Favorito Norico loquamur in Obſerv. ad Diſcurſ. Gundling. de Republ. Holl. pag. 33-35. *haec convicia ut diu Patriae noſtrae fieri poſſint, voveamus, qui haec mercaturae & navigationis commercia inter prima Reipublicae fulcra & ſubſidia numeramus, & a Deo ſummis precibus contendamus, ut talibus Mercatoribus & Piſcatoribus, a quibus nobis vilitatem & contemtum conciliare tentant aliarum gentium maledici Auctores, magis magisque augeatur & ornetur Hollandia, neque in eorum locum ſuccreſcere videamus tumidorum hominum intolerabilem turbam, qui, locupletati nummis & divitiis paterno labore & ſtudio partis, negotiandi quaſi vilitatem fugientes, titulis magnificis, Gallorum & Germanorum more, civibus ſuis praelucere contendunt, & ab exteris Principibus Baronum, Comitum, Marchionum, & Ducum inſignibus ornati, jam Mercatores, ut ſecundarium civium genus, deſpicere inſtituunt, eosque non magni facere ſolent, niſi quando luxuria & profuſio cogit in eorum aere eſſe.*

(*k*) Vid. Butkens Trophées de Brabant T. II. pag. 266. & 267. & librum Gallicum, in his oris rariſſimum, qui continet Syllabum Nobilitatis Belgii (*Nobiliaire des Pays-bas*) pag. 136. Iſtius Arcis *Grobbendonckae* conſpectus eſt in Brab. Illuſtr. Jacobi le Rooy pag. 96. eamque an. 1602, tempore Alberti & Iſabellae, Baroniae titulo in gratiam Antonii Schetzii, Sylvaeducenſis Praefecti, deco-

cundo, Conradi Filio, Eraſmi I. nepote, d. 30. Maji an. 1550. defuncto, natus Gaſpar Schetzius, Opuſculorum horum auctor, favênte etiam Mercurio uſus, & opibus pollens, primum inter Magiſtratus Antverpienſes electus, (unde ab Eobano Heſſo in titulo Elegiae ante Homeri Iliada vocatur *Patricius Antverpianus*) & deinde Belgii regimini admotus, a Philippo II. ad Conſiliarii ſui, primi Regiae arcae Praefecti, ſeu Theſaurarii, quin & Equitis aurati dignitatem evectus fuit, ut inter Nobilitatis (*l*) primariae viros emineret. Paternae vero Caſtelli Grobbendonckii poſſeſſioni an. 1559. adjecit Hoboockenae Toparchiam (*m*), quae anno 1600. itidem ab Alberto Archiduce Baronia facta eſt in gratiam Conradi Schetzii, quarti Gaſparis filii, cauſſa rei bene geſtae variis Lega-

decoratam, tradit Gramaye in Antverpia pag. 35. ubi addit, jam an. 1545. ejus poſſeſſorem fuiſſe *Eraſmum Schetzium, virum primi ordinis.* Quin & an. 1637. a Philippo IV. Hiſpaniae Rege, *Comitatus* titulo inſignita fuit. Vtriusque diploma eſt apud Butkens Troph. de Brab. in Supplemento Lib. VIII. p. 363. Grobbendonckam vero ab Alex. Farneſio, Principe Parmenſi, poſt Antverpiam fruſtra tentatam, captam & incenſam fuiſſe, patet ex Thuano Lib. LXVIII. §. 17. p. 681. & Borrio Tom. II. Lib. XIII. pag. 36.

(*l*) Illud enim ſimplici nobilitate Brabantina illuſtrius decus eſſe patet ex Chriſtineo Jurisprud. Heroic. p. 389. & 390.

(*m*) Vid. Butkens Troph. de Brab. T. II. p. 263.

** ** ** ** *

Legationibus in Angliam aliasque terras ſuſceptis. Deinde an. 1561. a Carolo Brimaeo, Megano Comite, emit Weſemaliae (*n*) Dynaſtiam, inter Lovanium & Arſchotam, multis pagis aliisque honorum praerogativis inſignem, & quae ad filium ejus quintum Antonium, Baronem Grobbendonckium, pervenit. Denique, ut terram Ingenam & Heyſtam praeteream, etiam anno 1565. ab Antonio Withamo ſibi conparavit Toparchiam Hautveniam, prope Geelam, quae ad filium tertium Melchiorem Nicolaum, deinde ad nepotem Ignatium Auguſtinum devoluta eſt.

Vt vero inſignem hanc Schetziorum familiam paullo adcuratius exponam, ſciendum eſt, Gaſparem noſtrum, praeter duas ſorores Mariam & Iſabellam, habuiſſe tres fratres, Conradum Schetzium, qui Annam Brimaeam in matrimonio habuit; & Melchiorem, Equitem, Annae Straeleniae maritum, ex qua Melchiorem & Gaſparem filios progenuit, quique an. 1545. a Gulielmo I. Arauſionenſi Principe emit Rumpſtam, Willebroekam, Ruysbroekam, & Boomam; tum Balthazarem Schetzium, Hoboockenae Topar-

(*n*) Ejus conſpectus eſt in Brabantia Illuſtr. Jacobi le Rooy pag. 15. de Weſemalia, in Schetzianam familiam devoluta, vide etiam Gramayi Lovanium pag. 111. Jo. Carpenterium in Hiſt. Camerac. P. III. pag. 950. Miraeum in Diplom. Belg. Lib. I. c. 128. p. 278. & Butkens Troph. de Brab. Tom. II. p. 125.

Digitized by Google

parcham, qui ex prima uxore Maria Straeſenia ſuſcepit Eraſmum & Antonium Schetzium, alioſque, qui domus Vrſeliae nomina adſumſerunt: ex ſecunda vero Lucretia Lamphateſia Lancelottum Schetzium, Grobbendoncki Comitem, Weſemaliae Baronem, Heyſtae, Pullae, & Pulderboſchi Toparcham, Chiliarchum; & praeter hos Gothofridum Nicolaum, Carolum Antonium, Hyacinthum, Ignatium Auguſtinum, Florentium, & quatuor filias. Ex his trium Gaſparis Schetzii Fratrum, ſeu Eraſmi Schetzii filiorum, memoria ſervata eſt in Numo an. 1556. cuſo, quem in Hiſtoria Hollandiae Numiſmatica exhibuit G. Loonius (*o*). Balthazarem vero Schetzium eumdem arbitror, cujus mentionem facit Viglius in Epiſtola ad Hopperum (*p*), ubi ſcribit eum ambiiſſe, ut ab Ordinibus Belgii mandaretur eorum negotia in aula Hiſpanica gerere. Ipſe quoque Gaſpar Schetzius conjugiis & progenie felix ac fecundus exſtitit. Duas enim uxores duxit; primam Margaretham van den Bruggen, forma & dote conſpicuam, quam innuit ipſe in Carmine ad Eobanum Heſſum (*q*):

*Vivo*

(*o*) Tom. I. p. 63.
(*p*) In Analectis Hoynckii a Papendrecht Tom. I. P. II. Ep. 249. p. 840.
(*q*) pag. 258. hujus edit.



Digitized by Google

*Vivo tamen, mecum & melius mea Pontia vivit,*
*Quam mihi perpetuo foedere junxit Hymen.*

& Eobanus Heſſus altero ad G. Schetum Carmine (*r*):

*Gratulor uxoremque tibi cum dote pudicam,*
*Quam forma Venerem vincere poſſe ferunt.*

Secundam vero conjugem ſibi junxit ex primaria Brabantinorum Nobilitate Catharinam d'Vrſele, filiam Lancelotti d'Vrſele, & Barbarae de Liere, quas Scheti nuptias Epithalamio celebravit Nicolaus Grudius (*), Jani Secundi Frater. Ex illa vero Catharina Vrſela, praeter aliquot filias, non una ſobole maſcula gentis ſuae decora extendit. Primus inter filios ejus numeratur Lancelottus, vel Ladislaus, Schetzius, Eques, Weſemaliae, Pullae, & Pulderboſchi Toparcha, Mareſchallus Brabantiae; idem, ni fallor, qui in Catalogo vel Indice Magiſtratuum Bruxellenſium inter Conſules anni 1586 & 1587. recenſetur apud Butkenſium (*s*), obiitque an. 1591. & hujus forte filia

(*r*) pag. 284. hujus edit.
(*) Lib. III. Eleg. I. pag. 32—35. ed. Bon. Vulcan. Vnde patet, Schetum inter & N. Grudium non minorem fuiſſe amicitiam, quam inter noſtrum & Hadr. Marium, alterum J. Secundi Fratrem: ut oſtendunt duo Marii carmina G. Scheto inſcripta, in illius Elegiis pag. 76 & 78.
(*s*) Troph. de Brab. Tom. II. p. 455.

Digitized by Google

filia fuit Lucretia de Grobbendonck, ſapientiae ſtudio, & mathematices ſcientia celebris, cujus memorabile Epitaphium, quod habetur Bruxellis in templo D. Gudulae (*t*), adponi meretur, ut eruditarum Feminarum numerum augeat:

D. O. M.

*Nec non aeternae memoriae*

LVCRETIAE DE GROBBENDONCK,

*Weſemali Baronis filiae,*

*Quae poſtquam adſiduo Sapientiae deſiderio coelibes, quos*

*Vixit, annos* LVII. *magni Euclidis libris, ſurdis Algebrae regulis, Mathematicis ſtudiis inpendiſſet, illisque longe*

*Supra ſexum exculta, Geometris nullis inpar, admirationi multis exſtitiſſet,*

*Tandem obiit Virginei partus anno* 1627. *Octobris die* 3.

*Hoc fratris amantiſſimi Baronis de Hoboken electo ſibi tumulo condita,*

*Vt nec morte ſeparata, quem individuo in vivis animo, mortua corpore ſociaret.*

Anno-

(*t*) Editum legitur pag. 102 & 103. libelli, cui titulus eſt: *Baſilica Bruxellenſis, ſive Monumenta Antiqua, Inſcriptiones & Coenotophia Aedis D. Michaëli Archangelo & D. Gudulae Virgini ſacrae*: qui prodiit Amſt. 1677. 8vo.



Digitized by Google

Annorum certe calculus Lucretiam hanc Lancelotti illius Schetzii, Weſemaliae Baronis, filiam fuiſſe confirmat. Hunc Lancellottum, vel Ladislaum, Schetzium memorat Butkenſius in Supplemento Tropaeorum Brabantiae (*v*), neque cum primo hoc Schetzii noſtri filio, an. 1591. defuncto, confundendus eſt Ladislaus Schetus Grobbendonckius, Praefectus Thenarum, vel Tillemontii, in Brabantia, qui ad an. 1595. memoratur a Meterano (*x*) ac Thuano (*y*). Illum enim fuiſſe filium Balthazaris Schetzii, Gaſparis hujus fratris, quem ſupra memoravi, opinor, & vita defunctum eſſe anno 1619 patet ex eodem Butkenſio (*z*). Alter Gaſparis Schetzii filius fuit Melchior Nicolaus, Heyſtae & Ooſtervici Toparcha, qui inter Scabinos Antverpiae ad an. 1561. & 1564. numeratur a Butkenſio (*a*). Ad Equeſtrem dignitatem anno 1596. evectum, & uxorem habuiſſe Mariam Marnixiam, ſed ſine poſteritate obiiſſe an. 1628. ſcribit Auctor (*b*) libri de Nobilibus Belgii.

Ter-

(*v*) Tom. III. Lib. VIII. pag. 289. ubi ejus dignitatum titulos enumerat.
(*x*) Lib. XVII. fol. 351.
(*y*) Lib. CXII. §. 9. p. 467.
(*z*) In Supplemento Trop. Brab. mox cit. loco p. 287.
(*a*) pag. 507, 508, & 509.
(*b*) Nobiliaire des Pays-Bas, Tom. I. pag. 102.

Digitized by Google

Tertius Joannes Carolus Schetzius, Geſtelae Toparcha, anno 1595. defunctus, quem Protonotarium Apoſtolicum, Cathedralis Eccleſiae Leodienſis S. Lamberti Canonicum, ſupremi Senatus Belgici in Hiſpania Conſiliarium Eccleſiaſticum, & a Philippo II. ad Tornacenſes infulas deſtinatum fuiſſe, ſimulac Ludov. Barlaimontius ad priorem Archiepiſcopatum Cameracenſem rediisſet, ſcribit Sanderus in Flandria Illuſtrata (*c*). Huic adjungi poteſt alius Schetzii noſtri filius Joannes Conradus, Protonotarius, & Praepoſitus S. Servatoris Vltrajecti, Butkenſio etiam indicatus; & Conradus Schetzius Grobbendonckius, Hoboockae & Hingenae Toparcha, Equeſtri ordini adſcriptus literis Philippi II. datis d. 9. Dec. an. 1588. ut notat auctor Libri (*d*) de Nobilibus Belgii. Sed ceteris noſtri Schetzii filiis celebrior in Annalibus Belgicis eſt Antonius Schetzius, Comes Grobbendonckius, Baro Weſemaliae, Durbuvii & Heiſtenbergae Toparcha, Eques Ordinis S. Jacobi, Caſtrorum Praefectus ſeu Mareſchallus Legionis Walonicae, urbis Sylvaeducis per multos an-

(*c*) Tom. III. pag. 453.
(*d*) Tom. I. p. 79. & 80.



Digitized by Google

annos, & poſtea etiam Lovanii, Praefectus (*e*). Minus decoram hujus Sylvaeducenſis Praefecti mentionem faciunt Hiſtorici in deſcriptione famoſi illius certaminis ſingularis equeſtris inter Gallos, Duce Briautaeo, Gallo nobili, & Abr. Gerardi Fil. Cupediarium (Lekkerbeetzium) anno 1600. conmiſſi, qua pugna quum fortiter dimicans Briautaeus tandem captus eſſet, inermis, juſſu hujus Antonii Grobbendonckii, triginta vulneribus confoſſus (*f*) dicitur. Sylvaeduci praeerat, quando Mauritius an. 1601. fruſtra hanc urbem tentabat, ut Albertum ab Oſtendae obſidione avocaret (*g*). Eumdem quoque, ſimul cum Adolpho Comite Bergenſi, d. 7. April. an. 1603. copias nonnullas Mauritii equeſtres

(*e*) His enim titulis inſignitur apud Butkenſium in Supplemento Trop. Brab. T. III. Lib. VIII. p. 289. & in Epiſtola Gallica ab Henrico Comite Bergenſi ad eum ſcripta d. 16. Jul. an. 1629., tempore obſidionis Sylvaeducenſis, quae habetur in Jacobi Prempartii Narratione iſtius obſidionis. *Antonius Baro de Grobbendonck* vocatur Fr. Haraeo in Annal. Brab. T. II. p. 595. & Antonii hujus Schetzii Grobbendonckii mentio eſt apud Grotium Lib. X. Hiſt. p. 412. & Borrium Lib. XXXVI. p. 527.

(*f*) Vid. Thuanum Lib. CXXIV. §. 4. Grotium Lib. IX. Hiſt. init. Ang. Galluccium Lib. XII. de Bell. Belg. p. 558. & Borrium Lib. XXXVII. p. 601.

(*g*) Vid. Grotium Lib. X. Hiſt. p. 412. & Thuanum Lib. CXXVI. §. 10. pag. 82.

Digitized by Google

ſtres profligaſſe, Annales noſtri (*b*) memorant. Sed an. 1605. Archiducis Alberti juſſu Graviam (*i*) ex inproviſo capere inrito ſucceſſu adniſus eſt. Famam vero praecipuam adeptus füit ſtrenua defenſione Sylvaeducenſis Vrbis, quum an. 1629. obſideretur a Frederico Henrico, Principe Arauſionenſi. Elogio certe haud vulgari ea propter laudatur a D. Heinſio in Hiſt. rer. ad Sylvamducis anno 1629. geſtarum (*k*): *Vrbem*, inquit, *omnium judicio inexpugnabilem ac ſuo, ea tempeſtate Antonius e Schetziorum gente, (vulgo, Baro Grobbendonckius) cum tribus peditum ſuorum millibus, tribusque turmis equitum, tenebat. Acer animi, atque imperandi in iisdem locis vetus, circumſpectus, ſui obtegens, probata hoſti aut decreta per fidiſſimos ubique clam rimari ſolitus. Nec bello minor*, &,

(*b*) Vide Meteranum Lib. XXV. fol. 499. verſo. Thuanum Lib. CXXX. §. 8. p. 195. Grotium Lib. XII. Hiſt. p. 438. & Chronicon Belg. Flandr. Tom. III. Cap. XXIII. p. 549.

(*i*) Vid. Galluccium Tom. II. de Bell. Belg. p. 309. & Grotium Lib. XIV. Hiſt. p. 468.

(*k*) Lib. I. pag. 27. & 28. Addantur Commelinus in Vita Fred. Henrici pag. 55. Clericus Lib. XI. Hiſt. Belg. p. 290. Neuvillius (vero nomine Bailletus) Tom. II. Lib. VI. cap. 14. pag. 92. & cap. 16. pag. 111. Auctor anonymus Vitae Fred. Henr. Lib. IV. pag. 255. & Memoires de Fred. Henri ad an. 1629.



Digitized by Google

*&, ut oppidi defenſione, ita multis libertati noſtrae, cladibus perſpectus, cui adhuc virtus pro temeritate habebatur.* Poſtea quoque in obſidione Lovanienſi an. 1635., in qua urbe copiis Hiſpanorum militaribus inperabat, virtutis bellicae ſpecimina dedit (*l*), vitamque produxit usque ad an. 1640. Hujus vero Antonii Schetzii Grobbendonckii filius ex ſecunda Vxore Maria de Malſſem fuit Ignatius Auguſtinus de Grobbendonck, Canonicus, Archidiaconus, & dein Vicarius Tornacenſis, tum an. 1667. Epiſcopus Namurcenſis, & tandem Epiſcopus undecimus Gandavenſis, in qua urbe obiit an. 1680. ut in Flandria Illuſtrata (*m*) ſcribit Sanderus. Sed plura de gente ac poſteritate Gaſparis Schetzii, qui Montibus Hanoniae d. 9. Novembr. an. 1580. (*n*) diem ſupremum obiit, non addo, quia operoſam illius, & familiae Schetzianae notitiam dederunt G. Loonius ſplendido Opere de Numis Hiſtoriae Batavicae (*o*), Auctor rariſſimi libri Gallici

(*l*) Vid. G. v. Loon Tom. II. Hiſt. Numism. Holl. p. 227. & Memoires de Freder. Henri pag. 182.

(*m*) Tom. I. p. 235.

(*n*) Vid. Mich. ab Iſſelt Hiſt. ſui Temp. pag. 714. Valer. Andream Biblioth. Belg. p. 257. & Fr. Sweertium in Athenis Belg. p. 265.

(*o*) Tom. I. pag. 61. & 62.

Digitized by Google

ci de Familiis Nobilibus Belgii (*p*), editi Lovanii an. 1760. & praeſertim Fr. Chriſtoph. Butkenſius in Tropaeis ſuis Brabantinis (*q*), ubi Schetzianae gentis adcurata exhibetur Genealogia, quae tamen poſtea valde inmutata fuit, ſub nomine Stemmatis Schetziorum vel Schetzenbergiorum, in ejusdem Operis Supplemento (*r*). Cujus rei rationem hanc memini ante tres abhinc annos mihi per literas indicaſſe Ampliſſimum Meermannum, virorum eruditorum laboribus officioſiſſimum, dum viveret, opitulatorem: Familiam nempe Schetziorum, ex urbe Trajecto ad Moſam oriundam, ut ſupra notavi, ſe Antverpiam contuliſſe conſtat, quod nititur auctoritate Lud. Guicciardini (*s*), fidem optimam meriti, quia ſcriptor diligens & adcura-

(*p*) Nobiliaire des Pays-Bas, Tom. I. p. 127-130.
(*q*) Tom. II. pag. 265.
(*r*) Tom. III. Lib. VIII. pag. 285-289.
(*s*) Guicciardini ipſius verba ſunt Deſcript. Belgii in *Antverpia* pag. 319. ed. Lat. ubi ſic de Gaſp. Schetzio, ejusque progenie: *Schetzii, domo Trajecto ad Moſam, honeſto loco progenita, hodie valde clari & illuſtres ſunt. Floruit in hac gente non ita pridem Erasmus, eruditus & magni judicii vir, qui inter alios quidem laudatiſſimos filios reliquit Caſparum, Baronem Weſemalium, Dominum Grobbendonckum, & aliorum quorumdam haud parvi momenti locorum Toparcham, ſupremum Regio nomine Belgii Theſaurarium, utriusque linguae doctiſſimum, magnum poëtam, &, ut paucis abſolvam, non literis minus atque virtutibus, quam opibus & dignitatibus inclytum. Hic ante paucos annos defunctus reli-*

ratus eſt, quique Antverpiae per multos annos vixit, & ſummus Gaſp. Scheti fuit amicus, ut oſtendit hujus Carmen in illud Guicciardini opus, pag. 285. horum Analectorum editum. Quum vero Schetus, mercatura Antverpiae feliciter facta, opibus ditatus praedia a-

*liquit numeroſam valde & honoratam familiam, in qua potiſſimum ſplendent Lancelottus, Baro Weſemalius, Dominus Grobbendonquii, & Conſul Bruxellenſis: Melchior Nicolaus, Dominus Heiſtii: Joannes Carolus, Protonotarius Apoſtolicus, Dominus Gaſtelae, & Conſiliarius Parlamenti Mechlinienſis: & Conradus, Toparcha Hingenii, Commiſſariusque Financiarum.* ad quem Guicciardini locum reſpicit Gramaye in Antverp. Append. ad Lib. III. Cap. ult. ubi de nobilioribus Antverpiae familiis agens, haec de Schetziis ſcribit: *Schetzii, qui habuerunt nuper publicis functos muneribus Gaſparem, Balthazarem, Melchiorem, & nunc Baronem Weſemaliae, Deputatum Brabantiae Ordinum, Hobocae, in Angliam Legatum, Grobbendoncae Comitem, Gubernatorem Sylvaducenſem, viros celeberrimos, Guicciardino dicuntur Trajecto oriundi, & habuiſſe Theſaurarium Principis, & plurium Dynaſtiarum compotes fuiſſe.* Inter illos vero, qui Antverpiae eruditione & literarum amore inſignes floruerunt, *Schetzios* quoque cum Torrentiis, Becanis, Delriis, Orteliis, & Bochiis enumerat Car. Scribanius in Antverpia pag. 71. Quod autem Guicciardinum, Franciſci Guicciardini, celebris apud Italos hiſtorici, nepotem, diligentem & adcuratum ſcriptorem vocaverim, id non inmerito a me factum. Eum certe *ſua Belgicae Deſcriptione non minus quam conſtantia in vectigalibus Albani inprobandis*, ſed a quo propterea in carcerem conjectus fuit, *aeternam a Belgis laudem promeritum eſſe* dicit Hooftius Lib. VI. Hiſt. pag. 227. & vide de ejus fatis Thuanum Lib. XCVI. in fin. & Conringiana p. 337.

Digitized by Google

agroſque conparaſſet, doctrinae atque ingenii dotibus gentem ſuam illuſtraſſet, & ad honores a Philippo II evectus, atque Equeſtris ordinis dignitatem adeptus eſſet, amiſſa priore conjuge, matrimonio ſibi junxit eximiam virginem Catharinam Vrſelam, ex domo, quae ſuam nobilitate longe antecedebat, deſcendentem, unde illius poſteri, omiſſo paterno nomine, deinceps maternum Vrſeliorum adoptarunt, qui Comitum Ducumque titulis inſigniti fuerunt, & quum e Schetziis proprie eſſent orti, a nobiliore Schetzenbergiorum gente vocari maluerunt, unde id inmutatae apud Butkenſium Genealogiae aliisque libris recentioribus inſertum fuit. Ex filiabus Schetzii Agneten, quae Roberto Bernemicurtio, Ottelandiae & Liesveltii Toparchae, elocata fuit, memorat Jo. Carpenterius in Hiſtoria Cameracenſi (v). Sed dubito, an apud alios mentio fiat Schetzii noſtri filiae Barbarae, Heyſtae Toparchae, quam Petro Pompeo Dordraceno nuptam fuiſſe tradit Matth. Baalius in urbis Dordraci Deſcriptione (x), cujus poſteri inter Magiſtratus Dordracenos & Leidenſes honoratiſſimi fuerunt, & adhuc hodie vigent; unde & Schetziorum inſignia conſpiciuntur in vetuſta Tabula gentilitia familiae Pom-

(v) Part. III. pag. 229.
(x) pag. 1184.

Pompeae, in praedio Meerdervoortano prope Dordracum pendente, quam illic ſe vidiſſe mihi adfirmavit Ampliſſ. Meermannus, cui non alia excogitanda videbatur cauſſa, cur, etiam in prima apud Butkenſium Genealogia Schetziana, nulla illius matrimonii facta ſit mentio, ſed alto ſilentio praetermiſſa, quam quod Schetziorum poſteri, inter Brabantinos ad inſignem ſplendorem deinceps elati, non ſatis illuſtrem hanc ſibi adfinitatem, cujus tamen minime eos pudere par fuiſſet, forte exiſtimaverint.

Sed ne Praefationis, quam ſub manu jam ſatis excreviſſe ſentio, limites excedam, hic finem ei inpono. Scribebam in Santhorſtiano d. x. Julii ann. CIƆIƆCCLXXII.

Errata

# *Errata operarum in hac Praefatione, ſic corrigenda.*

pag. I. l. 8. ACTA SVNT. *corrig.* ACTAE.
v. 12. has rerras. *leg.* terras.
VII. 18. *conſtitueruut.* *conſtituerunt.*
XII. 35. Hi enim non niſi, *diſting.* Hi enim, non niſi urbe &c.
XV. 18. Apud Fratrem igitur. *corrig.* itaque.
XXIV. 15. Joannis Auriaci. *leg.* Auſtriaci.
XXXI. fine. *notulae ſubjectae addatur:* Quae a Schetzio, Leonino, ceterisque, nomine Auſtriaci Ordinibus propoſita fuerint, & ad illa reſponderint Ordines, exhibet Borrius Lib. X. p. 814. 815——818.
LIII. 13. adſimilaverit. *leg.* adſimulaverit.
LVII. 23. moderatiora ipſa ſuadere. *corrig.* ipſi ſuadere.
LX. 5. ad monent. *ſcrib.* admonent.
LXIV. 8. ſuo ipſius decore ac pudore. *leg.* dedecore.
LXVII. 1. ablegatus, d. 6. Sept. Bruxellis egreſſurus, *haec ita ſupplenda*, ablegatus fuit Schetus, ſed quum d. 6. Sept. Bruxellis egreſſurus eſſet, &c.
LXX. 29. e re ſua cenſuerint. *lege*, cenſuiſſe.
LXXII. 11. inter ſe inierunt. *ſcrib.* inierint, *& paullo poſt* obtulerint.
LXXIV. *in nota:* emancipaverint. *lege* mancipaverint.
LXXXIII. *in fine notae primae.* Mirodii. *ſcrib.* Merodii.
CVI. 19. poſt *periiſſe*, *addatur*, tradit.
LXXXIX. 10. Audini. *leg.* Andini.
XCIX. 7. duplicato foenore. *leg.* non levi foenore.
CXIX. 6. ἀνονύμως. *ſcrib.* ἀνωνύμως.
CXXII. *in nota ſecunda*, l. 2. *poſt*, & quidem anno 1562. *inſeratur*, patuit, quando &c.
CXXV. in fine poſt locum ex Elegia Eobani Heſſi, *haec addantur:* quos verſus reſpicit Nic Grudius Epithalamio in ſecundas G. Scheti nuptias Lib. III. El. I.

*Cui pridem Heſſiacus manſuro carmine vates*
*Myſtica Corvini nomina prima dedit.*

SVC-

Digitized by Google

# SUCCINCTA NARRATIO EARUM RERUM, QUAE INTER SERENISSIMUM JOANNEM AUSTRIACUM,

AB EO TEMPORE QUO IN ARCEM NAMURCI SE RECEPIT, QUOD FUIT XXIV. JULII MDLXXVII.,

E T

# ORDINES BELGII,

DONEC AD ARMA VENTUM EST, ACTA SUNT,

P E R

# CASPAREM SCHETUM CORVINUM,

BARONEM IN WESEMALE, DOMINUM IN GROBENDONCQ, HEYST, ETC. EQUITEM AURATUM, ET REGIUM CONSILIARIUM, QUAESTOREMQUE PRIMARIUM, CONSCRIPTA;

QUIBUS IPSEMET, UTRIMQUE DELECTUS, INTERFUIT; PRAEMISSO STATUS BELGICI AB IPSIS TURBARUM INITIIS COMPENDIO, QUO PARTIUM ACTIONES, TUM ET AEQUITAS FACILIUS DIJUDICENTUR.

Occulta quadam & ineffabili Dei providentia omnibus hoc ſeculis jam inde a conſtituto mundi exordio fatale fuit, ut varii rerum humanarum caſus, regnorumque mutationes exiſterent; quibus omnium Authorum, qui Regum, nationum, populorumque res geſtas conſcripſerunt, tam refer-



Digitized by Google

ta ſunt monumenta, ut exempla hic proferenda non videantur. Quarum rerum qui cognitionem & cauſas calamitatum exploratas habent, indeque publicae gubernationis, ſive politicarum actionum, pugnantiumque inter ſe conſiliorum errores expendunt, minime admirantur; neque temporis hujus infelicitati attribuunt id, quod hac noſtra tempeſtate accidit, ſed eas rerum viciſſitudines eſſe judicant; a quibus aetatem nullam hactenus immunem defluxiſſe ſatis conſtat.

Nam ſi antiquorum exempla noſtris componimus, cauſas nimirum easdem eſſe rerum, eadem ſtudia hominum, easdem actiones, ad eundemque finem eventumque tendere, tam ante actorum authoritate, quam praeſentium teſtimonio comprobabitur. Imperiorum quidem & temporum antiquam ſeriem revolventibus, paſſim ſeſe offerunt horrendae confuſiones ab inquietis ingeniis concitatae, dum plerumque aut per religionis novae appetentiam, aut per foedera diſſimilium, aut per fortunae inſolentiam, ebriamque propriarum virium fiduciam, praeſertim cum hic furor animos populorum ita aliquo exemplo incitavit, ut contra unius alicujus placita, & paucorum dominatum, ſeu ambitionem, defendendam eſſe publicam libertatem putent. Nunc quoque nemo eſt omnium collimatius aliquanto Belgicae Reipublicae ſtatum introſpiciens, atque hunc cum ſuperiorum temporum memoria conferens, qui non facile aſſentiatur, quantumvis inconſulte, procaciter, & immaniter multa, nihil tamen novum eſſe peractum. Quamquam nulli alias motus vel obſcuriore, vel odioſiore initio, majoribus deinceps verborum armorumque contentionibus agitati fuerint, amantiſſimos alioquin publicae tran-

quil-

Digitized by Google

quillitatis Principes ceteroſque mortales a ſequeſtri judicio deterruerunt.

Ut enim novitates, ſeditiones, conjurationes, ſimultates, turbas, & armorum tempeſtatem totos jam duodecim annos Belgium varia fortuna devaſtantem ſilentio praeteream, cum accidere haec, & quidem neceſſario conſueverint, ubi exterorum dominatus irrepſit, & gubernationis forma cum Praefectis ſubinde mutatur, unde fit, ut diverſis ſtudiis diſtractis inquilinis in privatas ruant discordias, quibus provincias dilacerant. Enimvero cum hi motus inter ſe non neceſſarios excitant, perniciosa deinde arma foris invecta ſunt, quibus & ipſorum poteſtas labefactata, & exterorum ingenti incremento adaucta eſt.

Extra controverſiam eſt ſane, plus odii quam culpae in partibus ſemper fuiſſe, poſtquam remedium mali, quamquam praeſentiſſimum, malignitate & protervia utrimque rejectum eſt. Quare ſerpente malo eo ventum eſt, ut plus damni inteſtina, quam externa arma provinciis intuliſſe & illatura videantur. Exorta ſiquidem civilium diſſenſionum incendia difficulter reſtingui poſſunt, & fere ſemper ex uno tumultu, tanquam e fertili malorum ſeminario, multi naſcuntur, quos longi temporis bella, rerumque publicarum mutationes ſequuntur. Proinde aequum eſt, ſed & conſultum, agnoſcere, tam diuturno & calamitoſo bello, agrorum devaſtationibus, & infinitis caedibus, oppidorum urbiumque direptionibus & excidiis, occaſionem dediſſe novarum rerum ſtudium, hoc nobis aerumnas has & praeſentem calamitatem attraxiſſe; nimirum uti effrenata nonnullorum temeritas, quae eo erupit, ut quos obſequiis colere tenerentur, contumacia ad opiniones ſuas cogere



Digitized by Google

affectarent, coerceatur. Legibus quidem & publicis & privatis Gubernatorum poteſtas eſt circumſcripta. Verum enim vero, ubi imperio non eſt authoritas, nulla itidem eſt obedientiae & rerum gerendarum forma. Hoc Proceres, hoc Magiſtratus, civitates, municipia, & quotquot ordinem in Republica ducunt, animo obtendere convenit, factionis popularis minorem & tolerabiliorem eſſe offenſam, quam ipſorum conniventiae, qua cum reorum culpa non modo communicant, verum & illos, quibus jurata fide & ſolenni ſacramento devincti aſtrictique ſunt, officii intermiſſione laedunt.

Multorum porro animos fatigat admiratio, exſtitiſſe ab initio, qui inaudita temeritate, & divinae & regiae majeſtatis crimen aggreſſi, religionem innovare tentarent. Quam vero nunc, poſtquam hujus cauſa diſſidium latiſſime propagatum crevit, deſperatae ſint componendarum provinciarum rationes, nemo, proh dolor! non videt, praeſertim militari hactenus licentiâ exacerbatis provincialium animis, eoque ſubnata diffidentia adductis, ut a culpa metum ſupplicii, neque Regia fides, neque Imperatoria, Principumque Imperii interpoſita authoritas revellere aut eximere poſſe videatur.

Recens adhuc exſtat memoria plebeji ſub Parmenſi motus Praefecta, cum Imaginum demolitionibus per aedes paſſim ſacras graſſatum eſt, peſſimo exemplo, cum praeter religionis injuriam authoritas inſuper Regia convelleretur; muſſantibus nimium ad haec Proceribus & Civitatum Magiſtratibus, quos naſcenti crudoque adhuc malo obviam ire decebat. Sed cum regnis & provinciis fatalia impendent, inſtantque mutationum mo-

Digitized by Google

momenta; obcaecati paſſim a Deo omnes, alii petulantia, alii negligentia ſibi poenam accelerant attrahuntque. Exempla in promptu ſunt, quae impietatis & aliorum ſcelerum horrorem nobis incutere, vitaeque emendationem ſuadere debeant: Quod manifeſte iram Dei oſtendant; qui offenſus in primoribus ſomniculoſam Reipublicae adminiſtrationem, & in vulgo immodicos cupiditatum furores immittere & ſingulari clade aliqua caſtigare ſolet.

Paulo quidem, antequam in templa impetus fieret, Belgiae Nobiles libellum exhibuerant ſupplicem, quo acerbas quasdam ſanctiones & odioſa decreta; tum & noviter deſtinatos Epiſcopatus abrogari, & priſca privilegia reſtitui in integrum flagitabant; fuit hoc ad Nonas Aprilis anni LXVI. Unde velut e Pandorae pixide omnes Belgii perturbationes ſubſecutae ſunt. Enim vero neque temere aut ſine cauſis pacatiſſimum florentiſſimumque tot retro ſeculis Belgium, ita ut peregrinae nationes omnes tantae felicitatis faſtigio inviderent, feralibus nunc fluctibus quaſſatum, implicitum oppreſſumque jacet; verum diſtractiones primum animorum, & inteſtinae deinceps factiones externis hoſtibus in provinciam aditum patefecerunt, a quibus exhauſta jam, & aſſiduis direptionibus attrita, amiſſa, quam ferre non poterat, libertate, priſtinae conditionis recuperandae ſpem penitus amiſit. Niſi quiſpiam inevitabile hoc provinciae fuiſſe fatum contendet, & uti nihil in eodem ſtatu perpetuum manet, ita feliciſſima quaeque in deterius labi, infelicia contra ad ſplendorem erigi, fas tamen eſt calamitatum cauſas cum ipſis cauſarum authoribus per calamitates deplorare.



Digitized by Google

Accepto ad poſtulata illa, quae dixi, ancipiti reſponſo, quamquam perbenigno, varia per Brabantiam & Flandriam conſilia diverſimode ſunt agitata, quae ad periculoſam Reipublicae mutationem aeſtuantibus omnium & arrectis ad res novas animis ſpectabant. Popularis ſiquidem iis temporibus felicitas uberrimo vitiorum omnium fonte, plurimum licentiae ſibi arrogabat; fieri autem ſolet, ut, cum ad ſummum felicitatis culmen gentes pervenere, captatis ipſaemet undequaque occaſionibus, quaſi non ſat cito per alios, per ſeſe periturae exitium ſuum maturent, & urgeant. Multo certe proclivior eſt exitii quam felicitatis ratio, & hujus ut fere quam longiſſime quaerendae, illius cauſae prae foribus ſtrictae, paratae que excubant.

Sopita autem paulo poſt illa fuit tempeſtas, & diſſipatis conjurationibus, ejectisque, qui affluxerant, alieni a Romana religione dogmatis diſſeminatoribus, cum nemo non id, quod poſtea accidit, futurum metueret, Reſpublica tranquillitati ſuae eſt reſtituta.

Percrebuerat nihiloſecius longe lateque excitati tumultus fama, & vires, uti dicitur, eundo aſſumpſerat. Itaque perturbatum hunc Belgii ſtatum oportunam invadendi dominii occaſionem exiſtimantes Hiſpani, utpote qui multo jam tempore praedam & divitiarum hereditates ſibi polliciti, provinciarum fortunis inſidiabantur, non difficulter perſuaſo Rege ad ſeditionem turbasque ſecandas cum copiis Albano Duce, qui Regi ſubſecuturo viam ſe praeſtruere dictitaret, adventabant. Ingens erat ardor in concupitam deſideratamque jam pridem expeditionem hanc nomina dantium, non tamen ea erat fiducia, ut vi impreſ-

preſſionem facturi viderentur. Verum praeterquam quod Nobilitas privatim Regem ſibi reconciliaſſet, nihilque eſſe poterat praeſenti ſtatu pacatius, conſcii, ſi reſiſteretur, impares ſe futuros, religioſa pariter & officioſa Belgarum fide, qua gens ea, erga Principes ſuos praeter alias maxime commendatur, freti, cum ad provinciae fines ſubſiſterent, obvios habuere ex Nobilitate pleroſque, & inter hos Egmondanum Comitem, qui comiter & officioſe exceptos pacato itinere in regni meditullium perduxit.

Ex quo tempore Dux Albanus admiratus, uti veriſimile, Procerum ſtoliditatem, qui ſimplici hoc genere officii priorem offenſam obumbrare & eluere ſperarent, animum obfirmavit, ſeditionis authores, conſcioſque nequaquam diſſimulando impunitos dimittere, ſive in eo propriam authoritatem ſeu deliberatum Regis imperium ſecutus. Atque ita non magno negotio aliis Procerum, qui ſimulanter omnia agi ſibi perſuadentes conceſſam pro tempore culpae veniam ſuppliciis aliquando locum daturam metuebant, ambiguae fidei tutum exilium praeferentibus, aliis Belgici ingenii rotunditate minus circumſpectis, aliis turpi adulatione commiſſi memoriam deleri poſſe ſperantibus, aliis blandis pollicitationibus captis, & libera colla obvio jugo ſponte ſubdentibus, quod alioquin laborioſiſſimo forſitan bello non erat perfecturus, praeter ſpem eſt conſecutus. Principum autem luculentas divitias & parem in publico dignitatem cum authoritati ſuae officere non neſciret, praecipuos Ordines & familias, penes quas potentia erat, & dignitate eminebant, tollere decreverat, & manifeſtis ambitioſi animi ſignis abſolutum ſubito rerum gerendarum arbitrium ſibi arrogabat.

Cujus authoritatem non ferente Parmenſi, & retro cedente, gubernationem avidiſſime amplexus, cum neminem Belgarum crimine majeſtatis exemptum duceret, & diceret, promiſcuum terrorem intulit; ita ut innumeri, qui durum exiſtimabant, jugulum una cum patrimonio porrigere, in diverſa dilaberentur, patriamque metu mortis derelinquerent. Nihil certe ad miſeriae cumulum accedere illi poteſt, qui vitam ſibi relinqui beneficii loco reponere cogitur.

Neque vana trepidatio poſt acceptam ſiquidem in Friſia cladem, qua Comes Arembergius ad opprimendum Ludovicum Naſſovium miſſus cum ſelecta Hiſpanorum manu interierat, inauſpicatum hunc ſucceſſum vulgo non ingratum eſſe animadvertens, quo exultantes animos ſubito dolore compeſceret, caedes a Batenburgicis, Egmondano, Hornenſi, & aliis primae dignitatis viris, acerbo & luctuoſo Belgis ſpectaculo auſpicatus, non mitius deinde imperium in populares exercuit, proſcriptionibus & confiſcationibus mortuos jam reos cum innocentium ſuperſtitum injuria mulctabat. Et tum potiſſimum ſenſere Belgae amariores ſemper eſſe regnorum Miniſtros, quam ipſos Reges. Nec ſatis erat gentem, a qua natura abhorrebant, ante oculos verſari, niſi & aeternae ſervitutis fundamenta, validiſſimae arces miſeris urbibus imponerentur. Inciſis enim publicae adminiſtrationis nervis, ſublataque Civitatum libertate, & oppreſſa potentia, Gubernatorum authoritatem confirmari, & penes hos judicia & municipales leges cenſebat futuras; ut videlicet ſublato non modo juſſu, verum & aſſenſu populi, tum & Senatusconſulti ipſorum rogationes mandati vim obtinerent.

Mu-

Mutato itaque hoc modo Reipublicae ſtatu, mutata eſt & civium conditio, & rebellionis metu ſublato, militaris inſolentia quotidie ſeu in dies intolerabilior facta, valida incrementa ſumpſit. Tum quoque ad inuſitatorum vectigalium exactionem converſus, praeter cenſum centeſimi denarii, & ſolita alia tributa, venalium omne genus mercium, per emptiones venditionesque diſtrahendarum pretia decimari ſibi Dux Albanus poſcebat. Quod cum Ordines Reipublicae pernicioſum futurum; & paulo poſt conciſis hac ratione mercimoniis populum neceſſario extremam inopiam manere demonſtrarent; obſtinate tamen in ſententia perſtitit, nihil de ſuppliciorum ſeveritate & continuis exactionibus, quibus expilabantur provinciae, remittens, unde gravis omnibus & inviſus eſſe coepit. Inconſultus in hoc, quod diuturniora tutioraque inexhauſta & ſpoliata, quam in florente Republica ad ſtabiliendum dominatum praeſidia ſibi ſponderet. Secutum eſt enim, ut non tantum ipſe ex ſententia, & pacate gubernare non potuerit, ſed & ſeminato per provincias in irritatis animis odio, & excitatis paſſim motibus, ſucceſſoribus ſuis inextricabile bellum reliquerit.

Exulibus interim, qui profugerant, non una via fortunam reditumque in patriam tentantibus. Princeps enim Auriacae, qui ſalutem ſuam alienae dominationi nequaquam committendam judicarat, profugus & ipſe tunc, adunatis exulibus, tum & publicis Germaniae privatisque ſuis auxiliis inſtructus libertatis obtentu recuperandae patriae ſpem conceperat, nihil dubitans, quin ſibi cum exercitu adventanti Belgae Hiſpanorum acerbitatem pertaeſi certatim ſeſe jungerent. Ve-

ram inconcuſſae omnibus in Regem fidei, quae offerebatur, libertas poſthabita fuit; ſic ut ille tum, quamvis numero & robore equitum praeſtaret, & multarum nationum arrecti forent animi, utram in partem fortuna ſeſe inclinatura eſſet; infecta tamen re, ſolutoque exercitu in Gallias dilaberetur.

Cum vero poſt haec condonationem Albanus fruſtra promulgaret; namque hunc titulum exules pro ſua diffidentia interpretabantur, decimationem rerum venalium nihilominus urgebat; quae cum duro illius imperio cauſa fuit, cur & Fliſſinga, & Enchuſa defectionis principium facerent, tum & Brila in Lumaei poteſtatem redigeretur.

Quae quidem oppidula, licet Hiſpani ignobile rerum momentum eſſe ducerent, obſtaculo tamen fuerunt, quo minus nunc Belgio potiantur, atque his initiis obſcurum antea Zelandorum nomen, temeritate primum, mox armorum & rei navalis experientia emerſerit. Eaque deinceps ſubſecuta eſt rerum perturbatio, ut Medinae Coeli Dux placidiore mitiorique praeditus ingenio in locum Albani ſubmiſſus, cum ſtatum provinciae praeter opinionem turbulentiſſimum compeniſſet, otioſum ſe ſpectatorem praebere, & imperio abſtinere maluerit, quam aliena culpa de fortuna pariter & de honore periclitari.

Inter haec Princeps Auraicae ratus cumulo injuriarum plus aliquantum animi Belgis in libertatem ſeſe aſſerendi accreviſſe, cum jam civitates copiarum prohibitione & injuriis militum cum execratione crudelitatis Hiſpanicae gravari ſe quererentur, Ludovico una fratri montibus Hannoniae civitate obſeſſo ſuppetias laturus, numeroſiore quam antea

tea cum equitatu, trajecto circa Doesburgum Rheno, & capta Ruremunda, provinciam iterato ingreditur, milite vero pugnam detractante, tum & incidente Lutetiana caede, eadem qua prius uſus fortuna, dimiſſis copiis, & exarmatus in Hollandiam iter flexit, forte a provinciae illius Ordinibus evocatus ab bellum alia ratione redintegrandum.

Quem inſecutus Albanus, direpta Mechlinia, Noviomagi ſubſtitit, exercitu Frederico filio, qui fugientis veſtigiis inſiſteret, tradito. Hic Hiſpano magis odio, quam Imperatoriis virtutibus imbutus, in noxios pariter & innoxios ſupplicesque & dedititios promiſcuam lanienam imperabat. Tum Zutphania internecione concidit, & Nardia oppidum in cinerem redigitur; tum & Harlemenſium fortuna, immanitatis & perfidiae exemplum fuit. Qua vicinorum calamitate perculſae reliquae per Hollandiam & Zelandiam Civitates, facta ſocietate, maximo ceterarum provinciarum diſpendio defecerunt, & Auraicum principem, qui eo accerſitus, uti dixi, venerat, communi in cauſa ducem conſtituunt; neque caret admiratione, tantum eſſe ipſius authoritati tributum, ut quem ob irritatam ſecundo expeditionem & iniquitatem fortunae, quam minus ſibi propitiam experiebatur, non magnopere jam hoſti formidabilem eſſe, & praeteritis armorum apparatibus enervatum ſcirent, Provinciae tamen illae potentiae ſuae debilitatem ſupplere & fulcire poſſe ſperarent, & ſecurius ſeſe ſuaque defenſuros, ſi ipſius ſalutem in eodem diſcrimine conſtituti propugnarent, videri poterat alienis hactenus armis, ſumptibus & periculis, potius quam ſuis res magnas geſſiſſe, niſi multo maxima pars auſpiciis, in-

Digitized by Google

induſtriae & expeditis ipſius conſiliis felicis eventus gloriam adſcriberet.

Vario autem exinde eventu tranſlato in Hollandiam bello pugnatum, cum & Fliſſinga & Alcmaria terra marique non fauſto exitu tentatae eſſent; atque ita clementiae & fidei ſpe projecta, invaleſcente in dies maritimarum civitatum audacia, cum inſtructiſſimis claſſibus formidabiles eſſent, adverſae partes laborare coeperunt, & indurata paulatim armorum uſu Batavorum virtus gloriam, dominationis & victoriae curſum Hiſpanis interrupit. Neque conſtantius alii, aut majore cum fiducia egerunt, quam Zelandi, quibus & regionis ſitus belli favorem conferebat, & inexhauſtum pecuniae commercium piratica ſuppeditabat.

Albano demum in Hiſpanias poſt ablegatum Ducem Medinenſem evocato, aemulorum an invidia, aut Regis certo conſilio non ſatis conſtat, ſuffectus eſt Ludovicus Requeſentius, Caſtiliae, quem vocant, Commendator, qui initio mitiora omnia, & moderationem clementiamque pollicens, ſeu in hoc Albani conſiliis inſtructus, ſeu ſuapte natura ad Hiſpanorum tandem inſtitutum rediens, ſaevire quoque ſuo progreſſu coepit. Nihilo tamen felicius bello in Hollandos adminiſtrato, pudendis non ſemel cladibus affectus eſt, amiſſoque Middelburgo, fame ad deditionem compulſo, cum fruſtra aliquoties, & inproſpere annonam inferre conatus eſſet, obtenta demum ad Moccium victoria magno Antverpienſium diſpendio, a quibus Hiſpani uti victoriam ab hoſtibus, ſtipendia emeritae militiae connivente Arcis Praefecto extorſerunt, & ipſo Requeſentio ſpectante rebelles non ferendam exercuere licentiam. Qua commotus, & ob ſuorum ſeditionem, quam pe-

Digitized by Google

pecuniae inopia ſedare non potuit, moerore confectus, tandem durante Zirizaeae obſidione Bruxellis in fata concedit tertio Nonas Martii anni LXXVI. Cum jam Belgium toto decennio per tot calamitates ab invidenda illuſtrique illa fortuna ad extremam infelicitatem dejectum eſſet.

Ordines autem interea nihil praetermittentes, quod ad conſervandum Reipublicae ſtatum conducibile exiſtimarent; Concilium, quod Status vocant, cui Rex gubernandi authoritatem intellecto Requeſentii obitu conceſſerat, Regis loco habuere. Porro & ipſum Regem frequentibus proteſtationibus interpellabant, ut ad clementiam bonitatemque pronus, honeſtas juſtasque conciliandi rationes admittere vellet. Ita ut credibile ſit latenti & inevitabili quodam fato Belgicam tantis factionum procellis agitatam: atque utinam hactenus tempeſtas ea deferbuiſſet! Enimvero tanquam nulli antea motus, nulla incommoda provinciam afflixiſſent, continuatione ea ſeditionis, ſtatim a Requeſentii obitu miſerabiliter convulſa & dilacerata eſt.

Intelligens vero Rex, non poſſe per interregnum diu conſtare imperium, non ſuperſedendum duxit, quin ea, quae jam pridem ad Belgas ditionis ſuae homines pacandos, & priſtinae cum ſecuritati tum tranquillitati reſtituendos in animo conceperat, ſine cunctatione conficeret. Evocato in hoc Sereniſſimo Joanne Auſtriaco, quem in demortui locum Belgii Gubernatorem deſtinarat, & quo benevolentiam illi apud ſuos authoritatemque conciliaret, non niſi de inſtituto, ſuaque mente plenarie edoctum dimittere cogitabat: dum interim dicti Regii Megiſtanes Rempublicam procurarent.

Por-

Digitized by Google

Porro Hiſpanorum interea copiae, Zirizaea deditione recepta, ſtipendia denuo poſtulantes, tumultuabantur; ſic ut ipſorum victoriae luctuoſae ſemper Belgis exſtiterint. Jamque conjurato & infeſto agmine, prorſus quaſi ſublato Duce nullis militiae legibus tenerentur, profecti, civitatem aliquam in praedam vertere contendebant, ſed Mechlinia & Bruxellis excluſi Aloſtum demum per vim occuparunt. Cumque neque conſilii Regii Proceribus obtemperarent; neque ullis conditionibus ad officium reduci poſſent, in rebelles, hoſtesque publico edicto declaratos, Concilii authoritate Senatus Ordinum arma decrevit.

Dum haec fiunt, quemadmodum alius ex alio naſci ſolet tumultus, Heſius ejusque Vicarius Glimeſius Senatum Concilii, quod Status vocant, hoſtiliter aggreſſi e palatio Regio, ubi conſultabat, captivum abduxerunt; incertum quo authore aut inſtigatore. Quo quidem facinore motus Hieronimus Rhoda, qui tum Antverpiae erat, ſummam authoritatem regiminis ſibi uſurpavit, eo titulo, quod ex omnibus iis, quibus ea provincia a Rege demandata erat, liber exiſteret, reliquis Bruxellae oppreſſis. Et ut eam authoritatem potentia ſtabiliret, conſpiratione cum ſeditioſis inita, facinus ipſorum novo quaſi militiae authoramento confirmabat, adjuvante Sancio de Avila, cui militiae imperium commiſit. Hic itaque reliquum Italici Hiſpanicique equitatus robur e ſtativis deductum conjuratis conjunxit, qui ſimul impetu facto velut furibundi promiſcuis populationibus, nullo intermiſſo maleficio, vaſtitatem paſſim efficientes irreparabile per agros damnum dabant.

Ita-

Digitized by Google

Itaque ad arcendum malum refraenandamque hanc licentiam Ordines cum provinciis grave periculum impendere viderent, copias conſcribunt. Haec etenim conſcio nequaquam Rege ita fieri arbitrantes, & ipſius & ſuam pariter cauſam vindicandam cenſebant. Quod pro Patriae Civiumque ſalute facere ipſos pium videbatur & neceſſarium, atqui quod pium juſtum ſimul eſt, & quod neceſſarium licitum. Cumque omnes promiſcue cujuslibet loci, ordinis, profeſſionis, conditionisque perniciofis ſeditionibus his peti ſe viderent, neque Eccleſiaſtici a reliquo Reipublicae corpore disjungi ſe paſſi ſunt. Conſiderabant enim, ſi coeptis illi inſiſtentes effraeni quadam praedationum cupiditate, contemptis Regii Senatus decretis, miſerorum facultates diripere pergerent, non modo pacem religioni conciliari non poſſe, ſed nec reliquas Reipublicae partes ſubſiſtere. Et quia nemo de perduellione Hiſpanorum nunc dubitabat, adverſus eos non tam vi, quam defenſione uti ſe, & pro tot injuriarum ultione, proque ſalute ſua arma ſe ſumere profitebantur: ſi enim quieſcant, ſocordiae infamiam & certum exitium ſe manere; non etenim Hiſpanos licentioſe agere ceſſaturos, niſi vi coerceantur.

Ad haec quamquam multae difficultates occurrerent, ingens militiae labor ac pericula tum impenſae, vicit tamen praeſens neceſſitas futurorum curam. Quamquam hoc belli ſtudio & militari apparatu omni dedecoris plus & detrimenti quam laudis aut praeſidii ſibi compararunt, indigniſſime ſiquidem ferentes Hiſpani arma contra ſe expediri, ſine cunctatione cum Germanorum praeſidio, quod Antverpiam tenebat, agunt. Cumque cives de periculo ſuo ſolliciti Ordinum copias

pias intra moenia recepiſſent, illi paulo ante in arcem recepti facta ſubito eruptione poſt horrendas caedes urbem totius Europae opulentiſſimam diripiunt, ferroque & igne depopulantur. Et cum victorum arbitrio jus exerceretur, qui ſupererant, quaſi parva ſupplicia caedibus, incendiis & rapinis luiſſent, vitam poſſeſſionesque ſuas redimere coguntur. Quo facto nihil atrocius Hiſpani patrarunt unquam, neque Belgae ignominioſius paſſi ſunt; cumque hoc omnibus nationibus execrabile foret, impunitate tamen in licentiam receſſit.

Porro his malis & ingraveſcente in dies magis magisque periculo, cum militarem hanc inſolentiam majorem aliquam cladem allaturam appareret, niſi mature compeſceretur, coacti ſunt Ordines remedia quaerere, & cum paratis praeſidiis publicae ſaluti accurate cavere, quo Belgium aſſiduitate bellorum paene everſum, & nunc denuo novis motibus objectum, repreſſa ſeditioſorum audacia, ab interitu vindicarent, ad eamque neceſſitatem compulſi ſunt, ut Auraicum Principem, cui patria prius interdictum fuerat, ad ejusdem tutelam evocarent. Ita ut ille exilii injuria clarior redditus, malis civilibus & exterorum proterviae arbiter & vindex deligeretur. Unione itaque & foedere invicem ſeſe obligantes Pacificationis formulam octava Novembris Gandavi promulgant. Hoc quidem fecere ipſi neceſſario magis quam voluntarie, quo tandem bello civili & inteſtinis urbium factionibus finis imponeretur. Datum tamen id fuit crimini a plerisque, quod inconſulto Rege cum hoſtibus tranſegiſſent. Sed id factum a Concilii Regii inauthoratis per litteras excuſatum eſt, neque a Concilio tantum, ſed ab ipſis quoque Ordinibus, qui & Regem ipſum, tum

tum & vicinos quosque Principes de injuſta vi proteſtati legationibus fatigare non ceſſabant.

Atque rebus ad hunc modum fluctuantibus, Provinciae fines attigerat Joannes Sereniſſimus *Auſtriacus*, qui auditis hiſce turbis Luceburgi ſubſtitit, & datis ad Ordines quarta Novembris litteris, eo ipſo die, quo Antverpiana incidit calamitas, indicat, prout ex Havraeo intellexerint, Regem ſibi praefecturam Belgii commiſiſſe, in quo quamquam praeſciviſſet, quantum oneris & moleſtiarum ſuſciperet, illi tamen ſe neque potuiſſe excuſare, neque ipſis deeſſe voluiſſe, quo ſublatis offenſionibus, quidquid aliorum culpa commiſſum eſſet, ipſe corrigat, ut priſtina tranquillitate reducta idonee ipſis de pace caveatur, in hoc ſe Regis, qui pacis ſit cupientiſſimus, mandatis, & ſummaria voluntate inſtructum, quam ipſis ſit amplius declaraturus. Verum ad hoc neceſſariam ſibi eſſe ipſorum operam, uti & conſilia, deliberationesque ipſorum cognoſcat; Regis ſiquidem animum ſuumque omne ſtudium eſſe, in hunc ſcopum dirigi, in omnibus, quae juſta ſunt, gratificari ipſis, & nihil non, quod cum aequitate Regiaque dignitate conjunctum ſit, Reipublicae indulgere; affirmans incredibili id ſe deſiderio & unice affectare. Mittant itaque ad ſe delectos aliquot, quam fieri poſſit citiſſime, quibuscum agat, & quid Rex conſtituerit, communicet, ſuamque mentem penitius explicet.

Interea vero dum tractatur, quia intelligat Provinciam in armis eſſe, in primis neceſſarium videri, ut abdicata armorum acerbitate, bellicum apparatum intermittant, & ad otium quisque aut ſua negotia ſeſe referat; mandaturum ſe itidem Hiſpanis, ceterisque Regi militantibus, ne

B quid

Digitized by Google

quid interea moveant, & ab omni inſolentia & maleficio ceſſent; affectum autem ſuum, animique benevolentiam, & ipſa tractatione & rerum ſucceſſu certius cognituros. Certiores ergo facti Ordines de adventu Auſtriaci, miſſis extemplo ſelectis, deque ſua voluntate edocti, poſt varias tandem legationes, longasque tractationes, foedus cum ipſo Marchae in Famina faciunt, quod Hoye Leodienſis diocеſis oppidulum eſt, quo Auſtriacus & contra Ordinum Legati evocati fuere, edicto perpetuo cum Gandavenſi Pacificatione confirmatum eſt, quod & ipſe Rex religioſo poſtmodum & ſolemni aſſenſu comprobavit, deducuntur itaque ex pacto Hiſpanorum praeſidia ex arcibus, & quotquot per Belgium militares erant exterorum copiae, Provincia excedere jubentur. Atque ita conſtituta confirmataque utrimque pace, Auſtriacus omnia, quae optimum Gubernatorem decerent, promittens, Lovanium publica congratulatione deductus prima deinde Maji die Bruxellam ingreditur. Praeclaram de ipſo Reipublicae gerendae ſpem conceperant omnes, perque paternarum virtutum veſtigia publicae expectationi ſatisfacturum confidebant; & proximum erat, ut Belgium, e tantis aerumnis emergens, non modo reſpiraturum, verum & priſtinae fortunae faſtigium brevi denuo occupaturum fuerit.

Sed nutante fide & obſervantia nulla foedera conſiſtunt: at vero aequum erat, ut voluntati nos ipſius moderationique ſubmitteremus, eductoque peregrino & mercenario milite (quod unicum erat noſtrum votum) excuſſoque jugo, quod adeo intolerabiliter nos hactenus urſerat, gratias agere debebamus Sereniſſimo Juveni, cujus auxilio, fide, & benevolentia tam prompte tot malis

expe-

Digitized by Google

expediti videbamur. Neque anteacti erroris alia irrogabatur poena, quam obedientiae inſtauratio, cum qua & ſincera de Rege, deque religione opinio requirebatur.

Sed quae Belgium benignitate Numinis redivivum propius praecipitio admoveret, animos hominum malo aliquo genio inſtigante diffidentia invaſit. Quicumque enim erant animum Hiſpanici nominis odio perfuſum habentes, praecipue ſi qui eſſent nova religione imbuti, ſimultates atque diffidentiam inter Proceres, populumque aſſiduis demonſtrationibus accendere & alere non ceſſabant, inculcantes non temere credendum, quin pacis conditiones ferre maluerit Auſtriacus quam accipere, atqui admiſiſſe illas, neglecta propria dignitate, uti dictitet publicae quietis cauſa; quod vero ſine detrimento negare non poterat, cum commodo ſcilicet praeſtare, & quod cogere non valebat, beneficii quaſi ſui feciſſe, neceſſitate coactum, atque ipſum eſſe legitimum illud remedium, quo provincia ad ſervitutem retrahatur, ſi diſſimulando, & opportunitatem aucupando, uſurpandae poteſtatis occaſiones expectare poſſit; quas enim conditiones tam facile, licet invitus, ratas habuerit, facilius pro arbitrio, cum videretur, repudiaturum.

Ordinum vero Senatus periculoſam fiduciam periculoſiori diffidentiae anteferendam ratus, indubitatamque opinionem de ſinceritate Auſtriaci concipiens ulterioris turbulentiae non tam metum, quam cauſas declinare affectabat; ne ſcrupuloſiore ſolicitudine, novarum magis rerum ſtudio, quam ulla alia de cauſa temere quidquam attentaſſe viderentur. Ut enim nimia diffidentia tractationis materiam confundit, ita exploſa tracta-



Digitized by Google

tio transactioni & concordiae viam praecludit. Nihil quidem potius volunt omnes aut magis optant, quam pacem; verum & illud evidentiſſimum eſt, ubi imperio non ſit authoritas, neque eſſe legitimam parendi formam: haec porro unica eſt ad pacem methodus. Ubi ſiquidem Principum & Magiſtratuum authoritas apud populum in contemptum venit, & libertatis factioſa ambitione leges, & ſuperiorum reſpectus projiciuntur, atque conculcantur, juſtis, moderatis, ac ſalutaribus imperiis exploſis neceſſario prorumpit indomita petulantia in funeſtas ſeditiones, & ſeditioſi vel mutua laniena vel duro exterorum & inſuportabili jugo ad extremum mulctantur.

Quae per compendium praefari viſum fuit operae pretium, ut inſtituti hujus melius intelligatur ratio, utque brevis rerum inter Sereniſſimum Auſtriacum & Ordines, ab illo tempore, quo ipſe Namurcum receſſit, actarum Commentarius uſque ad belli, in quo haeremus, initium plenius intelligatur, utque ea, quibus ipſe pars maxima interfui, hoc prooemio velut delineata, proprio demum teſtimonio abſolverem & confirmarem. Porro ut hujus inſtituti mei ratio palam conſtet, ingenue fatebor, hunc me Commentariolum ſcripſiſſe nullo alio ſtudio, quam quod plurimos de cauſis rupti foederis perperam ſentire, & me quoque malae fidei nota perſtringi animadverti, quibus noſtra hac cura non erit difficile veritatem rei e veraci teſtimonio cognoſcere, quare ita ſe rem habere, uti hic referetur, Lectores obteſtor, ut fidem habeant.

Sereniſſimum Joannem Auſtriacum, poſteaquam Kalendis Maji, ut ſupra dixi, anno LXXVII. Bruxellis, quae

Digitized by Google

quae Regia eſt Brabantiae Civitas, in Belgii Praefectum admiſſus eſſet, & quarta poſt die, recepto in fidem populo, ſolemne de more juramentum praeſtitiſſet, omne extemplo ſtudium actusque eo convertiſſe, ut Ordinum populique animos, quos anteactis incommodis exacerbatos Hiſpanorum Imperium odiſſe, & abhorrere cognoverat, clementia, manſuetudine & humanitate ſibi conciliaret. Quod multis variisque modis tentatum cum parum ſuccederet, neque mutuam benevolentiam, uti ſperaverat, neque parem invicem affectum offenderet, & infra dignitatem praeſertim a plebe haberetur, gravem animo concepit indignationem.

Quam mirabiliter auxit id, quod non multo poſt inaugurationem accidit, cum ſcilicet ipſo in Civica, quam vocant, domo Bruxellenſi a Magiſtratu honorifice excepto, publicisque ſpectaculis, quae per inaugurationis ſuae occaſionem edebantur, intento, procacitate & inſolentia quorumdam, corporis ſui cuſtodibus vis admoveretur, ita quidem ut his per tumultum dilapſis, deſertus, omnique ſatellitio deſtitutus in aulam ſe recipere fuerit coactus, & quoniam hoc latum impune fuerat, neque Ordines aut Magiſtratus hujus inſolentiae offenſionem ullam demonſtrarent, impunitatem hanc pro aſſenſu accepit, quaſi & ipſi tumultum injuriamque ſibi factam non improbarent. Quin immo populari hac licentia publicaeque & ordinariae authoritatis contemtu ſuſpicabatur Praefecturae ſuae inaugurationem non eſſe ſinceris Ordinum ſuffragiis factam, & tantum ſecundo ſpecioſoque dignitatis titulo ornandum, gubernationis poteſtate penes ipſos manente, niſi ſcrupuloſis tractationibus deinceps reje-



Digitized by Google

ctis, authoritatem dignam eo, quem gerebat, titulo, ipſe ſibi capeſceret. Forte & factum illud indigne ferentes Primores quidam, qui ſibi perſuadebant, neque illum neque ſe ſine periculo in ea Civitate verſari, Sereniſſimi Juvenis animum magis exagitarunt, certo admonitum ſerio & ſaepius. Et intempeſtivis horis fuiſſe poſtea conſtitit, quare tandem ea urbe ſive praetexta, ſive vera & legitima occaſione diſcedere conſtituit, Mechliniam neceſſario ſibi proficiſcendum aſſerens, tranſigendi nimirum cauſa cum Germanorum Ducibus de ſtipendiorum ſolutione, quo militem e veſtigio ſecundum pacta e provincia deducat; neque enim conſultum videri, ut ii Bruxellas evocentur, eo quod Ordinibus & populo male cum ipſis conveniret, inde concepto odio, quod plerique direptioni Antverpianae interfuerint. Atque ita Mechliniam iter arripiens, cum inſuper infrequenti Belgicae Nobilitatis comitatu deduceretur, ad contemptum hoc quoque ſuum ſpectare exiſtimans, vehementius multo irritatus eſt, adeo ut (quemadmodum facile ſuſpicari licet, ex iis, quae poſt accidere, liquido conſtat) ab eo tempore, quo Bruxellas reliquit, ſive offenſa, ſive tractationis difficultate mutato animo longe diverſam a priore adminiſtrationis viam & formam aggredi inſtituerit; quique prius clementia & benignitate conciliata ſibi multitudine Rempublicam pacato & politico ordine inſtaurare cogitarat, cum fieri nunc poſſe deſperaret, authoritate ſibi hoc parandum cenſeret; clandeſtino Belgicorum Procerum quorumdam conſilio & inſtinctu id factum fuiſſe plerique arbitrantur, qui Germanos, quos ſacramento exolutos dimiſſurus erat, facta tranſactione denuo authorandos ſuaderent,

derent, blanditiis nihil ſe effecturum, &, niſi ſe authoritate muniat, ludibrio futurum aſſerentes, an publico bono, an privato commoti, dubium eſt; eo conſilio imbutus Mechlinia Namurcum profectus eſt per occaſionem ſalutandae Navarricae Reginae, quae illac ad Spadii, quae in Eburionibus ſunt, fontes iter habebat, quocum omnem ſuae Curiae ſequelam evocaſſet, mihi quoque uti Regio Miniſtro, ut ſe Namurcum e veſtigio ſubſequar, mandat, quod &, ut clientem decuit, facturum in me recepi, ſimulac privata aliquot negotia Bruxellis compoſuiſſem; quibus conficiendis aliquot dierum veniam conceſſit. Quare dum ea de cauſa ea in civitate moram traho, ubi & tum temporis conventus agebant Ordines, non niſi communicato cum ipſis profectionis meae mandato, in viam me dare ſtatui, ut ſi forte ad Serenitatem ſuam committere quidquam vellent, me nuntio uterentur. Petiere tum hoc, cum ipſo agerem, ut, quantum fieri poſſet, reditum ſuum Bruxellas acceleraret, ſe ejus magno deſiderio teneri, conſilium ſuum & praeſentiam in primis ad conſtituendam Rempublicam requiri. Quam Ordinum petitionem, quae ut juſta, ſic grata mihi futura viſa cum fuiſſet, ſtatim atque Namurcum appuli, ſuae Serenitati explicavi, reditum Bruxellas properum diligenter commendans. Sed ille contra graviter conqueſtus, multis indignisque modis pro tot ſuis in Ordines populumque Belgarum beneficiis praepoſteram ſibi relatam fuiſſe gratiam, declarare coepit, minime ſibi in animo eſſe Bruxellas redire, niſi alia ab illa, quae ipſo praeſente fuiſſet, forma regiminis conſtitueretur; perſpicere enim ſe, praecipue plebem diverſa eſſe abs ſe voluntate, magisque in univerſum

propendere omnium animos in partes eorum, qui in hoc tantum incumbant, ut perpetui tumultus per provinciam exerceantur, utque praetextu libertatis, privilegiorum, & immunitatum conſervandarum Regia paſſim authoritas attenuetur, & tandem penitus explodatur. Quam ob rem ſi reditum ſuum Ordines populusque deſiderant, & Regi authoritatem & ſibi vicario ejus obſequium, contra quae graviter commiſſum eſſe ſua cum contumelia perſenſerit, inſtaurent. Ad quae poſteaquam ego modeſte reſpondiſſem, & quantum omnino fieri potuit, ab Ordinibus culpam omnem removere, commotumque Auſtriaci animum pacare conatus eſſem, tandem apud ſe conſtituit, me rurſus ad illos mandare, tradita formula aliquot capitum, & conditionum, quas declarari ipſis, obſervari quoque & ad executionem ante reditum ſuum deduci cupiebat. Quo mandato inſtructum me vigeſima Julii die mihi natali, quod ominoſum duxi, ſpe bona plenum ab ſe dimittit, expreſſe injungens, ut reſponſum & ſummariam declarationem Ordinum intra Martis diem proximum referam, quod erat ad 23um ejusdem menſis. Cumque ejus mandati rationem & praeſcripti temporis cauſam, & cur ea reditus praecipitantia tam praeciſe praeſcriberetur, tunc non perciperem, minus maturavi reditum, hoc apud me ſtatuens, me ſat cito, modo ſat bene, inſtructum rediturum, ſed occupandae Namurcenſis arcis conſilium, quod tum latebat, me fefellit, quod ſi praeſciſſem, tam periculoſum conſilium impediturus forte tempeſtivius adfuiſſem.

Erant vero haec poſtulatorum Auſtriaci ſumma capita, nulli alii, cujuscumque dignitatis, ordinis,

nis, vel officii, praeterquam ſibi, utpote qui ſummam praefecturam gerat, ad corporis cuſtodiam ſatellitium permittendum; uti Civitatum praeſidia e numero Civium conſtituantur, interveniente Magiſtratus authoritate; quique iis praeficiantur, & obedientiam ſe Regi, ſibique illius nomine fidem omnem praeſtituros jurejurando ſe adſtringant; ordinatis pro civili oppidanorum more, & conſuetudine excubiis, absque ſignis & tympanorum fremitu: ut voce praeconis, & edicto publico apprehenſiones, & illegitimae ſcrutationes interdicantur: ne vel inquirantur vel extorqueantur, vel reſignentur litterae, niſi per delectos a Magiſtratu in hoc conſtitutos: ut Societates, quae appellantur, civium ſolemne juramentum praeſtent Magiſtratui, ſe & juſtitiae adminiſtrationi, cum ita res exiget, praeſidio auxilioque futuras: facto ut etiam decreto caveatur, ne quis famoſos libellos in publicum edere auſit, aut libellos exhibere ſupplices ſeditioſos, qui vel offendiculum praebere poſſint, gravi conſtituta poena in eos, qui ſimile quidpiam attentaſſe deprehendentur. Denique cum de obſervandis privilegiis nunc agatur, ne Ordines in conſeſſum ſuum quemque admittant, qui non, ſecundum privilegiorum formam, aptus & idoneus ſit declaratus, utque ad ſe transmittantur eorum nomina, qui in ipſorum conventus delecti recipiantur.

His itaque inſtructus, poſteaquam Bruxellas appuliſſem, quid in mandatis haberem, ad Ordines fideliter refero: Qui cum majorem propoſitionum partem ad Civitatis Magiſtratum ſpectare animadverterent, iis ea, quae ipſis declaraſſem, renuntianda judicarunt. Quare poſtulato Senatum mihi dari, adſcitis praecipuis aliquot, e ſecun-



Digitized by Google

da ejus Civitatis claſſe, mandati mei ſeriem, tum ita convocatis explicabam, monens & ardenter admodum exhortans, ut pro ea, qua & Religioni & Regiae majeſtati objuncti eſſent, fide, ſuique commodi, & ſalutis memores, voluntati ſuae Serenitatis tam aequabili, tamque juſtis rationibus ſubnitenti, ſubſcribere vellent; affirmans & conteſtatus nullam me in Auſtriaco deprehendiſſe notam, quae debeat in animos ipſorum dubitationem de illius ſinceritate producere. Quippe cui nihil prius eſſet, neque optatius quidquam, quam ut pax & otium in univerſa provincia ſtabiliantur; atque adeo ex privato colloquio, quod varium liberumque mihi ſua Serenitas conceſſerat, abunde intellexiſſe me, quantopere vel cum juris ſui, quantum ſalva dignitate liceat, diſpendio nihil non Reipublicae indulgendo, id ipſum affectaret.

Ad quae Bruxellani reſpondere; omnia jam pridem ordine ſibi praeſcripta fuiſſe, quae ad poſtulata Auſtriaci requirebantur, atque hac de cauſa dare ſe amplas ad ipſum litteras, quibus iis poſtulatis ſatisfaciant, pariter urgeant, ut reditum ſuum maturare velit. Quo reſponſo ad Ordines relato, illi quoque ad ea, quae ad ſe ſpectare videbantur, ſe cauturos promiſerunt, ne famoſis libellis Reſpublica turbaretur. Porro ne in conſeſſus ſuos niſi idoneos adſciſcant, catalogumque eorum exhibeant, in primo accurate ſe proſpicere, alterum vero difficulter fieri poſſe oſtendebant, eo quod delectorum ſubinde in Provinciis, & eorum, qui Rempublicam adminiſtrarent, incideret mutatio, ejus petitionis remedium remittentes in ſuae Serenitatis reditum, quem Ordines quoque cum Bruxellanis magnopere ſe deſiderare profi-

profitebantur, vehementer rogantes, hoc ſedulo procurarem, ut ad utilitatem Reipublicae Auſtriacus conſilia ſua referre vellet. Hoc expreſſis verbis mihi injungentes, ut ipſorum nomine reditus maturitatem inſtanter ab illo efflagitarem. Ego vero interea, priusquam Bruxellis diſcederem, operae pretium duxi, ut aliqua ſaltem in parte ſuae Serenitati ſatisfacerem, cum Heſio privatim agere, qui tum Bruxellanae Civitatis Praefecturam, nemine quamvis tradente, tamen nec contradicente, tenebat, eoque titulo, ad corporis ſui cuſtodiam, ſatellitio ſtipatus cernebatur, apud quem multis perſuaſionibus tantum effeci, ut me praeſente ſtipatores ſuos exauctorarit, & ab ſe dimiſerit.

Quibus expeditis Namurcum iter arripiens, in certiſſimam ſpem adductus eram, me ſuam Serenitatem animo pacatiorem Bruxellas brevi reducturum. At vero 25. Julii eo appellens praeter omnem opinionem in Caſtrum Namurcenſe jam eundem ſe recepiſſe offendi, idque tanta cum omnium tam admiratione, quam offenſione, ut omnibus etiam optime affectis ſcrupulum injecerit facti forma.

Inſtituta enim ex compoſito venatione, & deſiderio per oportunitatem videndae Arcis ſimulato, occupatis praeſidio portis, initio illius praefecto neſcio quo facto fuco, eam velut ex inſidiis invadere viſus eſt. Qua quidem ego rei novitate attonite perculſus graviter primum indolui reditum me meum, uti juſſus eram, non maturaſſe, quod me fortaſſis factum impedire potuiſſe mihi perſuaderem, quamvis pridem conſiliis agitatis conceptum ac peractum videretur.

Por-

Porro, recepto animo mandata mea expoſiturus Auſtriacum in arce adivi. Cui poſteaquam ſatis demonſtraſſem conceptum mihi ex hac ſubita rerum mutatione dolorem, aperteque & prolixè edocuiſſem, quantum ex hac novitate malorum in Provincias redundaturum manifeſte conſtaret, libere profeſſus, perniciosum, meo quidem judicio, ipſum hoc facto, quocumque authore, conſilium & periculi plenam deliberationem ſecutum; cum, ſi umquam alias, nunc certe eliminata exſtinctaque fide, & diffidentia omnium animos ſit occupatura. Explicabam tum demum actionem meam, quod cum Ordinibus & Magiſtratu communicasſem; quod etiam cum ceteris Bruxellis & ſpeciatim cum Heſio egiſſem, utque hic, quo ſuae Serenitati morem gereret, ſatellites ſuos ab ſe abdicaſſet, exhibens una Bruxellanorum litteras, ſimulque declarans, quam ardenti in univerſum deſiderio omnes tenerentur reducem ipſum coram videndi, exhortans ad hoc, & vehementer inſtans, ut indubitatam fidem benevoli omnium erga ipſum amoris concipiat; obſervantiam ad haec ſe cum authoritate conſecuturum non dubitet, ſi patienter aliquantisper hanc popularem inconſiderantiam toleret; fore enim ut, perſpecta novae & clementioris gubernationis forma, praefectorum immodica ſeveritate hactenus exacerbatos reducat, & priſtinae obedientiae, qua ſemper prae reliquis nationibus commendati fuere, reſtituat.

Ad quae ſua Serenitas, cum me benigne excepiſſet, & mandata referentem modeſte audiviſſet, non ſine ſuſpiriis ſerio conqueri coepit, ſatis ſuperque jam diu ſe ipſis ſibique indignam patientiam praeſtitiſſe, permagnam ſe prius in Ordinibus fiduciam collocaſſe, in populo quoque ſpem ha-

Digitized by Google

habuiſſe conſequendi id, quod ad ſecuram & dignam ſe gubernationem requirebatur, debitam nimirum authoritatem, obſequium & benevolentiam: longe vero ſecus ei eveniſſe, quam ſperaverat, neque hoc, quod ab Optimatum authoritate, & populi obſervantia, fide denique omnium exſpectarat, conſecutum, ſed ab omni horum ſpe excidiſſe; immo & hactenus praeſentiſſimo in periculo, uti Ordinibus ipſis per Raſſingemium nunciarit, ſe verſatum fuiſſe; ita quidem ut, niſi ſe tempeſtive in locum tutum recepiſſet, conjurati nonnulli ipſum comprehenſuri, & in cuſtodia retenturi fuerint, idque per plurium fide dignorum indicia accepiſſe ſe, ſed & variis, evidentibusque argumentis ſibi conſtare, & quo magis id ſibi credendum, metuendumque fuerit, debuiſſe ſaltem Senatus Regii exemplo permoveri, facti etenim recentem adhuc exſtare memoriam, quo primae authoritatis Magnates, Regiis & Provinciae negotiis praefecti & occupati, ſumma cum indignitate e palatio armata manu abducti, & cuſtodiae mancipati ſint.

Ad ea quamquam ego Sereniſſimi Principis commotum animum ſedare conatus diverſas omnino rationes protuliſſem, non veriſimile eſſe aſſerens, quemquam mortalium eo audaciae progreſſurum fuiſſe, tam temerarium, indignum & enorme facinus cogitandi, nedum attentandi reſpectum authoritatis dignitatisque ſuae, qua eminebat, id fuiſſe impediturum, benevolentiam quoque & affectum, quem inter Populares jam ſibi conciliaſſet, facile omnium in univerſum favorem amoremque ad ſe attracturum fuiſſe, ſi paulisper adhuc duorum aut trium menſium tolerantia ipſorum animos confirmare, iisque indulgere, & concedere potuiſſet, eaque via illum futu-

futurum fuiſſe a tali injuria tutiſſimum non putaret, modo praeter dignitatem ſuam eſſe delinimentis populum ad obſequium adducere, at conniventia paulatim turbatos animos ſedare.

Injuriam porro fieri bonis omnibus, quique in ipſum propenſo jam eſſent animo, dum inobedientiae & rebellionis totam gentem inſimulans, paucorum culpa concepta offenſione, univerſos vel perſtringat vel deſerat. Sed parum meis rationibus expugnatus, ſive quietis publicae cura ſive injuriam acceptam vindicandi cupiditate. Perſtitit in ſententia, proteſtatus quidem, non ſe voluntate, ſed neceſſitate, non lubentem, ſed invitum ab iis receſſiſſe; neque praecipitanter, ſed celeritate periculi urgente hujus facti conſilium arripuiſſe, atque id ſibi ſine mora fuiſſe exſequendum. Quod ſi in alterum vel tertium ſaltem diem diſtuliſſet, fraude ſe circumventum, ludibrio hoſtibus ſuis futurum fuiſſe; quam id vel ſibi decorum vel Reipublicae utile futurum fuerit, me poſſe judicare, ſe non eo uſque officii ſui oblitum, aut humanitatem adeo, pietatemque exuiſſe, quin otium potius quam moleſtiam populo concedere, pacem accipere, quam bello proſequi malit; Sed hoc jam tolerantia digna & indigna tentatum non ſucceſſiſſe; & contumeliam, quam cum exiſtimationis ſuae diſpendio ſuſtineret, indicio eſſe, non ſuccedere poſſe, cum ad Provinciae fines diſtineretur, & ſecum de pace, velut cum hoſte tractaretur, qui bellum numquam, neque injuriam feciſſet publicae quietis cauſa, multa ſe pertuliſſe, poſt conventiones ſe reprehenſione dignum nihil admiſiſſe; ſed conſumpta ſibi fruſtra conſilia eſſe omnia, ſublatam ſpem patientia ſe ſua poſſe ad authoritatem rectae legi-

legitimaeque gubernationi neceſſariam pervenire; hanc itaque diverſam a priore, at ſua opinione compendioſiorem viam ſibi decreviſſe, & quidem hoc tanquam in deſperatis malis, & extremum aggreſſum ſe eſſe remedium, priori quidem inſtituto violentius, ſed multorum etiam neutralium indicio tutius, quo & Regis de ſe exſpectationi ſatisfaciat, ſuamque exiſtimationem tueatur; tum, & commodo, tranquillitatique publicae conſulat, omnia alioqui, niſi periculoſo huic morbo medicina haec adhibeatur, neceſſario in pejus ruitura; eſſe proinde ſibi etiam atque etiam cavendum, ut non modo turbarum vel caput vel author, ſed ne nimia ſua lenitate cauſa habeatur; neque diſputandum deinceps aut verborum ambiguis diſceptationibus amplius agendum, aleam jam eſſe jactam, ulterius progrediendum eſſe, in quemcumque fortunae eventum, ajebat. Ego obfirmatum in hac ſententia ſuae Serenitatis animum, deque ſumma rei deliberatum eſſe, cum non ſine dolore ſummo, & angore viderem, ſumpto tamen animo coepi de induſtria argumentis quibusdam per interrogationes agere, ad excutiendam ſcrutandamque penitus ipſius mentem; & primo quidem, num pacificationem Gandavi factam turbare, & edictum perpetui foederis inter ipſum & Ordines pactum, quodque ratum habuerit, irritum facere, & illis eripere conſtituerit; an inde exortas diſceptationes & controverſias pro ſuo arbitrio decidere, & judex in ſua cauſa eſſe velit, an vel injurias aliquas a quoquam Primorum, ſive Orangiae Principe, ſeu alio quopiam acceptas ulciſci ſtatuerit. Quod ſi ita ſit, orare me, ut privatam quorumdam offenſam publicae cauſae condonare velit. At vero ſua Serenitas affir-

Digitized by Google

affirmare & aſſeverare contra, nihil horum ſe in animo habere, vel habuiſſe unquam, quod ſe ad facti propoſitique hujus ſui neceſſitatem compulerit; nihil etiam ſibi prius unquam vel religioſius futurum, quam ut pacificationem illam, & tractatum edicti per ſingula capita accurate obſervet, & obſervari curet, judicium vero controverſiarum neque ſibi arrogare, neque Principi Auraico concedere velle, ſed ad arbitros fide dignos a ſe & Ordinibus deligendos remiſſurum. Neque vindictam ſe aliquam de quoquam meditari, quamquam plurimi, actionibus ſuis ad ſpeciem compoſitis, tamquam Patriae aſſertores vindicesque, ambitioſe multa egerint, tum & indignis calumniis ipſum onerarint, in quos vero dignae calumniae retorqueri poſſint, nihilo ſecius tamen quam omnibus operam, benevolentiam & fidem hactenus praeſtiterit, nunc quoque, modo juſtum imperium agnoſcant, confirmare paratum eſſe ſe; neque velle libertatem ipſis eripere, quibus ſecuritatem conferre affectet: Denique quamquam graviſſimae ſubſint cauſae, quae ad vindictam illum incitare poſſint; quo tamen manifeſtior ſua ſit erga Rempublicam voluntas, omnium actorum memoriam ſe deponere velle, non modo ad praefatam uſque pacificationem, edictumque, ſed & in praeſentem diem, ita ut, ſi qui ad ſe venire velint, fide illis publica cauturum, unumquemque ſe pro conditione & meritis honorifice & benigne habendo, omnibus in genere gratificaturum, cumque ipſorum obſervantia, benignitate viciſſim ſe & lenitate certaturum, contra in contumaces & publicae quietis perturbatores animadverſurum ſe graviter, quo illi, pro munere ſuo, provinciam recte conſtituere & adminiſtrare liceat.

Qua

Digitized by Google

Qua declaratione cum arbitrarer Auſtriaci animum abunde declaratum, primum tam ſalutarem Reipublicae ſententiam collaudans, & quantam ex eo voluptatem conceperim, conteſtatus, ne tam pulchra haec oratio ſine emolumento & infructuoſa dilaberetur, ſuae Serenitati ſuadebam, ut, ad ſedandum popularem motum, quem certiſſime novitius hic & inſolens ſuus in Arcem receſſus cauſaturus eſſet, hujus ſuae voluntatis ac benevolentiae inſigne teſtimonium publicatum in vulgus diſſeminaretur; aſſerens videri perneceſſarium, ut in hunc finem ſua Serenitas ad Ordines daret litteras plene, explicate, & definite voluntatem conſiliumque ſuum complectentes, quae diſtractis exemplis per provincias divulgarentur, ad hunc quidem modum, tamquam publico ſcripto omnibus paſſim mortalibus inſtituti ſui rationes conſtare poſſe, quae motus novos compeſcant. Placuit ſuae Serenitati conſilium, & provinciam hanc dictandae Epiſtolae mihi delegavit. Atque ego operam hanc & laborem non gravatim Reipublicae impendens, concepti formulam Arſcotano Duci & Marchioni Havraeo, qui tum temporis aderant, reliquis etiam Conſiliariis, ſed & Baroni Raſſingemio, qui Bruxellis illuc redierat, communico, quorum omnium judicio, & aſſenſu ſcripti forma comprobata eſt, paulo poſt Auſtriaco exhibita fuit, cui quamvis aſſenſiſſet, & ipſe exemplum tamen deſcribi, ſibique tradi petebat, quo maturius aliquantum de re tota ſecum ipſe deliberaret. Recepto itaque ad ſe exemplari, cum poſtridie concilium cogeret, ut reliquorum, quid de eis litteris ſentirent, mentem exquireret, in eodem conſeſſu aliud conſcriptum in eandem quidem ſententiam exhi-

bitum fuit, ſed aliquanto acerbius: Quod quidem perlectum & recitatum, cumque meo collatum, maxima parte eorum, qui tum in conſeſſu erant, reclamante, qui blande cum Ordinibus agendum eſſe cenſebant potius quam acerbe, praelatum tamen ab Auſtriaco fuit, qui inter alias rationes, quo minus ſibi primum ſatisfaceret, hanc quoque dabat, nimium ſe arcte meis conditionibus aſtrictum videri; cumque arctioris aſtrictionis non exprimeret rationem, illum inter praefationem reſolutionemque controverſiarum e Gandavenſi Pacificatione manantium arbitrio proborum virorum utrimque delectorum averſari, uti eo ſcripto poſitum erat, arbitrati ſunt, quamvis ſalutari ad dirimendas rixas articulo. Itaque, licet multis contradicentibus, deliberationis ſumma fuit, ut ſcriptum illud nihil mutatum transmittendum ſtatueret, praeſumta ex hoc opinione, mandato, & conſilio id ipſius Auſtriaci confectum fuiſſe. Delecti autem deferendis ſcriptum continentibus ad Ordines litteris Raſſengemius, ſimul atque ego, adhibitis in ſocietatem Legationis Praeſule Marolenſi, & Bruſi Domino, qui ſtatim a profectione mea Bruxellis cum mandatis Ordinum ad Auſtriacum ablegati fuerant, ad Auſtriaci ſollicitandum reditum, una dimittimur.

Cum vero ſcriptum illud nobis delectis per omnia non arrideret, neque plene ſatisfaceret, Raſſingemius & ego a Berthio, qui a ſecretis erat, fidei publicae litteras ſeparatim nobis confici, & ut illis ad Ordines ſcriptis insererentur, poſtulabamus, eo conſilio, ut obſervata prius occaſione, & mente Ordinum explorata, vel exhibendo vel ſupprimendo id facere poſſemus, quod ad promovendum ſuſceptum pacis negotium

tium oportunum videretur, quae quam levibus de cauſis inter animos diviſos, atque adeo inter ſe tum diſſidentes impediri poſſet, non ignorantes; & quidem litterae fidei publicae ſejunctim nobis confectae ſunt; ita tamen ut hae ſcripti illius expetito reſponſo mentionem facerent. Quod Raſſingemius & ego ſuſpicabamur, compoſito ſuae Serenitatis inſtinctu factum, ut ea ratione ſcriptum illud ſupprimendi via praecluderetur. Neque Berthius ipſe negabat animadvertiſſe ſe, ſcrupulum ſuae Serenitati fuiſſe injectum, eo quod illud parum placuiſſe ſenſerat. Complectebatur porro ſummatim actionum ſuae Serenitatis purgationem, criminationem acerbiorem in male erga ſe affectos, ſincerae ſuae intentionis, mentis & propoſiti declarationem, ad haec requiſitionem poteſtatis ad gerendam ex authoritate praefecturam, reliqua referebantur ad ea, qua Raſſingemius & ego praeterea in mandatis habebamus declaranda.

Quo ſcripto pariter & publicis fidei ſcriptis Raſſingemius & ego inſtructi officio noſtro apud Ordines neutiquam intermiſſo exhibuimus de ſcripto 29ª. Julii, nonnulla ſuae Serenitatis poſtulata, uti in mandatis habuimus, quae haec nimirum erant, ſe, quamquam noviter & inſolenter incidiſſent multa, non tamen receſſurum ab actione Pacificationis Gandavi initae, obſervaturumque ſe quam religioſiſſime, quidquid in illa promiſſum ſtatutumque fuiſſet; petere invicem, ut & Ordines in officio permaneant, & ne ab iis, quae Catholicam religionem & Regiam obedientiam concernentia obſervaturos ſe recepiſſent, dimoveri ſe patiantur, & quia in ipſis videat deſiderari authoritatem, quo minus voluntatem ſuam,

promiſſumque implere poſſint, ſe ſuam interpoſiturum, ut Regiae Majeſtatis expectationi hoc pacto ſatisfiat, & publica tranquillitas, quam tantopere optent, reducatur; quod quidem unice ſe affectare, ut ad confirmandam authoritatem ſibi liceat, ſtipatorum, novatione Belgarum ſecundum formulam & authoritatem decretum Pacificationis, ea tantaque cuſtodia, quacumque per Provinciam proficiſcatur, uti, quam, quantamque ad ſuam ſuaeque clientelae ſecuritatem neceſſariam eſſe arbitrabitur; ne praefecti urbibus conſtituantur, in quibus jam inde antiquitus nullum jus praefecturae fuerit; ut Duces, & quicumque militiae nomina dedere, a ſe evocati praeſto ſint, & ſibi qui praeſit, ſuisque imperatis pareant; ut ſuum ſit proprium jure & authoritate, ſupremae, quam obtinet, Praefecturae officia, & quae ſe offerent, munia publica diſpenſare, ſic tamen, ne id in Gandavicae Pacificationis aut privilegiorum fraudem ſit; ut ſibi nomina eorum, quos Ordines in ſuum conſeſſum adoptarint, catalogo comprehenſa transmittantur, ut denotare poſſit non idoneos, quique muneri ſuo minus reſponſuri viderentur. Denique ſi Orengiae Princeps & Ordines Hollandiae & Zelandiae a praeſcripto Gandavenſis Pacificationis recedant, & pacationi, qua inter ſe & ipſos eſt transactum, ſtare detrectent, ut omni mutuo commercio deinceps illis interdicant, ad ſe vero ſuamque authoritatem & cauſam ſe jungant, quo contumaces ad officium adigantur, ex praedictae Pacificationis pacto praeſcripto.

Quae poſtulatorum Auſtriaci capita cum in conſeſſu exhibita forent, penultima Julii, reſpondere Ordines in hunc modum. Et primo quidem ajunt, ni-

nihil magis ſibi eſſe animo, quam ut legibus & inſtitutis Catholicae Romanae doctrinae, quam ab antiquis accepiſſent, vivere ipſis liceat, diligentemque & induſtriam operam daturos, quo incolumis ea, inviolataque conſervetur, pro qua vitam ipſam atque ſanguinem impendere decreviſſent, tum & de obſervantia, quam Regi, legitimo ſuo Principi, debeant pro jure, quod illi in has Provincias intra privilegiorum limites ſit, numquam ſe remiſiſſe neque remiſſuros teſtificantur.

Demonſtrant nihiloſecius ſcrupulum & diffidentiam, quae omnium animos arripuiſſet, ex eo quod occupata arce Namurcenſi in locum munitum, neque ipſis, neque Senatu Regio praemonito, ſe recepiſſet, magna cum ipſorum non modo admiratione, ſed & injuria & probro; obteſtantes deinde, ut eos indicare vellet, qui metum vel ſuſpicionem ejus facti cauſam moviſſent, eſſe videlicet, qui ipſi inſidiati ſint, aut ſimile aliquod flagitium machinati, quo rei veritate deprehenſa, ita in deprehenſos animadvertant, ut manifeſte ipſi de innocentia, & de actionum ſuarum integritate conſtet; utque reliqui, ſi qui in ipſum male animati ſint, exemplum ſumant, ne in poſterum quidpiam ſimile attentare auſint; orant denique, ut hac ratione privatorum aliquot crimini cauſam publicam eximat.

Poſt haec ad praeſcripta capita reſpondentes, quam tuto abdicata ex animo omni ſiniſtra ſuſpicione ſincerae ipſorum benevolentiae inniti & fidere poſſit, demonſtrant, qua validiorem ſibi cuſtodiam principes viri optare nequeant, ſe tamen praeter uſitatum Regii ſanguinis Principum ſatellitium trecentorum inſuper ſclopetariorum cuſtodiam offerre, qui quidem indigenae ſint, & cum ipſi

ipſi, tum Ordinibus accepti, quibusque praeficiatur, vel Comes Boſſucius vel Montinaeus, vel Croeningus, vel Willervalius, vel Noyellus, ex his, quem eligat, ſe illi dare optionem; reliquis autem ipſius poſtulatis cum ſatis aequabilia videantur, adſtipulari ſe; hoc uno excuſari ſe apud ipſum cupere, quod nomina eorum, qui in Comitia ſua recipiantur, uti cuperet, non annotarint, neque in numeros retulerint, ſtatui enim de eo difficulter poſſe, quemadmodum antea demonſtrarint, quod Provinciae Delectis ſeu Deputatis (uti vocant) ſuis alios ſubinde ſubſtituant, & illorum numero, cum videatur, vel decidant, vel adſcribant.

Quod vero ad hoc attinet, ut ſane Auraicae Princeps & Ordines Hollandiae & Zelandiae, quam ipſi, ex ſua quisque parte, quam accurate Pacificationem obſervent, exiſtimare ſe, non ideo pacem illam cum ipſo tam religioſo utrimque jurejurando confirmatam, tamque ſolenniter publicatam, cui & Caeſareae authoritatis fides acceſſerit, ut ita temere violetur; intra cujus quidem limites atque fines conſtituturos ſe pollicentur, atque tum quoque occupatos ſe aſſerebant ex praeſcripto ſuo Mechliniae inſtituto annotandis animadverſionibus eorum, quae neglectim obſervarentur; ut utrimque his ad ſtabiliendam concordiam ſatisfiat, eo poſito, ut ſi Princeps Orengiae in his minus obſequenter ſe gerat, communi tum authoritate ſanctiones illas, quas proferrent, tueantur.

Poſtremo urgebant eodem reſponſo Ordines, ut excedere vellet arce Namurcenſi, ſeque ipſis adjungeret, quantoque fieri poſſet citiſſime Germanum militem e Provincia deduci curaret, quo re-

Digitized by Google

rebus ad eum modum pacatis provincialis Ordinum conventus indicatur ad foedera mutua ita confirmanda vel renovanda, ne quis in poſterum quidquam in iis deſiderare poſſit.

Ad haec quo placatiores reddat omnium animos, ut ab illegitimis, extraordinariis, & ſubclientelaribus conſiliis abſtinere velit, praeſertim extraneos omnes ſuſpectos, uti male affectos erga provinciam, a ſe ſemoveat, hinc enim procedere, & ex hoc veluti fonte manare quidquid eſt incommodi, ut & indifferenter, & inordinate agantur omnia, nec eſſe, niſi iis remotis, ut tranquillam gubernationem ſibi promittat, aulicam vero ſuam familiam ex Nobilitate, & Officialibus Belgis conſtituat, peregrinis omnibus a ſe abdicatis, quod ſuppliciter non ſemel, & ferventer cum inſtantia ad ſedandos commotos animos ab ipſo petierint.

Quibus expeditis amandati ſunt ad Auſtriacum Comes Boſſucius & Medekercius, quibus & ego collega ſum datus, ut mentem animumque Auſtriaci officioſa Ordinum voluntate imbueremus informaremusque; poſtquam autem ad Serenitatem ſuam retuliſſemus, exhibito Ordinum reſponſo deſcripto, idque variis utrimque conſultationibus, tam in publico conſeſſu, quam privatim communicatum eſſet, Boſſucius & Medekercius, qui reditum maturabant, a ſua Serenitate dimiſſi ad Ordines redeunt, cum ſpe tantum benigni reſponſi, me ibi relicto, ut decreti ſui ſummam, quam adhuc ſuſpenſam tenebat, ad Ordines deferrem.

Cumque inter haec, dum eo nomine per aliquot dies Namurci detineor, tam in Comitiis, quam privatim cum ſua Serenitate conſilia mea frequenter contuliſſem, demum ad Ordines amandor



Digitized by Google

die quinta Auguſti cum ampliſſima actionis meae inſtitutione, qua accurate ipſos edocere jubebar, quam neceſſario quamque juſta de cauſa in arcem ſe Namurcenſem recepiſſet Auſtriacus, cujus rei & Arſcotanus Dux, & Vicecomes Gandenſis fidem facturi forent, qui ipſum praeſentiſſimi periculi ſui praemonuiſſent. Hac de cauſa aequum videri, ut ipſe ſibi cuſtodiae ſuae genus, quocumque ſe conferre lubuerit, & numero & praefecto & Ducibus pro arbitrio conſtituat, in quo tamen cauturus ſit, ne quid Pacificationi factae contra pugnet, a quibus veſtigiis nequaquam ſit receſſurus. Ad haec ſi Ordines coram cum ipſo agere velint, quo commodius in publicam utilitatem conſulatur, quocumque demum loco, modo ne Bruxellis diem indicant, poteſtatem omnibus ad ſe veniendi ac domum redeundi ſe facere, quod ut nemini fraudi ſit, daturum ſe operam, quo contra omnem vim atque periculum recte & idonee ipſis caveatur, reducens una in memoriam, & commemorans capita aliquot abs ſe propoſita, ad quae Ordinum reſponſo ad ſe relato minus plene ſibi ſatisfactum ſit: quare ad ea & alia praeterea prioribus poſtulatis per viginti tria capita plenius reſponſum poſtulat, idque ſerio Caeſaris Legatis (qui tum Namurci erant abitum parantes) ut exigant, committit; qui ea de cauſa ipſo urgente omnia relaturi ad Ordines, iter inſtituerunt: fuere autem ea capita, quae ipſe Auſtriacus Hiſpanice conceperat in Gallicam linguam traducta.

Cum porro gravibus ego verbis ſerio explicarem, quamquam Ordines praeſto paratique eſſent, uti ſe obligatos agnoſcant ad honeſtos & legitimos conatus ſuos juvandos, ſpem tamen pacis & tranquillitatis non tam Optimatum, quam populi,

nec

nec tam populi, quam plebis opinionibus ſublatam, tum deinceps, quidquid etiam concedatur, metum ad gratiam appoſituri ſint; deſperatum enim eſſe, ut ex hominum animis ſubnata diffidentia tam cito eximatur, ut, cum omnis mali origo ſit, inſtaurationis ſpem admittat, ſupplicans idcirco adhiberi conſilium ſinat, quo morbo tam gravi tamque periculoſo mederi poſſit. Quibus in eam ſententiam perſuaſionibus eo ſuam Serenitatem deflexi, ut mihi ſuo nomine ad Ordines referri concesserit, ad exſolvendos ipſos omni praepoſtera ſuſpicione, placere ſibi, ut, quicumque in militiam adſcribuntur, dum ſe Regi ſibique fidelitatis & obedientiae ſacramento adſtringunt, ut tum una ad Ordinum ſecuritatem utilitatemque jusjurandum praeſtent, ſe pacta Gandavici Foederis, pariter & Edicti Perpetui propugnaturos, ut hoc pacto Ordinibus cautum ſit, per militem nequaquam ipſis inferendam injuriam; promittens ille interim, dum haec tractantur, ab omni hoſtilitate ceſſationem, immo curaturum ſe aſſerens, ne qui in militiam deinceps aſſumantur, ſed & qui jam nomina profeſſi ſint, exemptos juramento a ſignis dimiſſurum, modo invicem Ordines idem ex ſua parte faciant. Quod vero ad hoc attinet, quod abs ſe Germanici militis dimisſionem contendant, quo minus id faciat, ſeſe purgavit, adductis rationibus periculoſum ſibi fore, ſi omni prorſus praeſidio ſe denudaret, praeſertim Orengiae Principe in armis perſiſtente, qui etiam continuet nunc non modo per Hollandiam & Zelandiam, verum & in aliis locis opportunis, tum & in Brabantiae finibus munitiones & propugnacula inſtaurare, quibus rebus non obſcure oſtendat, quam minime ipſi aut Pacificationis aut

concordiae ſolemni edicto confirmatae pacta curae vel cordi ſint; quod quidem edictum nunquam ſit paſſus per Praefecturae ſuae provincias publicari. Accedere ad haec detectas conſpirationes, quibus inſidias ſibi poſitas indubitatis indiciis cognoverit: iis enimvero de cauſis, neque videri ſibi tutum neque ipſos petere aequum eſſe, ut penitus ſe omni militia exuat, niſi prius quid Auraicae Princeps moliatur, deque ipſius mente ſibi conſtet, quam ubi intellexerit, & de religione, deque obſervantia erga Regem ſuaque ſecuritate debite cautum ſibi ſit, prompte ſe neque gravatim ab armis omnibus receſſurum. Quam actionem omnem, poſtquam Bruxellas VII. Iduum ejusdem menſis Auguſti rediiſſem, ad Ordines coram oratione, uti in mandatis habebam, proſecutus, renunciavi, multis ipſos variiſque rationibus, quas maxime validas, & ad concordiam promovendam accommodatas arbitrabar, exhortans, ne praepoſitiones ſuae Serenitatis ſatis aequas, & moderatas diutius in quaeſtionem revocare vellent, cui, ſi juſta petat, iniquum, ſi tolerabilia, inconſultum non aſſentiri, & acquieſcere, cum tot, tantaeque difficultates, tot incommoda, tot pericula, ſi bellum ſuſcipiatur, ſeſe offerant; neque id a tanta multitudine absque conſiliorum confuſione & omnium denique rerum perturbatione longo tempore adminiſtrari poſſe; cogitarent contra Hiſpaniarum tantae potentiae Regem & legitimum Principem ſuum ſe arma ſumpturos, quod non difficile modo, ſed & impium cenſeri debeat; neque ſcrupulum ipſis aliquem movendum, aut in ſiniſtram partem accipiendum me exiſtimare, quod ſua Serenitas munitum in locum ſe dediſſet; habere enim ipſum cauſas, cur id fe-

ce-

Digitized by Google

cerit, graviſſimas, cum nemini incognitum ſit, pervagatum fuiſſe rumorem, & ex Auriaci Principis litteris indubitato documento compertum, conſultum aliquando fuiſſe, anne Auſtriaci perſona cuſtodiae mancipanda eſſet, quo Reipublicae foret melius; neque tale aliquid inſolens illis, vel novum videri debere, qui tale facinus in Regium Senatum non ita pridem admiſſum vidiſſent, neque etiam id Aldegondum apud plerosque diſſimulaſſe, quo teſte Auſtriacus aſſeveravit indubitatam ejus famae fidem adſtrui.

Declarabam tamen in eorum me gratiam, tum pacis & publicae quietis ſtudio, eo fiduciae provectum fuiſſe, ut coram ſuae Serenitatis rationibus non approbatis nullis cum ambagibus dilucide eidem oſtenderim; receptum illum in Arcem ſuum, & mutationes, quae poſt inciderint, tum & ſuas ad Regem, illiusque ad ipſum deſcriptas, furtivis & adulterinis notis litteras, quae interceptae Aldegondo interprete paſſim jam evulgatae eſſent, omnium tam anxie animos turbaſſe, qui ſuſpicionem & metum numquam ſint depoſituri, ut nulla prorſus ratio, nulla via oſtendi, vel inveniri poſſit, qua vel ex ſua vel populi ſententia Rempublicam his in provinciis procuret; afflictum eſſe inpraeſentiarum Reipublicae ſtatum; verum deploratum neceſſario deinceps futurum; quamquam enim ab armis ad tempus diſcedatur, cum diffidentia tamen populari, quae tam alto radices egerit, perpetuo ipſi luctandum fore, neque dubitandum, quin inteſtina haec odia in pernicioſam aliquando procellam ſua praeſentia erumpant.

Cumque in hanc ſententiam prolixe perorâſſem, idoneis adductis rationibus, eo perfeci, ut agnoſceret ſua Serenitas aliquid culpae, fateretur quoque

que litteras quidem illas fuiſſe ſuas, eum tamen, quicumque has explicaſſet, non ubique litterarum ſententiam aſſecutum fuiſſe, & quamvis factum excuſaret, neque ſe illis male meritum de Ordinibus aſſeveret, tamen conſulte me recteque praemonuiſſe agnoſcebat, hoc mihi permittens, ut ad Ordines renunciarem; poſteaquam omnium voluntates a ſe alienatas conſideret, ita ut deſperandum ſit, diffidentiam animis eximi poſſe, dimiſſionem ſe a Rege poſtulaturum, & quo optionem ipſorum juvaturum putabat, ſcripturum ſe Regi, ut alium Regiae familiae Praefectum conſtituat, idem ut illi faciant per ſe licere, qui ſit vota eorum ea in parte promoturus. Quamquam enim poſt acceptam injuriam, velut odio populari profligatum provincia excedere, in ſummum ſit praejudicium dignitatis & exiſtimationis ſuae futurum, privatum tamen ſe hoc honoris ſui diſpendium publico ipſorum commodo poſthabiturum; hortari ſe idcirco, ut in Hispanias Legatos mittant, qui Regem diligenter edoceant de praeſenti turbatarum Provinciarum ſtatu, neque ſpem eſſe reliquam declarent, ut populus poſt hac vel promiſſis vel actionibus ſibi Gubernatori fidem habeat ob cauſas ſupra memoratas; tum enim praeter priora incommoda, ſimultates, factiones & odia, quae ſpes erat pace poſſe tolli, acceſſerit hoc malum, ut, quidquid agat, ſimulate & doloſe agi, tum & pacem ſubdolam fucatam eſſe omnes interpretentur, ex hoc ſublata jam penitus fide nullam apparere rationem, ut vel ipſe vel populus, amotis utrimque ſuſpicionibus, animis ſincere reconcilientur. Haec ſi ita Regi demonſtrent, ſe quoque cauſam petitionemque ipſorum commendaturum, cupere enim ingenti iſta, quam de ſe, quam-

quamquam temere immeritoque, concepiſſet, cura populum Belgarum ſolvere.

Quam Auſtriaci mentem cum a me rurſus ad eos ablegato intellexiſſent Ordines, petiere ſibi ſcripto comprehenſam exhiberi, neque moram feci, quin ſubito manu ſubſcripta, quae verbis declararam, & in mandatis habebam, exhiberem, quin immo & poſtulatorum capita, ſuae Serenitatis manu ſubſcripta, addidi, ut fidem publicam confirmaret. Quibus omnibus poſtridie octava videlicet Auguſti die reſpondent Ordines capitulatim, & initio gratias ſe ſuae Serenitati debere fatentur, quod, privatae exiſtimationi publicam afflictae provinciae cauſam praeferens ad declinandas majores turbas, voluntarium pro ſua pietate offerret receſſum; deinde, dolere ſibi vehementer ajunt, quod eos non indicaret, quibus authoribus inſidiae ipſi intentatae forent; quive ipſum de ſuo periculo praemonuiſſent, quo, rei veritate explorata, in tanti ſceleris convictos pro enormitate flagitii dignis ſuppliciis animadverti poſſet.

Urgebant nihilominus, ut trecentorum ſclopetariorum novo praeſidio ultra uſitatam corporis ſui cuſtodiam contentus eſſe vellet. Pollicentur ad haec, nullas ſe praeterea conſcripturos copias, & quas conſcripſerint a ſignis dimiſſuros, ſtatim atque miles Germanus e provinciae finibus eductus foret. Denique rurſus inſtabant, ut a familia & clientela ſua extraneos omnes, & praeſertim ſuſpectos, ablegare vellet, quoniam hi Ordinum deliberationibus actionibusque ab eo tempore, quo ſua Serenitas compoſito foedere ipſis ſe adjunxiſſet, obſtinate adverſari, contrariaeque ſemper ſententiae fuiſſe dicerentur, illorum nimirum per-

Digitized by Google

pernicioſis ſuaſionibus, ſuſpiciones & ſubnatas ſimultates, neque immerito, imputari.

Cum vero ſua Serenitas, uti antea dixi, coram Caeſaris legatis reſponſionem ad 23. capita exhibita commiſiſſet exigendam, idem ſcriptum nova auctum praefatione exhibitum eſt, qua beneficia ſua, quae in Ordines univerſumque populum contuliſſet, enumerabat; Hiſpanorum exercitus & praeſidia, quod unum maxime contenderant, tota regione excedere juſſiſſe; bona, quae fiſco addicta erant, reſtitui curaſſe; privilegia, quae ſublata tantopere dolebant, inſtaurari mandaſſe; indicta perpetua omnium anteactorum oblivione, quo ſaltem Catholica religio, & quae Regiae Majeſtati debetur obſervantia, in integrum reſtituerentur, ad quae conſequenda acquieviſſe ſe, & ſubſcripſiſſe Pacificationi Gandavenſi, quod alioqui, niſi ea conditione, nequaquam fuerat facturus.

Quod vero ſpe ſe ſua & exſpectatione fruſtratum videat, & religionem, Regiamque dignitatem quotidie magis magisque deteriore fieri conditione, magnam ex eo ſe animi moleſtiam concipere; quam ob rem urgere ſe, ut propoſitionibus his ſuis ſatisfiat. Ad quas cum Ordines articulatim ſcripto reſpondiſſent, delegarunt Atrebatenſem & Iprenſem Epiſcopos, uti ſimul mecum, cui tamquam ad eos miſſo in primis negotium commendarunt ſuae Serenitati, animum cum ipſorum voluntate & mente accommodarent. Scripti autem haec erat ſententia. Primam ſemper praecipuamque ipſis curam fuiſſe, ut veteris, atque Catholicae Eccleſiae decus inviolabile conſervaretur, eamque nunc quoque adniti ſe & cupere retinere, & propagare, neque comperiſſe ſe, vel publi-

ce

Digitized by Google

ce vel privatim, quemquam adverſus hanc aliquid molitum eſſe, non enim, ſi harum rerum quidquam manifeſta cognitione ſeſe patefaciat, defuturos, quin acerrimis animadverſionibus ſeditioſorum conatus animosque ita compeſcant, ut ab omnibus mortalibus videri & intelligi poſſit, quantopere religio, reſpublica, politicus ordo, patriaeque tranquillitas ſibi cara ſint, cum certo ſciant, & tot ſeculorum, tot gentium exemplis conſtet, quantum religionis varietates & rerum mutationes incommodorum & calamitatum provinciis invehant; proinde proſpecturos ſe, ne merito ſuo criminationem incurrant, vel neglectae religionis, vel ſocorditer & male procuratae reipublicae.

Quod etiam reliquum eſt, totos ſe ad conſilia voluntatemque ſuae Serenitatis applicare, & conditiones illas firmiſſimi decreti loco recipere, hoc tantum ſupplicare, quandoquidem Boſſucius Comes Friſiorum praefecturae ſponte ſua renunciasſet, ut ſuae Serenitati placeat illius in locum Baronem Wilaeum Gubernatorem ſurrogari, & inſtitui, qui & acceptus gratusque ſit omnibus, & illi provinciae maxime idoneus.

Ad haec quod ſua Serenitas conſilium ſibi animumque eſſe declaret belli in Auraicum Principem, Hollandos & Zelandos ſuſcipiendi; & quod ab ipſis contendat, ut Aldegondum & Teronium ablegatos a ſe removeant, quominus in his ei morem gerant, excuſari ſe cupere; fore enim, ut hoc pacto jure culpari poſſint in Gandavici Foederis decreta commiſiſſe, cui tam accurate tamque ſancte, fide per jusjurandum data receptaque, confirmatae contraveniri, aut in ea reſcindi quidquam, aut immutari, non exiſtimare ſe ſuae Sere-

re-

Digitized by Google

renitatis eſſe mentem, ut enim contra quidquam fiat, neque permitti debere, neque tolerari.

Quod ſupereſt, referre ſe ad ea, quae ultima Julii proxime elapſi declararint, annotaturos ſe, ut polliciti ſint, quaecumque ad implenda dictae Pacificationis pacta, utrimque conficienda reſtant, quo deinceps, ſi qui novis molitionibus conciliationem hanc impedire tentabunt, ita contra eos agatur, prout e re videretur futurum; ſe quidem paratos eſſe rebelles obſtinatos & temerarios omnes Reipublicae perturbatores ad officium adigere, ut periculo imminente propulſato, religione Regiaque dignitate aſſertis, & repreſſis factionibus, recuperataque pace juris adminiſtratio per provincias inſtauretur. Quod vero Arcem Antverpianam in integrum reſtitui & Trelonium dimitti, liberumque fieri velit, quam haec in publicum detrimentum futura ſint, quamque *juſtis* de cauſis illa murorum parte exarmata, hunc captivum conſtituerint, demonſtrant, allegantes perniciofiſſimas conſpirationes, quae agitatae ſint, tum & damna, quae ab Hiſpanis arcis illius occaſione, oportunitateque fretis & adjutis non ipſi modo, verum & univerſae Europae negotiatores indigniſſime accepiſſent, & acerbiora multo, quamdiu illa ſtetiſſet, metuenda fuiſſe.

Cumque novae machinationes, quae inibi tractabantur, & de praefectura praeſidiisque deliberationes foederis pactis contrapugnarent, ſed & ipſa arcis, urbi mediterraneae ſine Ordinum conſenſu impoſitae, erectio privilegiorum jure interdicatur, cenſuiſſe ſe utile Reipublicae futurum, & huic cautum iri, & periculi occaſiones materiamque tolli, in quo, ut non tam factum ipſum, quam facti cauſam neceſſitatemque conſideret,

ora-

Digitized by Google

orare; ceteris porro poſtulatis, quia ſatis moderata videantur, aſſentiri ſe & acquieſcere. Quae cum mecum praefati Praeſules ampliſſime, Namurcum ubi ventum fuit, expoſuiſſent, & ſua Serenitas ae nte ſingula audiſſet; aequum eſſe reſpondit, & ab officio ipſorum requiri, ut tam luculentis verbis, ſplendidisque promiſſis praeſtandae ſuae Majeſtati obedientiae, quam tantopere adſtruentes toties repetebant, ipſe effectus reſponderet. At vero, rem ipſam longe aliter loqui, & omnino contrarium quotidianis ipſorum actionibus oſtendi, dum contra ſe multis modis tam inimice hoſtiliterque agant, quod quidem non debeat non indigniſſime ferre, cum, cur ita faciant, nullam umquam occaſionem ipſis exhibuerit, ut vero toti orbi manifeſtum ſit, non eſſe ſui propoſiti vel inſtituti, bellum ipſis facere, quamquam natura ſe eſſe & animo, uti plerique dictitent, in arma proclivem fateatur; placere tamen ſibi, quo arma alio hiſce e regionibus transferantur, uti tam ex ſua, quam Ordinum parte delecti ad Regem mittantur, qui illum de praeſenti rerum ſtatu edoceant, orentque, ut alium aliquem ſui generis Principem Belgicae gubernationi praeficiat, utque interim ab armis omnibusque apparatibus bellique conſiliis utrimque abſtineatur, & alteri ab alteris ſolemne juramentum accipiant, nihil ſe, quod hoſtile ſit, nec palam nec clam attentaturos, ſe autem interea vel in Arce vel Oppido Namurcenſi permanſurum, vel ad alium aliquem locum, quem ſibi deliget, conceſſurum, cum praeſidio, quale quantumque ad tutelam ſecuritatemque ſuam neceſſarium videbitur, quo Rempublicam deinceps (uti hactenus fecerit) conſervata Regia authoritate ad Gandavicae Pacificationis, & Perpetui

Foederis praeſcriptum ex conſilio Procerum & Conſilii Secreti, Quaeſtorumque Aerarii adminiſtret.

Si vero Ordines ſcrupulum aliquem vel difficultatem moveant, illuc ad ſe veniendi conſtituant, & indicent locum viciniorem, quem ad conſultationes tutiſſimum, & maxime idoneum arbitrabuntur, ſeque eum libenter conceſſurum. Quo accepto reſponſo poſt multa ultro citroque agitata, eo tandem inſtructi ablegati ſunt Atrebatenſis & Hyprenſis Epiſcopi, jubente ſua Serenitate me apud ſe remanere, quem de pacis ineundae ratione penitius inſtruere velle videbatur.

Cumque hoc modo impediri me viderem, quominus officii mei partes prompte exſequi, & quod unice optabam, pacis cauſam ſimul cum Epiſcopis agere, & promovere poſſem, conqueſtus meam illic manſionem, tradidi abeuntibus ſententiae meae rationem, & formulam ejus, quod mihi Ordinibus ſuadendum videretur. Itaque cum ulterioris mandati ſpe remanens, amice Praeſules dimiſſi, & poſt abceſſum amicis quoque litteris proſecutus ſum in hanc fere ſententiam. Reſponſo porro ſuae Serenitatis a Praeſulibus in Ordinum conſeſſu Bruxellis exhibito, illi, poſtquam ſingula diligenter expendiſſent, reſpondent ſubito ſcripto in novem vel decem capita diſtincto, quo imprimis declarabant, magna ſe voluptate affici, quod ex ipſo cognoſcant, tanto ſtudio conſtantem animum retinere, quo & pax & Gandavici Foederis pacta inviolata conſiſtant, quo nomine ſe ipſi gratias agere, & ex ſua viciſſim parte promittere & ſpondere curaturos, ut idem quam accuratiſſime praeſtetur, declarantes nihilominus, quam vehementer ſuſpectus eſſet inopinatus ſuae Serenitatis & ſubitus in Arcem Namurcenſem rece-

ce-

Digitized by Google

ceptus; magis etiam auctam eſſe ſuſpicionem propter interceptas Eſcovedi Secretarii litteras, ex quibus non obſcure colligi poſſe, quid ille in Hiſpaniis ſtruat, & in ipſos moliatur. Accedere ad haec occupatum Carlemontium, & diverſimoda conſilia cum Arcis Antverpianae in poteſtatem redigendae, tum & alias multifarias machinationes, & occultos belli apparatus, & quae deinde nova conſpiratione cum Germano milite, quem exauthorandum ex pacto denuo ad ſe clandeſtine traduxerit, tractata ſunt prorſus aliena ab ipſorum opinione, & ſpe, dictaeque Pacificationi directe adverſantia, tum etiam minime congrua cum promiſſis & fide, quam ipſis Mechliniae feciſſet, ſe tamen, ne quis inofficio ipſorum merito deſiderare quidquam poſſit, nihil omiſſuros eſſe, quo ad publicam tranquillitatem perveniatur; orare itaque ut ab armis diſcedat; & dimiſſis copiis militiam diſſolvat, Germanorum praeſidia e veſtigio abduci jubeat, foederibus contra ipſos initis, & nominatim quod cum Guiſiorum Duce fecit, renunciet: a privatis ſubclientelaribus conſiliis abſtineat; abdicet a ſe ſuſpectos omnes, uti frequenter antea ab ipſo contenderint, quos perverſis ſuis inſtigationibus Reipublicae detrimentum machinari compertum haberent; quo iis transactis, ſine dilatione, & impedimento ad ipſos ſe jungat, atque ita ad mutui foederis praeſcriptum ex Conſilii vel Senatus ſententia provincias procuret; cupere autem ſe Conſiliorum ſententias per ſuffragia exquiri, quorum numerum e praecipuis aliquis, qui in conſeſſu erunt, exceptum annotatumque edat, ne decreta non eo modo procurata vigorem ullum obtineant, ſed pro illegitimis habeantur; ita ut, ſi quid extra talem ordinem ſta-



Digitized by Google

tuatur, nullius ſit momenti; ut ita gubernare velit orant. Porro ea conditione, ut ante omnia ſua Serenitas jurejurando fidem det, ſe omnium ante actorum memoriam ponere, & approbare, quidquid durante poſtrema hac animorum diſſenſione actum decretumque ſit. Eodem ſcripto eo progreſſi, ut hoc quoque proponerent, ſi ſuae Serenitati ita viſum placitumque eſſet, & arbitraretur non expedire ſibi Praefecturam diutius gerere, & alio recipere ſe conſtituiſſet, prout de ipſius deliberatione & conſilio a Domino Grobendonci accepiſſent, per ſe licere, ſeque ad voluntatem hanc ſuam eſſe accommodaturos; ſi autem tale aliquid in animo habeat, licere ipſi Reipublicae procurationem Senatui, Conſiliove committere in hoc a Rege conſtituto, qui & in ſimili caſu ante ipſius adventum provinciam hanc laudabiliter geſſerit, pro neceſſitate enim temporis hoc fieri ſolere, donec Rex Provinciae vacanti Praefectum providerit.

Sub finem denique ejusdem ſcripti petebant, ut deſiſteret falſis ipſos praeter meritum calumniis & criminationibus oneratos apud omnes Chriſtiani orbis Principes haereſios & rebellionis accuſare, tamque exleges & in libertate, uti fertur, religionis vivere affectent. Hoc quidem ad ipſos eſſe delatum a ſua Serenitate praeter omnem aequitatem fieri, & certiſſimis id indiciis conſtare, nominatim ex litteris ſua manu 14ª Auguſti ad Imperatricem conſcriptis & interceptis, quibus intolerabilem ſibi injuriam fieri aſſerebant, & conquerebantur.

Interea dum haec fiunt, & praedicti Praeſules hanc legationem exſequuntur, captabam equidem undequaque occaſiones opportunitatemque varias ratio-

rationes praemeditatus, quo gliſcente incerta hac & periculoſa controverſia ſuam Serenitatem in compendioſam conciliationis viam revocarem, conſilium demum coepi interpellandi ſuam Serenitatem, ut ad privatum ſolus colloquium admitterer, quo liberius, quae ad pacis compoſitionem accommoda viderentur, explicare poſſem. Itaque non gravatim admiſſus, & ſuam Serenitatem adiens, primum declaravi animo meo ſeriores quasdam cogitationes ad publicam & tranquillitatem communem non mediocriter uti exiſtimem conducibiles obſervari, quas ut cum ſua Serenitate communicem, cum & ex officio meo, & pro ea, qua ſuae Majeſtati obligatus ſim, fide exigi a me arbitrarer, neque vellem tamen, vel etiam auderem libere publice de his in conſeſſu profiteri; idcirco petiiſſe me ajebam, ut privatim id mihi permittatur; neque ad horam a ſua Serenitate conſtitutam deëſſe voluiſſe, precatus deinde veniam, ut in hac materia libere mihi loqui concedatur, quam ſua Serenitas non modo conceſſit, verum & hortatus eſt inſuper ad audiendum, profeſſus amare ſe imprimis diſſerendi libertatem, illorumque ſtudium, qui nullis affectibus transverſi, ſincere, & ex animo ſic agerent, vehementer ſe laudare, ſi quid igitur habeam, quod ad Regis ſervitium, & Provinciarum ſalutem conducturum putem, aperte & libere edoceam, licere id mihi per ſe & quidem tuto.

Tunc ego facta dicendi copia praefatus quantopere pacis progreſſum deſiderarem, maximo tamen animi cum dolore conſiderare me dicebam, de ſumma rei penitus deſperatum eſſe, & cum Ordines, tum me, reliquosque, quicumque ſe huic negotio immiſcerent, laborem operamque ludere, eo quod ſua Serenitas, etiamſi de

de pace loqueretur, & aſſidue hanc ore ferret, alio tamen haud dubie ſpectaret, & bellum, quantum ex conjecturis conſequi liceat, animo agitaret; hoc enim vel eo maxime omnibus eſſe perſuaſibile; neque tam ſuſpicionibus adſtrui, quam ipſa re oſtendi, quod illos foveat, familiariter utatur, faveatque illis, quos belli cupidiſſimos animum ſuum a pacis rationibus divertere conſtaret; alios quidem, quod injurias ſe ab Ordinibus accepiſſe ſibi perſuaderent, quibus irritati vindictam in omnem eventum animis verſarent, alios, qui militiam profitentur, claſſico procul dubio eſſe, quibus, cum quaeſtum e bello faciant, nihil magis eſſe in votis, quam ut, pace profligata, vi & armis agatur, quo, uti fertur, in turbida aqua opimius piſcari queant, veriſimile itaque eſſe, eos compendii ſui cauſa omnia conſilia in bellum ferre.

Quibus verbis ſua Serenitas nonnihil offenſionis concipiens, injuriam ſibi fieri ait, ſi quis arbitretur eorum conſiliis ſe, qui ſecum conſuetudinem haberent, impelli; & non potius iis inſiſtere, quae cum ad Regiam tum publicam utilitatem accommodatiſſima, & maxime neceſſaria ſibi viderentur; exiſtimare etiam non poſſe ſe argui in eo, quod illos, qui ſibi addicti partes ſuas ſequantur, humaniter excipiat, & gratificando benigne habeat, praeſertim hoc tempore, quo a reliquis deſertum ſe videat. At vero minime ob id continuo ſe ſequi, quaecumque illi conſulant, non eſſe ſe omni adeo judicio deſtitutum, ut neſciat, quanto plus ſit tranquillitati publicae, quam privatis illorum affectibus tribuendum; naturali vero inſtinctu & longo rerum uſu id ſibi comparatum, ut a perverſis & noxiis conſiliis honeſta & utilia diſcernere queat;

alio-

alioqui ſi inter haec diſcrimen ponere nequeat, & promiſcue, quaecumque cujusque inſtinctu absque conſideratione arripiat, indignum futurum ſe Praefecti titulo, & credita ſibi hac a Rege Belgicae adminiſtrationis cura; alias aliquot Provincias, quas cum laude & bello & pace geſſerit, teſtimonio eſſe, quam nihil umquam vel praecipitanter, vel pernicioſa conſilia ſecutus illaudate egerit; nihil etiam nunc reliquum feciſſe, quo Reipublicae commodis expedite vacare poſſet, tot Ordinum poſtulatis non modo aſſenſiſſe ſe liberaliter, verum & in ipſorum univerſique populi gratiam non pauca de ſuo jure conceſſiſſe, & largitum eſſe; cum enim nequaquam Reges conſueviſſent; neque ex Regia authoritate Hiſpanicae gentis judicio foret cum ſubditis armatis paciſci, acquieviſſe tamen ſe foederibus ex ipſorum ſententia pactis, quibus non erat aſſenſurus, ſi illorum hortatibus impelli ſe paſſus eſſet, qui & privatas offenſiones, & publicas in Regem cum contemptu injurias ad exemplum vindicari debere inculcabant, omnemque operam in bellum pollicebantur, rejeciſſe illorum ſe conſilia, & publicum commodum reſpexiſſe, quamquam inciderint poſtea occaſiones, per quas tranquillam gubernationem certo ſibi promittere non potuerit, quamobrem noviter enatae diſſenſionis culpam non eſſe in ſe transferendam; neque metuendum, ut illorum converſatione vel a ratione, vel ab officio ſuo averti ſe patiatur: Iniquum porro eſſe, ut ab ſe Ordines requirant, quae ſalva exiſtimatione ſua, & ſine periculo praeſtare ſibi non ſit integrum; debere autem ſibi imprimis Regiae dignitatis eſſe curam, & in hoc ſibi totis viribus incumbendum, ne Regis expectationem de ſe fru-

 ſtre-

Digitized by Google

ſtretur; atque in hanc ſententiam prolixe locutus in ea opinione ſe confirmavit, ut de hoc ſuo inſtituto mihi plane ſatisfactum exiſtimaret.

Actoris autem ego partes minime oblitus, facta replicatione, dicebam, hoc in argumento non conſiſtere propoſiti mei ſummam, & allegans toties ipſum & tam multa praedicare, de gubernatione ſua ad Regium praeſcriptum inſtituenda, declarabam arbitrarium non eſſe debere. Verum enim vero indubitatum firmiter hoc ipſi propoſitum eſſe axioma. Ad aſſerendam ſtabiliendamque Regiam auctoritatem magis expedire diſſidium hoc, & controverſiam Ordinum armis, quam transactione decidi, quod ut exſequatur ex Regis praeſcripto, jam dudum facta deliberatione decreviſſe; ſimulare tantummodum ſtudium & amorem pacis, deſideriumque ejus prae ſe ferre, ut cauſam ſuam apud omnes nationes juſtam eſſe adſtruat, & hoc pacto obducta neceſſitate, belli demum culpam a ſe derivet. Quod ſi ita ſit, fruſtra contra decretum, obfirmatumque Regis conſilium & ſtudium omne & interceſſorum labores inſumi. Ad quae ſua Serenitas vehementi quadam animi affectione mihi reſpondens, rem longe ſe aliter habere jurejurando affirmabat; Regem enim nihil votis optare magis, magisve expetere, quam pacem, in quo quidem ille naturae propenſione & vitae inſtituto plane a ſe ſit diſſimilis, fateri quidem ſe inclinatiore eſſe ad bellum animo; hoc vero in iſtis Provinciis non ſe affectare, cum intelligat Belgicae Reipublicae res ita eſſe conſtitutas, ut non poſſit hic bellum geri, niſi cum manifeſta pernicie, & Regionum miſerabili excidio: Hanc porro non eſſe mentem Regis, cui cauſae non deſint, & aliis in Provinciis plurimae armorum occaſiones

nes ſeſe offerant, in quibus ipſe gloriae materiam ſibi dari, & Regi operam ſuam praeſtare deſideret, ſtatim atque pacem & otium his Regionibus procurarit, atque in hunc ſenſum & finem tuo, ajebat, Grobendonci, conſilio, & hortatu dimiſſionem poſtulavi a Rege, neque dubito, quin brevi hanc ſim obtenturus, ſiquidem Ordinum cauſa & Provinciae ſtatus componi poſſit, ubi alius quiete fruatur, ego alibi armis me exerceam.

Quibus ego verbis provocatus, teſtatusque permagnam me percepiſſe voluptatem, ſumpta per occaſionem fiducia, ſi animo perſuaderi poſſit ita eſſe, Sereniſſ. Princeps, neque decrevit jam pridem Rex, aut tibi mandavit belli fortunam in quemcumque caſum experiri, vehementer equidem admiror, tanta tuam Serenitatem (cum venia dictum ſit) temeritate privatis ſuis conſiliis, & inuſitato in hanc Namurci Arcem receptu Rempublicam in manifeſtum periculum conjeciſſe, turbatos etenim omnium animos hoc pacto a ſe averſos ajebam. Si vero cauſam hanc bello inſuper perſequi conſtituerit, ſtatum nempe totum Provinciarum in dubium vocaturum, neque videre me, ſi caſus ita ferat, ut hoſtibus ſuffragante fortuna eas perdat, qua ratione apud Regem id excuſare poſſit, qui ſine mandato expreſſo facinus periculi plenum tentarit: Etenim cum res, niſi componatur, ad ſummam ruinam ſpectet, mirandum ſane eſſe, Serenitatem ſuam ex arbitrio proprioque ductu iſta agere; ſupervacuum quoque, ut alii pacem ſollicitent, cum in ſua tantum ſit poteſtate, ut hanc conficiat, idque quo tantam, tamque periculoſam, ſed & apud alias gentes invidioſam belli molem declinet, conſu-

 len-

Digitized by Google

lendum ſibi eſſe. Adductis deinde variis argumentis particulatim demonſtrabam, in quam dubios caſus, quantaque pericula, ſi bellum ſuſcipere decreviſſet, ſeſe conjiceret; Contra quam parum ex eo ſit emolumenti & utilitatis ad Regem perventurum, etiamſi feliciter omnia eveniant, & ex voto penes ſuam Serenitatem victoria conſiſtat; omnibus in deliberationibus praecipuum hoc debere proponi caput, an id, quod ſtatuatur, utile ſit, ſaltem quantum inde detrimentum enaſci poſſit, niſi ſuccedat; at ſi fato quodam ſiniſtro, bellica, qua nihil incertius, ita cadente alea, ipſumque ſuccumbere, hoſtemque ſuperiorem evadere contingat, liquido ex anteactis conſtare, quantum & Regem & Religionem, quamque irreparabile damnum maneat. Accedere ad haec, totius Belgii potentiſſimae provinciae ſubjugandae, & ut cetera occupet, nominatim tamen Hollandiae & Zelandiae armis domandae maximas difficultates: Hic enim non uno vel altero praelio finiri poſſe bellum, ſed cum eo hoſte luctandum ipſi fore, qui damnis & deſperatione animoſior & terribilior evadat; aliam fuiſſe in Graecia, perque Africae littora gerendi belli rationem, licuiſſe ibi ſummis copiis decernere, cum nationes omnes auxilia commoditate pelagi ſubminiſtrarent, licuiſſe ibi rei gerendae occaſiones aucupari, & opportuna quaeque, uti videretur, aggredi; hic aſſiduis utrimque cladibus confligendum, & claſſes ſubinde inſtaurandas fore in vadis & undarum anguſtiis, ad inconſtantis freti arbitrium rem gerendam, ubi haud dubie indigenas & vadorum ſcientes potiores, uti ſemper fuerint, futuros; urbes iis in locis, neque oppugnari facile poſſe, neque obſideri, & medio-

cri-

ctibus firmatas praeſidiis, ubi extrema immineant, perfoſſis aggeribus maris circumfluxu defendi; illos eſſe populos omni bellico apparatu, & exercitatis claſſiariis inſtructiſſimos, quorum genus pugnae aſtum & calliditates, quantuscumque exercitus difficulter ſuſtinere poſſit; ut enim illi ſe muris contineant, loci incommoditatibus, graveolentia aeſtuariorum, & aëris intemperie, quibus innati & indurati ſint, fatigari inaſſuetum militem & frangi, & ut ſuppetant Regi facultates atque copiae, nihil tamen poſſe ad vim & conatus, quibus hactenus oppugnati ſint, adjici: Albanum Ducem, quae non paraverit, amiſiſſe, & quae recuperarit, pudendis cladibus redemiſſe; quid proſpere eveniſſe Requeſentio? atque has quidem duas Provincias omnem reliquarum & externi militis impetum ſuſtinuiſſe, quibus cum nunc ceterae quoque Provinciae Gandavico Foedere ſe conjunxerint, quid ſperari poſſe, quam bellum deinceps graviſſimum & periculi plenum; nam praeterquam quod in hac ſocietate duplicati ſint illorum animi & vires, jam nunc illos praeterea Hiſpanorum odio, & rerum deſperatione, externa undequaque auxilia circumſpicere, praeſertim Britannos & Germanos, ſed & Gallos legationibus ſollicitari, quarum nationum adventus quam ſit religioni perniciosus futurus, ea, quae ad hoc usque tempus acta ſunt, documentum dare, & facile eſſe de cetero praeſagire. An vero nationes illas, quae praedae & harum regionum opibus inhiant, forte & in has dominatum ſibi propoſitum habent, datam occaſionem & facultatem neglecturas?

Commemoratis ad haec aliquot ante actorum exemplis, tum & praeſagiis, quae futurorum terrorem,

Digitized by Google

rorem, metumque incuterent, fortaſſis nimia libertate, qua ad reducendum Principis animum Reipublicae bono uſus ſum, eatenus ſuam Serenitatem perduxi, ut toto animo ad pacem inflexo, & velut a me argumentis expugnato, percunctaretur, quid ſe facere vellem, quo perſpicue demonſtrare poſſit, bellum nequaquam ſibi cordi eſſe, uti ego adductis conjecturis animo concepiſſe videbar, & quid ad pacem conficiendam darem conſilii. Itaque ad haec rurſus ego & eorum, quae dixiſſem, & quae ad interrogata reſponſurus eſſem, veniam libertatis deprecatus, invitante denuo ad audendum, inſtiganteque ſua Serenitate, aperte pronunciabam; rem ita exigere, ut plane ſibi perſuadere debeat ob nove admodum inſtitutum e provincia receſſum ſuum, nullam ipſi apud Ordines, populumque reliquam eſſe fidem. Quamobrem ſi cum ipſis agere & tractare conſtituerit, non eſſe deinceps promiſſionibus agendum, ſed omnino requiri, ut, quod offerre velit, promptiſſime effectum reddat, atque adeo pro eo, quod ab armis diſceſſurum ſe, & copias dimiſſurum promittit, ut id ipſa re, & ſine dilatione exſequatur. Praeterea ob diffidentiam & ſuſpiciones ex hoc ſuo inopinato receſſu enatas, non debere novum ipſi videri, Ordines in armis perſiſtere, tantisper dum clare & indubitanter ipſis de clara & ſincera ſua voluntate conſtet; neque hoc debere offendi, quod ipſi actionibus ipſius diffidentes, delectis & exploratoribus in exteras provincias dimiſſis, ubicumque vel arbitrentur, vel ſuſpicio ſit contra ſe militem conſcribi, diligentiſſime omnia perveſtigent. Cum enim multa diverſis ex locis de occultis

belli

belli apparatibus, quamquam conficta pleraque, ad ipſos deferantur, quae tamen ſollicitudinem & metum ingerant, non eſſe mirandum, ſi ſagaciter, quid in aliis regionibus fiat, perquirant. At vero cum proximum ſit, niſi commoda aliqua cautione fiducia comparetur, praeſtationis ejus, quod prompte effici non poteſt, ut ad arma veniatur, omnibus futura graviſſima, quo apud Ordines populumque illi malo avertendo neceſſariam fidem impetret, videri ſibi conveniens, ut offerat praecipuis aliquot e clientela ſua obſidibus idonee ipſis cavere.

Quae cum ſua Serenitas aequo animo, &, uti videbatur, non illubenter audiſſet, liberaliter aſſenſit, ſciſſitatus ex me, ſi quid praeterea dicere vellem, aut fieri ab ſe confirmandam ſinceram ſuam voluntatem, paucisque non fictum amorem deſiderarem, paratum ad omnia animum, fere cum mea admiratione demonſtrans.

Reſpondebam autem ego, dolere mihi unice, non eſſe me praeditum eo ingenio & rerum experientia, ut amplius quidquam, quod cauſae, quae tractatur, magnitudini congruum ſit, proponere queam, cum vero perbenignam ſuae Serenitatis mentem exploratam jam habeam, ex quo, pro meo publicae quietis deſiderio, permagnam animo ceperim voluptatem atque laetitiam, ne actio haec inter nos infructuoſa evaneſcat, exiſtimare me dicebam, operae pretium eſſe, ut eorum, qui praeſentes ſint, ſua Serenitas concilium cogat, quo communicata re, & exploratis ipſorum ſententiis, quid agendum deinceps ſit, plenius decernatur. Itaque convocatis e veſtigio Conſiliariis, & explicata actione, cum aſſentirentur omnes, neque haberent, quod opponerent, vel

adde-

adderent, placuit demum univerſis, ut propoſitiones illas meas & ſuae Serenitatis egregiam voluntatem atque mentem ad Ordines referrem.

Accepta itaque mandatorum formula, & Legationis meae teſtimonio 24. Auguſti Namurco digreſſus, cum Bruxellis ſecundo poſt die in Ordinum conventu verba feciſſem, exigentibus ipſis legationis ſummam ſcripto mea manu ratificato exhibui; cujus haec ſumma fuit.

Primum ſuam Serenitatem, internunciis Iprenſi & Attrebatenſi Epiſcopis, coram Caeſaris Legatis ſufficienter & abunde declaraſſe benevolentiam ſuam voluntatemque, optare nimirum ſe, rationibus potius agi transigique, quam armis, atque manu, cum ſe non fugiat, quantae ſint bellorum offenſiones; at nunc quoque eandem ſibi eſſe mentem atque affectum: Ex ſua parte ſe daturum operam, ne quid exinde hoſtiliter a ſuis perpetretur, militem, qui conſcriptus ſit, exauctoraturum, renunciatumque ſe iis, & e Provincia ablegaturum, quos jam ſub ſignis expeditos haberet, idque e veſtigio paratum ſe exſequi, & ſolemnis dejurii cautione confirmare. Praeterea, quo Ordinum animos pacatiores reddat, placere ſibi, ut homines fide dignos, quacunque videbitur, dimittant, qui diligenter inquirant, ſicubi occulte quidquam in ipſorum fraudem moliatur. Inſuper quo cauſam ipſis omnem dubitationis, & ſollicitudinis eximat, neque quisquam de fide ſua ſuſpicetur, non recuſare ſe obſides dare, ita tamen ut in cuſtodia alicujus ſint, qui neutro inclinet, ſive apud Leodienſem Praeſulem, ſive alibi, idque ea conditione, ut & ipſi idem invicem faciant, & e ſuis ſibi liceat, quacumque videbitur, dimittere, qui recepta Ordinum fide, legitime viciſſim ſibi ca-

Digitized by Google

caveant. Denique poſtquam pernicioſis eorum conſiliis, qui inſidiis circumvenire ſe machinati ſunt, rem eo deductam conſideret, ut non videatur commode poſthac & tranquille, uti deſideret, his in Provinciis gubernaturus, injunxiſſe ſe Domino Grobendonci, moneret Ordines, ne differant idoneum aliquem vel etiam plures ex Nobilitate & Ordine Eccleſiaſtico ad Regem in Hiſpanias amandare, quo alium Regii ſanguinis Praefectum in locum ſuum ſubſtituat; concedere, & ſuadere id ipſis, ut plane ſinceritatem ſuam percipiant, dum non admittat modo, verum & det conſilia, quibus Reipublicae prodeſſe ſe poſſe exiſtimet. Si vero nemo ſit apud ipſos, qui provinciam hanc proficiſcendi voluntarie ſuſcipiat, ſemet & ipſis & ſibi legare velle Virum Nobilem huic negotio accommodum, cui ſuas Ordinum litteris, quas daturi ſint, conjunctas committat.

Scripturum porro ſe & in ſententiam, & quantum omnino fieri poterit, in ipſorum favorem accuratiſſime, cauſamque ita commendaturum, ut cognoſcant, magis ſe publici commodi, quam ſui rationem habuiſſe; neque dubitare ſe, quin Rex, cujus in Provincias has animum perſpectum habeat, petitioni ipſorum non gravatim, praeſertim & ſe adhortante & dimiſſionem flagitante, ſit ſubſcripturus; ut autem non confirmetur modo, verum & augeſcat Regis in ipſos benevolentia, videri perneceſſarium, ut quantopere propoſitionibus ſuis obſecundare affectent, ipſa exſecutione comprobent; neque tam pertinaciter diffidentiae inhaereant; quae ex omnium animis abdicari debeat, cum ex tam levi cauſa, ſed & perperam errata nulli fundamento innitatur. Atque hac ratione legitimam ſcribendi materiam ſibi fore,

re, quo & Regis mentem eo in affectu, quo eſt, retineat.

Quamquam enim offenſiones, quarum ſua maxime interſit, inciderint, animum tamen ſibi eſſe, firmiterque duraturum pacis & tranquillitatis publicae procurandae. At vero, modo ab hoſtili conatu omni ſuperſedeatur, in Arce vel oppido Namurcenſi manſurum ſe, & illinc omni cum lenitate, moderatione & cura ad formulam Gandavicae pactionis, quod e re Reipublicae ſuique officii ſit, mandaturum: Nolint proinde propter tam graves receptus ſui cauſas urgere, ut Arce illa cedat. Enim vero aequum eſſe quemcumque locum permitti ſibi, quo agere ſe tuto poſſe confidat. Interea percupere ſe, ut a parte Ordinum hoſtile nihil moveatur, ne facultates eorum, qui fidem ſuam ſecuti ſunt, vel annotentur, vel publicentur, aut ii, qui in ſe propenſi ſint, captivi detineantur; ut libera fiat omnibus, quam ipſe mutuam faciat, veniendi ad ſe, redeundique poteſtas, & quidem haec omnia ſecure atque licenter, quo non tam belli, quam pacis facies undique appareat.

Dum haec cum Ordinibus communico, & in rem una conſulimus, pervenit ad ſuae Serenitatis manus ipſorum ſcriptum ad ea poſtulatorum capita, quae Attrebatenſis & Iprenſis Epiſcopi, uti ante dictum, retulerant; huic ſcripto brevibus & ſummatim tum reſpondit ſua Serenitas 28ᵒ nimirum Auguſti litteris per apparitorem Senatus ſeu Concilii, quod Status vocant, miſſis. Et imprimis Ordines collaudat pro eo, quo ſunt in religionem Catholicam, affectu, tum & pro obſervantiae cura, qua ſe Regi obſtrictos eſſe agnoſcant, officium invicem ſuum quale optare poſſint repro-

repromittens; neque vero a Gandavicae Pacificationis veſtigiis ſe receſſurum. Exhibiturum inſuper ſe delectos ſuos, quibuscum concordiae rationes ineant, deque controverſiis, de Pacificationis Gandavicae ſententia natis & naſcendis ſtatuant & decidant, ut ſingula foederis capita, ſublato omni ſcrupulo & pernicioſis ſuſpicionibus, ad accuratam & ſinceram exſecutionem perducantur. Quod vero tam inſtanter urgeant originem fundamentumque cauſae explicari, cur in Arcem ſe Namurcenſem receperit, non id ſe novarum rerum ſtudio, vel temere vel inconſulte, ſed praeſentiſſimo periculo compulſum feciſſe, prout facti ſui rationes, litteris ad ipſos datis, ſpecifice demonſtret: dementis ſiquidem futurum fuiſſe, in re tam clara tamque pervulgata, dilatatione periculum ſibi conſciſcere, quod licet alii vanum, uti ipſi manifeſtum fuiſſe dictitent, metu tamen voluiſſe liberari.

Denique quod querantur, rem eſſe longe iniquiſſimam & acerbiſſimam litteris ſuis ad Imperatricem, ceterosque Imperii, aliorumque regnorum Principes, invidioſis magis quam veris criminationibus ipſos onerari, declarat, nequaquam ab ſe totum Ordinem, de quo in univerſum ab initio praeclaram conceperit opinionem, verum male affectos tantummodo & otii impatientes, pacisque hoſtes, quique ſtatum publicum impiis machinationibus perturbare non deſiſtant, perſtringi, ſolos hos querimonias illas ſuas tangere, ſingulari ſe affectu proſecutum eſſe omnium coetum, optimeque de univerſis exiſtimaſſe ſe ſemper, quos & Regiae authoritatis, & ſuae exiſtimationis ſtudioſos cognoviſſet. Ceterum non indignas ſibi eſſe cauſas, cur culpam & invidiam



Digitized by Google

in eos conferat, qui tentarint ſuam perſonam credulitatis & inconſiderantiae exemplum conſtituere publico ludibrio, quo ſane non modo ſibi ipſi incautus erat futurus, verum & eos fefelliſſet, qui tutiorem ſeſe vitam ſuo praeſidio ducturos ſperaverint, in ſua etenim cauſa communem totius Provinciae comprehenſam fuiſſe, & privato ſuo periculo publicam ſalutem nutaſſe: Proinde cum inquietorum malevolorumque hominum ſtudia, cum ſe, tum Rempublicam in evidentiſſimum periculum & diſcrimen perductura fuerint, publicam cauſam debere exiſtimari, neque culpae illi dandum, ſi facinus tale exercetur, quaſi univerſum Ordinem apud exteros Principes criminetur, aut etiam ſine legitima cauſa in munimitum ſe locum receperit.

Cum porro inter haec moram ego aliquam Bruxellis facerem, ſedulo cum Ordinibus agebam, ut de pacis negotio non cunctanter ſtatuere vellent, & quas ſua Serenitas offerebat conditiones habita ratione tanti tamque opportuni beneficii non repudiarent, & has ipſe ego divulgans, nunc publice, nunc ſingulis privatim ferventer commendabam, demonſtrans nullam me videre rationem componendae controverſiae commodiorem, quam ut his tam moderatis propoſitionibus acquieſcant. Porro niſi pacificetur, & res indefinita & ſuſpenſa diutius maneat, neminem non jam augurari poſſe, quantum ſubſit periculum; videre ipſos quam nunc ille proxime ad ipſorum voluntatem acceſſerit, qui ſi denuo irritetur, quam deſperata deinceps reconciliatio ſit futura; nullum eſſe, qui ignorare debeat oportunitatem in tali negotio non negligendam. Serio itaque rem agant, & in eo, quod jam diu deliberatum eſſe

de-

Digitized by Google

debuit, decernant: mei eſſe conſilii, cum expeditiorem ad pacem viam patere non exiſtimem, ut promptiſſime optabilem hanc ſuae Serenitatis voluntatem, mentemque ampleĉtantur, eamque in bono eo affeĉtu contineant.

Verum cum animadverterem propoſitis conditionibus illis, plene adhuc Ordinibus non eſſe ſatisfaĉtum, & hoc urgeri imprimis, ut nulla intermedia cunĉtatione, & Arcem Namurcenſem & Carolomontium in manus ipſorum reſignet; ne rurſum tam moleſte repetita ea conditio animum ſuae Serenitatis offenderet, praeoccupandum ratus, & viam, ſi qua ſpes eſſet, ad hanc ipſum conditionem ſeu petitionem condeſcenſurum, praeſtruendam, quid Ordines maxime ſollicitos teneret, & ante omnia fieri deſiderarent, datis litteris ad Berthium, tunc Regio Concilio a Secretis, negotii nodum aperui, quaque via ſua Serenitas eo induci poſſet, admonui, intelleĉto nimirum animo cum Principis Auraici aliqua offenſione, cui ille jam infenſus eſſe coeperat, admonens nimirum, ut diſſimulata malevolentia tantum urgeret Ediĉti Pacificatorii in Hollandia publicationem, quam, cum ob religionis Catholicae commendationem nimiam eſſet averſurus, in Ordinum indignationem facile incurſurum, qui beneficiis lucrefaĉti illi bellum moturi ſunt.

Hujus ſcripti mei rationis Lalangium & Boſſutium Comites, tum & alios aliquot Ordinum Proceres conſcios habebam: fuere nihilominus hae litterae, quamvis Lalangius Comes ſecuritatis publicae libellum tabellioni dediſſet, ad portam Bruxellenſem interceptae, quas cum Deleĉti Hollandiae reſignatas legiſſent, exemplumque ad Principem Orangiae mittendum excepiſſent, non levi-



Digitized by Google

ter offenſi, quod conſilio meo ſeu praeoccupatione Auraici rebus officere, minusque cupere ipſi ſeu favere viderer, in Ordinum demum conſeſſu exhibent, ubi cum denuo lectae recitataeque eſſent, ſuamque Comites praefati, aliique Proceres, conſilii mei conſcii, ſententiam dixiſſent, uti mitterentur communi voto, decretum eſt. Miſſae itaque ſunt, ſed tardius, quam ut eum, in quem illas ſcripſeram, effectum obtinere poſſent, ut videlicet ſua Serenitas Ordinum poteſtati Arcem Namurcenſem offerret, priusquam eadem armata manu poſceretur; quae cum ſpecies violentiae foret, neceſſario futurum, ut ſola rei indignitate, tamque contemptu permultum ſuae exiſtimationi dignitatique decedet, malit ergo quod ipſi tantopere & paene extorquere contendant, beneficii ſui facere, & quod ſine detrimento recuſare non poſſit, voluntarie & benevole praeſtare; benevolentiam ipſum viciſſim, eamque gratiam apud omnes conſecuturum, quae cunctis arcibus majorem ſecuritatem factura ſit; idoneas ad haec adducens rationes, quam ob rem mihi conſultum videretur, non debere ipſum tergiverſari, aut moram facere, quin liberaliter & facili animo Arcem illam Ordinum petitioni concedat, ita tamen ut cauſae religionis ſua ne deſit cautio. Hoc quidem obtineri poſſe ea conditione, ut Edictum Pacis, quod religioni in primis cavebat, aeque per Hollandiam & Zelandiam, ubi hactenus ſuſpenſum ſit, veluti per reliquas Provincias, obſervandum promulgetur. Quod ut fiat, rationabile & cum aequitate convinctum videri, ut quindecim, quae Foederis illius pacta ſequuntur, Provinciae approbent non modo, verum & procurent ſedulo; quod ſi ſua Serenitas ab illis impetret, ut urgeant, uti dubio

pro-

procul, Arce Namurcenſi tradita, impetratura videatur, nimirum ut Hollandi Zelandique pactis praeſcriptam, quamque per jusjurandum communi conſenſu promiſerint, Edicti conciliationem ſequantur, Principem Auraicum inexplicabili difficultate involvendum videri ad eam neceſſitatem compulſum, ut aut neglectum officium agnoſcat, & reſarciat, aut ipſa re declaret a communi ſe foedere deſciſcere.

Porro particula ſcripti, qua Catholicae religionis obſervantiae conſulebatur, Hollandiae & Zelandiae Delectos non leviter offendit, qui interceptae epiſtolae exemplar non aliam ob cauſam ad Auraicum Principem deferri curarunt, ut apud eum, vel ſibi gratiam, vel mihi odium procurarent, quid in negotio hoc agendum foret, conſideraret. Qua ego occaſione motus, cum pleroſque eorum ſuggeſtione operam ſtudiumque hoc meum in Rempublicam perperam & maligne interpretari animadverterem, purgandi mei cauſa, ſcripti rationes apud Ordines palam explicabam, confectam mihi in eum finem fuiſſe epiſtolam, ut voto ſuo Ordines de Arce Namurcenſi potiantur, id me procuraſſe ſine ulla partium injuria, idque adhibitis & conſultis Proceribus aliquot, qui primum inter ipſos locum obtineant. Neque dubitare me, quin gratum acceptumque hoc omnibus fecerim, eoque maxime, quod ſponte & non oratus, neque curam ſollicitudinemque meam pro Republica jactans, privatis ſumptibus, magno labore & inculpata fide, pro ea, qua ſim in patriam pietate, tota in hac actione, tanto jam tempore, promptum expoſitumque me praebuerim.

Etenim ſi Arcis Namurcenſis, quam tanti momenti eſſe exiſtimarent, reſtitutionem requirant, ejus conſequendae expeditiores mihi non apparuiſſe rationes, quam eas, quas ex litteris meis intellexiſſent; ut nimirum, publicato per omnes Provincias Edicto, ulteriorum querimoniarum cauſae ſuae Serenitati intercidantur. Si enim religio, cujus maximum in hoc negotio momentum foret, ex Edicti praeſcripto reparetur, nullas ſupereſſe illi cauſas, vel ſubterfugia, cur vel Arcem retineat, vel ipſis non ſe jungat.

Poſt Arcis etiam reſtitutionem, non eſſe quod vel ab illo, vel a ſuis ſibi metuant; atque unico hoc compendio, & illius & ipſorum voluntati ſecuritatique cum totius Reipublicae commodo affatim conſultum fore, me fuiſſe arbitratum. Quam ſententiae meae declarationem, quamquam Batavorum & Zelandiae Delecti criminarentur, approbarunt tamen reliqui Ordines, laudaruntque, gratiasque agentes pro ſollicitudine, & meo in Rempublicam ſtudio petebant, ut ad ſuam Serenitatem reverti vellem, & perſuadere conarer, ut huic meo conſilio, quod cum ipſorum voluntate conveniret, ſeſe accommodaret.

Acceptis itaque mandatis & teſtimonio publico, quod fuit quintâ Septembris, in poſterum diem cogentibus Ordinibus, & acriter inſtantibus, profectionem adornabam, eoque meliori animo, quod animadvertens, quantum Ordines in hac legatione momenti poſitum eſſe cenſuerint, tam accurata diligentia, cum tamen pridie ad ſcriptum ab Iprenſi & Brugenſi Epiſcopis allatum per apparitorem Regii Concilii, quem ſua Serenitas cum litteris Bruxellas amandarat, reſpondiſ-

Digitized by Google

diſſent, feliciorem exitum mente conciperem. Reſponſi porro Ordinum ad ea, quae ego juſſu ſuae Serenitatis vigore publici teſtimonii confirmata retuleram, haec erat ſumma. Ordines poſteaquam mature perpendiſſent ea, quae Dominus Grobendonci publicae fidei atteſtatione aſſerta propoſuerat, tum & ſuae Serenitatis poſtulata agnoscere ſe, quam multis nominibus ſuae Serenitati devincti ſint, eo, quod ſponte ſua, ſingulari benevolentia in Rempublicam adductus, publicae quieti in primis neceſſarias, commodas, & utiles occaſiones & conditiones offerat, orare autem, ut egregiam hanc ſuam voluntatem, quam fieri poſſit, citiſſime ipſo effectu comprobare velit; cum ut hoc absque dilatione fiat, ſacroſanctae noſtrae fidei catholicae Romanae religionis, & Regiae obſervantiae nihil magis interſit. Per ſingula deinde capita reſpondentes, quamplurima ex iis, ut ad exſecutionem deducerentur, requirebant; nonnulla vero quo minus admitterent, orabant, ut ipſorum excuſationem accipere vellet, videlicet quod ad Obſides ſecuritatis utrimque praeſtandae cauſa dandos attinebat; plus enim in eo moleſtiae & difficultatis quam neceſſitudinis eſſe poſitum. Excuſabant etiam ſe, quod omnes ſuas copias a ſignis non dimitterent; non enim videri hoc conſultum, niſi extranei prius omnes exauthorati e Provinciae finibus exceſſerint, ferventer nihilo ſecius urgebant, ut ab occupatione Namurci decedat, & Oppidum cum Arce ipſorum poteſtati reſtituat: Qua ratione, ipſa re non ficte, oſtenſurum deſiderio ſe pacis teneri, quod ſi facere id tergiverſaretur, ſe ex pacto Namurcenſibus ſociis foederatis non poſſe deëſſe demonſtrabant.



Digitized by Google

Aſſeverantes demum nihil impedire, quo minus ipſorum ſe fidei committat; (nihil enim facturos ſe unquam, quod jure culpari poſſit) omne vero in hoc ſtudium collaturos, ut ſacroſancta Catholica Romana religio exacte obſervetur, & ne quid Regiae authoritati & debitae obedientiae detrahatur. Quod ſi ſua Serenitas, rejectis conditionibus illis, propoſito ſuo obſtinate inhaerens armorum cauſam praebeat, & bellum exſuſcitet, injuſtam ſibi vim fieri, & cum in eam neceſſitatem res devenerit, incommodorum omnium & malorum, quae inde enaſcitura ſunt, coram Deo & hominibus innoxios ſe futuros proteſtantur; hortantes ſedulo, ne ſe a benevola ſua erga ipſos voluntate, & laudabili in rem Reipublicae propoſito ſiniſtris perſuaſionibus dimoveri patiatur; ſive quod nefarii quicumque periculum ipſi machinati eſſe dicantur, ſive quid aliud, quod offenderit, delatum foret.

Quin imo ad certiſſimam ipſius facere ſecuritatem, & eo fidentius multo agere debere, quod indicia haec viri praecipuae inter Ordines dignitatis edidiſſent, qua nimirum animadverſione, quam benevolo erga ipſum ſint animo, quantamque ſuae ſecuritatis curam habeant, abunde demonſtrarint; neque defuturos ſe officio, ſi iſtiusmodi flagitia quacumque cognitione detegantur. Queruntur tandem, quod ſi tale aliquid de quoquam timuerit, de indiciis illis, deque diſcrimine ſuo, cum Ordines tum ſupremum Senatum celaſſet, ſuam impunitatis non eſſe culpam, de quibus certe ſi in tempore edocti fuiſſent, injuriam hanc non ſecus quam ſibi ipſis factam accepturos fuiſſe, & quid de ipſorum fide ſperari debeat, fuiſſe ſe legitimis animadverſionibus manifeſtum facturos, uti non ſemel antea fecerint in ſimilibus, ſed

mul-

multo minoris momenti, occaſionibus. Aſt cum ego legationis meae cauſa, ſexta Septembris Bruxellis profecturus, ad iter me compono, allatae ſunt eodem die litterae pridie Nonas videlicet ejusdem menſis ſcriptae a ſua Serenitate, quibus indicat, jucundum ſibi ex Hispaniis a Rege veniſſe nuncium, quo declaret prorſus ſibi deliberatum eſſe cum ſubditis ſuis pacem facere, & ſuae Serenitati abdicandi ſe Praefectura diſcedendique licentiam conceſſiſſe; promiſiſſe ad haec, brevi ſe alium quempiam ſui generis, prout Ordines petierint, rerum ſummae praefecturum; & quamquam iisdem litteris ſua Serenitas ſcriberet a ſe dimiſſos Leodienſes & Juliacenſes Legatos, qui ſubito adfuturi exactius & plenius ipſos de Regis deliberatione & voluntate edoceant, meum tamen abitum urgere & ad ſuam Serenitatem profectionem non intermiſerunt, certa ſpe concepta, uti tum videbatur, promptum & optabile reſponſum diligentia mea ſe conſecuturos. Quare Ordinibus ita cupientibus profectus, cum Namurcum deinde appuliſſem, prolixe & particulatim ex mandati mei praeſcripto ſuper conditionibus pacis, quas Ordines proponebant, cum ſua Serenitate egi, & Conſiliariorum, qui tum aderant, adjutus opera, poſtquam pluribus verbis diſceptatum eſſet, negotium ad extremum eo provexi, ut pacis conditiones undecima die Septembris conſcriberentur; tales quidem tamque meo judicio moderatae & tolerabiles, ut minime dubitarem, quin & legationi ego meae, & Ordinum exſpectationi ſatisfeciſſem: Spem quoque mihi augebat, quod per multa impedimenta, plurimas difficultates & moleſtias, quae in tanti momenti rebus occurrere conſueverunt, hoc a ſua Serenitate obtinuiſ-

 ſem,

ſem, ut pacis conditiones conſcriptae, ſubſignatae, mihique traditae eſſent, ut eas ad Ordines referrem; ideoque ſpe bona plenus ablegatus cum 12ª ejusdem menſis Bruxellas veniſſem actionis meae ſummam explicaturus, in Ordinum Conſeſſu ſic verba feci: Duo potiſſimum fuiſſe, cur me ipſi ad ſuam Serenitatem legarint, & primum quidem, ut accuratiſſime demonſtrarem, quam juſtis innitantur rationibus, quamque gravibus moveantur cauſis, quod cautiones ſecuras tam ſcrupuloſe contra vim omnem, atque periculum poſtulent: Alterum, ut aptis demonſtrationibus animum ſuae Serenitatis edulcarem, mitigaremque, quem non modice exacerbatum conſtabat ex eo, quod plane adeo & definite Namurcenſis Arcis & Carolomontii promptam reſtitutionem depoſcant, quae poſtulata vehementia praeter morem contra legitimam modeſtiam nonnihil rigoris inuſitati prae ſe ferrent. Utrumque autem me horum ex ipſorum, uti ſperem, voto exſecutum eſſe. Aperte enim me ſuae Serenitati declaraſſe, has ſolas eſſe rationes, & unicam viam popularis motus ſedandi, qui jam omnia paſſim tanquam promiſcuo incendio correpta perturbaret. Populum enim univerſum hunc metum imbibiſſe, ne violata fide graviſſima quaque & intolerabilia in ſe ſtatuantur; atque hoc cogitare, ne commiſerationi quidem apud exteras nationes locum futurum, ſi abutendum ſe denuo permittat, & perſuaſionibus circumventus opprimatur; non Ordines neque Magiſtratus ſibi, ſed populo pacando ea poſtulaſſe; quibus late deductis rationibus tam me feciſſe tractabilem, perduxiſſeque eatenus ſuam Serenitatem ajebam, ut certo confiderem, ſtatim atque viſuri eſſent conditionum paciſque formulam, quam ſuae

Se-

Digitized by Google

Serenitatis ſignatura confirmatam, ipſisque exhibendam attuleram, deque ipſorum ſecuritatis cautione, deque legatione plene mea ſatisfactum fore, ad quam formulam ejusque lectionem me meamque actionem referebam. Declarabam tamen prius, quamquam cogitaſſem faciliorem futuram tractationem ob litteras ex Hiſpaniis allatas, quibus, uti ſua Serenitas Ordines certiores fecerat, Rex ex voto ipſorum pacem omnino decreviſſet, opinione tamen mea difficiliorem eam offendiſſe, eo quod ſua Serenitas caput illud conditionum, quo Ordines Magnatibus, Nobilibusque iis, qui in clientelam ſe ſuam dediſſent, honores, dignitates, & publicas adminiſtrationes, quas geſſerant, abrogari contendebant, aegrius tuliſſet, & tandem a ſe rejeciſſet, & mihi cum ipſismet Nobilibus diſceptandi & definiendi onus impoſuiſſet, aſſerens nullo pacto ſe poſſe, vel debere non eorum pro affectu, quo erga ſe ſint, rationem habere, neque velle ſe id agere, niſi eorum adhibito & interveniente conſenſu: Quod ſi aliter faciat, & ingratitudinis merito argui ſe poſſe, & ad exiſtimationem ſuam plurimum intereſſe, quam ut aliqua ratione laedere cogatur, neque ipſi Regi in ſe jus dare velit: Eam mihi in primis duram fuiſſe provinciam, facile poſſe intelligi, nimirum Primores illos, prout cujusque ex officiorum, quae obierant, reſpectu intererat, pacare, & animis tali injuria offenſis ſatisfacere; id tamen, ne quaecumque occaſio ſuam Serenitatem ab inſtituto conficiendae pacis averteret, effeciſſe ſic, ut non parvo labore aegre tandem negotium ad deſideratum finem perduxerim, intervenientibus etiam & adjuvantibus Caeſaris Legatis, qui hoc tempore forte Namur-

cum

cum venerant, & ipſis quoque Regiis Conſiliariis, qui tum apud ſuam Serenitatem erant, quos omnes in re tam ardua auxilio acciveram, ut ſimul mecum animos eorum, qui ſe male tractari putabant, expugnarent.

Ad haec exponebam me a ſua Serenitate contendiſſe, prout in mandatis habueram, copiam mihi fieri videndae illius epiſtolae, qua Rex deliberationem ſuam de pace poſtremum nunc explicaſſet, idque me obtinuiſſe; fuiſſe autem illam per notas ſeu ſuppoſititios characteres conſcriptam, Regiaque manu ſubſignatam 6ª Auguſti. Poſtulatam quoque a me ſtudio eodem temporis momento fuiſſe, ut ex inſperato allata ab eo, qui a Secretis erat, easque litteras in cuſtodia habebat, ſecuriorem faceret fidem, extemporaria interpretatio, ex ea intellexiſſe me, eſſe eas prorſus illius ſententiae, eundemque eſſe earum ſenſum, quem ſua Serenitas ad Ordines ſcripſerit: Nonnulla porro alia iisdem litteris fuiſſe comprehenſa, quae ſua Serenitas mihi mandarit, ne evulgarem, in quo mihi tum temporis fidem datam praeſtandam putans, quamvis Regis in pacem propenſi animi judicium evidentius futurum fuerat, utpote qui factum de Namurci Arce, eo modo occupata, pacis praejudicio non probaret. Declarabam inſuper ſuam Serenitatem non potuiſſe adduci, ut conditionibus illis pacis, quas ferebam, ſubſcriberet, niſi praemiſſa ſtipulatione, qua ſibi de tribus rebus caveri proflagitabit; & primo hac conditione pacem ſe dare, ut in foederatis Provinciis Religio Catholica obſervetur; ſaltem ne alterius religionis permittatur in iis exercitium: deinde, ut obedientia ſua Regi praeſtetur, & ſibi ſua authoritas, quamdiu admi-

ni-

Digitized by Google

niſtrationi praeerit, conſtet: denique, dum pacis negotium procuratur, ut omnes armorum motus ceſſent, neque hoſtile quidquam fiat, ne freto ſibi & ſecuro pacis tractatione, per hanc tamquam induciarum occaſionem, vel in Namurcenſem Arcem, vel alibi quidquam attentetur; unde quidem fraudulenter ſibi deprehenſo nota improvidentiae inuratur, ipſos vero laus nulla ſequatur; me ad ea, tamquam qui ſatis exploratum habere me putarim Ordinum inſtitutum, magna confidentia meam interpoſuiſſe fidem, & vel cum honoris & vitae periculo ſecuritatem me ſuae Serenitati promiſiſſe, facta aſſeveratione, Ordines ea, quae poſtularet, praeſtituros, uti & miſſis ad Ordines litteris ante meum adventum, hanc ſuae Serenitatis praeclaram voluntatem indicaram; porro orans, ut hujus tam commodae occaſionis meminiſſe, & rationem habere vellent, ſimulque diligenter curarent, ne forte ipſis quid ignaris, vel miles, vel quicumque alii committent, quod his tam aequis ſuae Serenitatis propoſitionibus, meiſque promiſſis adverſetur, poſteaquam ſua Serenitas aſſeverationi, quam feciſſem, fidens, pariterque fiducia ipſorum ab armis diſcedere conſtituiſſet; quin imo jam nunc Germanorum aliquot ſignis, quae hactenus retinuerat, militiae ſacramentum remiſiſſet; juſſiſſet etiam ceſſari ab opere, quod in munitionibus Namurcenſis Arcis inſtituerat, nec non multis aliis argumentis clare & indubitate demonſtraret, belli conſilia toto jam ſe animo abdicaſſe; fidem itaque tandem non verbis tantum, verum & ipſis factis incipiant habere, ne omnis, ſi quid incommodi accidet, culpa ipſorum erga illum diffidentiae in poſterum imputetur.

His

His admonitionibus cum animos Ordinum in Conſeſſu excitaſſem, coepi pacis conditiones proferre, & ſuae Serenitatis ſignatura approbatas exhibere, quarum haec fuit ſententia.

Primo; Suam Serenitatem nihil prius habuiſſe unquam, neque nunc optare ardentius, quam ut nulla interpoſita mora omnes diſſidii hujus cauſae penitus exſtirpentur, quo Regis benevola voluntas, ſimul & reſtituendae Reipublicae inſtitutum, effectum ſortiri poſſint: Itaque ne quisquam dubitet, quin magnopere ſibi hoc negotium cordi ſit, omnesque cognoſcant, quam impenſe paci, tranquillitatique publicae ſtudeat, ut tandem finis controverſiis imponatur, ad Ordinum petitionem in haec ſe capita conſentire; ut pax & transactio Gandavi facta, & Edicti perpetui foedus, tum & Regii conſenſus approbatio vigorem obtineant, & inviolata permaneant; quidquid etiam in contrarium, quocumque authore, attentatum factumque ſit, id irritum, nullius momenti, & tanquam infectum habeatur.

Secundo; Quoque commodius firmiusque inſtauretur inter ſuae Majeſtatis ſubditos fidentia, & mutuis hactenus injuriis ſejuncti, ſtabili pace & concordia reconcilientur; & ſuus Deo cultus, Religioni Catholicae Romanae obſervatio, Regi obedientia, & Provinciae tranquillitatis priſtinae felicitas reddatur, utrisque partibus omnium, quae poſt hanc ultimam mutationem acciderunt, aeterna oblivio indicta fuit; neque horum vel objectio vel exprobratio, vel mentio fiant, ſed extra memoriam rejecta habeantur.

Tertio; Utque a ſua Serenitate initium illico & progreſſus pacis fiant, placere ſibi Oppidum & Arcem Namurci reſignare, ac tutum & iis tradere, quo-

rum

Digitized by Google

ſum in poteſtate & tutela erant eo, quo Arcem ingreſſus eſt, die; nulla penitus novitia mutatione introducta.

Quarto; Idem praeſtiturum ſe in eo, quod attinet ad reſtitutionem Carolomontii, & Marieburgi ex pacti formula, confeſtim atque Ordines pactis ſatisfecerint, praeſertim iis, quae poſt undecimo hujus transactionis capite proferentur.

Quinto; Aſſentiri ſe ſimiliter, ut ſacramento exſolvat, & continuo e Provinciae finibus excedere jubeat Germanorum copias, cum ſtipendia illis Ordines, uti ex pacto tenentur, dependerint.

Sexto; Quicumque etiam adſcripti ſunt in militiam, tam pedites, quam equites, poſt natam hanc poſtremam diſſenſionem, jamque vel ſub ſignis ſunt, vel acceptis ſtipendiis obſtricti occaſionem exſpectant, aut quocumque modo vel aperte vel clandeſtine bello deſtinati, exauthorati utrimque dimittantur, & exhibeantur bona fide eorum nomina ad majorem partium ſecuritatem, quo omnis deinceps motus, pericula, & ſuſpiciones tollantur.

Septimo; Quod ad reliquos attinet, qui ante nuperum hunc admodum motum in ordinaria ſeu ſtativa praeſidia recepti non fuerunt, & tamen adhuc merent, per ea praeſidia nunc diſtribuantur, & poſt eductos Germanos dimittantur & ipſi.

Octavo; Suam Serenitatem mandaturam Praefectis Provinciarum ne recipiant, non tranſitum in regiones has peregrino militi permittant, ut viciſſim Ordines, quae ad hunc effectum requiruntur, praeſtent.

Nono; Quo protinus hoſtilia omnia, excurſiones, annotationes abſentium tamquam reorum, apprehenſiones perſonarum, bonorum, & facultatum alienarum detentiones, & aliae iſtiuſmodi violentiae, quae

quae cum injuria plurimorum fiunt, legitimae paci ex diametro contra pugnantes, ceſſent.

Decimo; Ut etiam e veſtigio liberi fiant Trelonius, Carolus Fuggerus, Tribunus militum, & reliqui, qui ab una & altera partibus, quacumque ſpecie, colore vel cauſa, captivi detineantur; cujuscumque conditionis, vel dignitatis ſint, prout bona omnia tam mobilia, quam immobilia, quibuscumque, & ubicumque per hanc mutationem adempta, retenta, & ſeu publico ſeu privato quocumque modo occupata, ad Dominos redeant; publicationes omnes irritae ſint, & injuſti poſſeſſores ad reſtitutionem ſine diminutione adigantur, ſimulque, quibus per has turbas adminiſtrationes & officia abrogata ſunt, actionum quarumcumque & juris ſui perſequendi poteſtas iis ſit, & functionibus muniisque ſuis libere & pacate deinceps utantur & fruantur.

Undecimo; Cum vero Ordines, ut dictum eſt, captivos dimiſerint, bonorum detentiones diſſolverint, copias pariter, de quibus ſupra relatum eſt, exauthorarint, atque has conditiones implerint; ſua Serenitas tradet viciſſim Carolomontium & Marieburgum ex formula prius memorata.

Duodecimo; Quo porro pacatiora deinceps ſint omnia, & ulteriorum turbarum periculum metusque eximantur, priusquam Germanorum ceteraeque copiae Buſciduco, Breda & Ruremunda, Campoduno & reliquis civitatibus, quibus impoſitae ſunt, educantur, a Magiſtratibus & civibus earum civitatum jusjurandum & fides exigatur, ſumaturque, ne praeſidium vel militem recipiant, niſi de ſuae Serenitatis voluntate & Ordinum aſſenſu; fides autem ab omnibus recipiatur Catholicae Romanae Religionis, & Regiae obſervantiae, cavea-

tur-

turque, ut Cives paſſim & Inquilini legitimum Magiſtratui deferant honorem, debitamque obedientiam praeſtent, ne nimia licentia novorum metuum occaſiones praebeat.

Decimo tertio; Idem fiet, eademque ſtatuetur Reipublicae forma iis in civitatibus, quibus antea praeſidia impoſita fuerunt, quamtumvis educta impraeſens, veluti Bruxellis, Antverpiae, Bergis, Tholeti & alibi.

Decimo quarto; Similiter (his rebus ita confectis) videretur ſuae Serenitati conſentaneum rationi, ut quam fieri poterit citiſſime & ex continenti rationes ineantur, ut populus tam per oppida quam agros ad quietem & ad opera, artes, functionesque quisque ſuas redeat, armorumque uſum penitus remittat, ut inordinati in poſterum tumultus, & confuſiones, quas uſus armorum ſecum trahit, evitentur.

Decimo quinto; Quod porro ad hoc attinet, quo loco ſua Serenitas ſe contineat, dum in provincia, mandata, deliberationemque Regis opperiens morabitur, cogitare ſe Luceburgum, ut vel illinc Gubernationem ſuam ex decreto Pacificationis continuet, uti Ordines flagitarint, promittens interim diligenter ſe apud Regem interceſſurum, & nullum remiſſurum officium, quo res tandem breviſſime, & ex re Reipublicae componatur, & ex eorum animi ſententia. Neque dubitare ſe de Regis aſſenſu; de cujus voluntate jam e litteris acceptis plane ſibi conſtaret.

Decimo ſexto; Proinde aequum eſſe, ut foederibus, cum quibuscumque, poſt exortum hoc ultimum diſſidium, pactis, utrimque renuntietur.

Decimo ſeptimo; Etſi in praefatis his conditionibus, iisque, quae ſuperioribus ſcriptis compre-



Digitized by Google

henſae ſunt, vel ad praecedentis Pacificationis ſatisfactionem, ſeu complementum, aut iis, quae ex his dependent, difficultas aliqua definitionem impediat, delectos ſe, ſtatim ac Ordines ſuos, quos deſtinaturi ſint, nominarint, viciſſim nominaturum, qui, ſi quid addendum reſtabit, prorſus tranſigant, foedus autem hoc fide utrimque recepta ſtabiliatur, prout expedire videtur.

Ad quae capita Pacisque conditiones in hanc formam a ſua Serenitate propoſitas reſponſum dederunt Ordines, particulatim decima quinta Septembris; & primum, ſingulari ſe ſemper non modo affectu fuiſſe ajunt, verum & omne ſtudium ad inſtaurationem Status Belgici contuliſſe, in eoque ſe permanſuros, applicatis in hoc omnibus cogitationibus ſuis, viribusque, quo pax, jus & publica tranquillitas per provincias redintegrentur, tum ut & Catholicae Romanae religionis, Regiaeque authoritatis obſervantia inviolata perſiſtat; denique ut & plebs tantis malis & calamitatibus ſublevetur, quibus tanto jam tempore per hoſce tumultus miſerrime exagitata, & afflicta fuerit.

Itaque mature ſeſe examinaſſe propoſitiones & ſingula poſtremi ſcripti capita, quod ſua Serenitas per me cum teſtimonio publico XI Septembris ad ipſos miſiſſet: quo nomine gratias ſe ſuae Serenitati agere, quod ad conciliationem ſeſe accommodans tam proxime ad petitiones ipſorum accedat, quo non debeant non de ſumma rei bene ſperare; ſed & confidere omnino, ſuae Serenitatis benignitate & favore inauſpicatas has controverſias felicem, pacatumque exitum habituras; proinde ad ſingula capita a ſua Serenitate propoſita poſt deliberatam conſultationem ita de-

fi-

Digitized by Google

finiſſe. Primis duobus capitibus aſſentiri ſe; ſic tamen ut circumſcriptis limitibus, & infra repetitis moderentur. Ad tertium quod attinet, accipere ſe ea viciſſim conditione, ut & Oppidum illud Namurcenſe, & Arx, quae jam pridem praecipua in quaeſtione verſatur, ſine cunctatione 19. Julii, in veteris Praefecti manus reſignetur, ea conditione, ne ſubſtituat ſibi quemque, aut cuſtodiam alteri committat, inconſultis ipſis aut ſine communi ipſorum conſilio & aſſenſu.

Quantum ad quartum caput ſpectat, undecimo infra allegato reſponderi.

Ad quintum; Germanorum ſe copiis ſtipendia dependſuros ad 24. usque Julii diem, prout Mechliniae ex pacto ſe facturos recepiſſent; exceptis tamen iis, quibuscum nova conventio eſt inita poſt Bergarum ad flumen, Steenbergii, Tholeti oppidorum redditionem, quibus ex pactione privatim cum ipſis facta ſolvetur, excluſis etiamnum iis, qui eo tempore, quo ſua Serenitas praefecturam ſuſcepit, exauthorati fuere; tum & iis, qui praeſidio tenuere Valencenas, Tornacum, Nivellam, Dieſthiam & Gemblorium; nullo vero pacto agnoſcere ſe obſtrictos iis, qui Cornelio ab Enda militarint, reliquisque, qui Antverpiae, Trajecti, & aliarum urbium direptionibus interfuerunt, in quos pro eo, ac meriti ſunt, vindicandum ſit, cum & ex Edicti perpetui decreto caſtigabiles ſint judicati.

Ad ſexti capitis propoſitionem; Suam invicem eſſe ſententiam, ut ſua Serenitas tam Equitatum quam Peditum copias omnes exauthoret, quas ab adventu ſuo in provincias vel conſcripſerit, vel alioquin numeratis ſtipendiis obſtrictos in procinctu habeat; ut Carolomontium, Marie-



Digitized by Google

burgum, Bovinium, Caſtellum Theodorici, & alia loca occupata a ſuis reſtituat, quae cum exſequetur, eadem ſe ratione, eodemque tempore copias ſuas ab armis dimiſſuros; verum quia aequum ſit, Germanorum cohortes provincia exceſſiſſe, priusquam ipſi arma deponant, prout pace facta ſtipulatum ſit, ad ſecuritatem ſuam tam contra Germanos illos, quam Gallos, & ob alias probabiles, neque levioris momenti cauſas retenturos ſe legionem unam Peditum, Equites mille, donec ita Provinciae res compoſitae ſint, inque eum modum ipſis cautum; ut ſine periculi ſuſpicione praeſidium hoc dimittere ipſis non liceat.

Quod vero eorum nomina, quos in Ordinem ſuum allegerint, non exhibeant, cupere hanc ſibi in praeſens particulam remitti, quamquam potiore jure & gravioribus de cauſis ob ea, quae ante acta ſunt, ipſimet ſuam Serenitatem, ut id ipſum praeſtaret, & ad nominationem eorum, quos in Concilium ſuum admittit, urgere poſſint, veluti aliquoties & ſpeciatim ſcripto, 4ta hujus menſis exhibito, flagitarint.

Ad ſeptimum caput reſpondent, militum ſe copias, quas ad tutelam ſuam ſibi retinebunt, per oppida & reliqua opportuna loca pro arbitrio diſtributuros, prout expedire judicabunt ad plebem (ne alendo milite inaequalibus oneretur ſumptibus) ſublevandam.

Quae octavo capite ſua Serenitas pollicetur, orare, ut ipſa re exſequi velit, & neceſſariam in hoc ſollicitudinem adhibere, interdicens Provinciarum Praefectis, nominatim autem Burgundiae & Luceburgi, ne in ſuis Provinciis delectus haberi patiantur, neu externo militi per ſuos fines iter vel tranſitum dent, idque faciat, ut hujus

pro-

Digitized by Google

promiſſi fructum percipiant, ſe viciſſim idem proviſuros.

Ad nonum caput declarant, ita ſe ſentire, ut Oppido & Arce Namurcenſi quam primum cedat, uti quarto retro capite tractatum ſit, quod cum fecerit, ut tum utrimque ab hoſtico omni conatu abſtineatur.

Ad decimum poſtulatum quod pertinet; Poſtquam & Oppidi & Arcis Namurcenſis reſtitutionem, veluti dictum eſt, fecerit, qui captivi ſunt, indifferenter, & ſine exceptione omnes Leodienſium Principi & XXXII ejusdem Civitatis, quae vocant, mechanicorum officiorum praefectis aſſervandi tradentur, ut demum prorſus liberi fiant, mox à Carolomontii, Marieburgi, Bovinii, Caſtrotheodorici, & reliquorum oppidorum reſtitutione: Quantum etiam ad bona attinet, tum quoque reſtituentur, quae quidem exſtant, neque alienata ſint; functiones autem adminiſtrationesque & munia publica, ut iis, quibus abrogata ſunt, denuo conferantur, non videri adhuc ex re ob incommoda, quae inde exſpectanda ſint, cum nemo non innatum illorum in Rempublicam odium duraturum ſemper ſit ſuſpicaturus; neque dum enim nuperas machinationes e memoria ſublatas, in generali autem, quem indicturi ſint, conventu, & de hoc & reliquis indeciſis propoſitionibus fore, ut definiatur.

Undecimum caput ad priora referunt; conditionibus ſiquidem iis a parte ſuae Serenitatis impletis, ſe quoque facturos, quod ſe deceat.

Duodecimi & decimi tertii capitum propoſitionibus aſſentiri ſe, ſic tamen ut prius ſua Serenitas a Germano milite Buſciducum, Bredam, Ruremundam, Daventriam, Campodunum,

& reliquas Civitates, quae etiamnum tenentur, liberas faciat, quo deinde Pacificationis veſtigiis inſiſtatur, & quae perturbata ſunt, totiusque Reipublicae Ordines ſuo ordini reſtituantur, componanturque.

Proinde ad decimum quartum caput; Se ſatisfacturos ſpondere, daturosque operam, ut legitima & juridica & pia adminiſtratione priſtina Provinciis tranquillitas & otium inſtaurentur.

Ad decimum quintum caput proponunt; Ut ſua Serenitas Namurci Oppido & Arce, ſicut tertio capite offert, ſine longiori mora cedere velit, & id apud Regem agere, ut alterum Provinciae Praefectum ipſi ſubſtituat.

Decimae ſextae propoſitioni conſentire ſe.

Poſtremam ſimiliter aequabilem videri, & cum omnium voluntate congruere; acquieſcere itaque ſe, & cupere in has conditiones ſolemniter, utrimque per ſacra Euangelii myſteria jurari. Demiſſe demum & ſuppliciter orare, ut ſua Serenitas Regis ad haec aſſenſum intra tres menſes proximos impetrare curet.

Quamquam autem ego lectis in Conſeſſu, recitatisque iis Pacis propoſitionibus, quas ipſe attuleram, ad ſingula earum capita ampliſſime, & accurate diſſeruiſſem, & ad remoras omnes amputandas explicaſſem ea, quae congrua videbantur ad pacem expedite conficiendam, exhortatus, ut devotis illam animis, totisque (quod ajunt) ulnis amplecti vellent; & conſiderare, quam benigne ipſis Deus, cujus in manu Regum Principumque corda vertuntur, gratificetur; qui Principis ipſorum animum, quo utique nihil optabilius ipſis eſſe queat, tam variis de cauſis exacerbatum antea, tam inopinate & opor-

oportune mutarit, ac mitigarit, concepta indignatione in inſperatam hanc pietatem atque clementiam converſa: quam mutationem ne parvi facerent aut negligerent, commune periculum ob oculos ponebam, quod univerſae Reipublicae incumberet, ſi bellum incrudeſcat; aut enim plebem, quotidianis tributis oneratam expilatamque, exactionum demum impatientia in rabiem, & in ipſos exaeſtuaturam; aut etiam militem, depravata belli diſciplina, effrenata licentia infoleſcentem & ad leviſſimas occaſiones, ſi ſtipendia in tempore non dependantur, in ſeditiones ruentem, ipſis non auxilio, ſed terrori futurum: atque verendum eſſe, ne nervo hoc belli luxato conatus ipſorum omnes neceſſario corruant, & viribus, quibus nunc freti videntur, deſtituantur, & apparere jam nunc vix inchoato bello nummariae rei difficultates, provincia anteacto bello ad extremam inopiam redacta; quod ſi ducatur illas nimirum futuras intolerabiles, quas etiamſi Ordines factis & conſiliis, ad conſervandam tuendamque cauſam ſuam, affectuum & inſtituti conſpiratione conſenſerant, ſuſtinere tamen non posſint; utcumque ad rem voluntarii maxime videantur, & ſingularem alacritatem, promptitudinemque prae ſe ferant. Perſuaderi quidem ſic affectis poſſe, legitimas armorum eſſe cauſas, & ex officio ſe ſuo teneri populum contra injuſtam vim protegere; interdum tamen non quidquid perſuadibile, imo juſtum exiſtimatur, id ut fiat continuo conſultum eſſe.

Certe non difficile modo fore, verum & deſperatum, ut pecunia, quae neceſſitatem ſuppleat, colligatur; contra inexhauſtas Indiarum opes, tot Nationum foedera, lateque patentes Re-



Digitized by Google

gis ditiones ſumptuum, & militum ſupplemento quantumvis jacturam reſarcire, bellumque alere poſſe. Videant proinde, ne excitatis a ſe malis, cum volent mederi, non poſſint, & quos attraxerint hoſtes; ſed ne & eos, quos in auxilia vocabunt, a ſe tandem depellere nequeant, tum denique eventurum, ut neque ipſi periculo ſe ſubtracturi ſint, multo minus reliquos protecturi. Arcendam itaque providis conſiliis hanc exulcerationem, priusquam immedicabilis fiat, niſi velint tandem impete calamitatum cum rebus ſuis obrui univerſis. Conſiderent quanto cum periculo, quantis difficultatibus res omnis, praeſertim belli a tanta multitudine & Generalium Ordinum turba gerenda, adminiſtrandaque ſit. Tot enim capitum ſenſus, & opinionum ad quascumque & inſperatas occaſiones mutabilium diverſitatem procul dubio rerum ſucceſſus eſſe turbaturam. Etenim ubi qui quisque pro ſe aemulatione & invidia demum univerſi inter ſeſe aequalem poteſtatem ſibi vendicant, nationes populosque multitudine Imperantium, uti Cares quondam, confundi & perdi. Imperatoris Caroli quinti exemplum movendis eorum animis adduxi, qui cum a Germanis Smalcaldico foedere conjunctis opprimendus videretur, magna animi confidentia ſuum exercitum e ſua unius, hoſtium e multorum ſententiis gubernandum aſſerens, eo augurio victoriam hoſtibus ſuis deplorandam conſecutus eſt; quod ne ipſis accidat, opinionum jam varietate, eventuum & fortunae diverſitatem portendente, ſiſtendam ſuadebam tantarum confuſionum rotam, quae nimis jam diu per tot calamitates volvatur, tolerabilis alicujus compoſitionis & concordiae clavo, priusquam vel ipſimet inter ſe

ſimu-

Digitized by Google

ſimulationibus, aemulationibus, & demum religione diſcordes mutua pernicie exagitentur, aut etiam a Rege inopinata tempeſtate aliqua obruantur; qui quantumcumque in pacem hactenus, vel pro ſua clementia vel temporis conditioni inſerviens, inclinarit, poſſit tamen quocumque ſcrupulo offenſus propoſitum voluntatemque ſuam rurſus immutare; cum; ſi umquam alias, verendum ſit nunc, ne illi gerendi belli animus accreverit, eo, quod poſt ultimas, quibus pacem dedit, litteras, Indica claſſe tres illi circiter aureorum numum miriades advectae ſint; atque adeo intellexerit interea arcium ſuarum Belgicarum demolitiones, quae ne irritatum exacerbatumque in ſententiam a priore diverſam abducant, ſummopere metuendum eſſe; neque defuturos in Hiſpaniis, qui haec omnia, injurias & contumeliam interpretaturi, inſtigent, & ad arma Regem impellant.

Ut enim non faciant hoc alii, tamen eos minime quieturos, qui non ita pridem his in Provinciis militiam profeſſi ſunt, quin Regi perſuadeant, cum nihil ardentius optent, quam ut ad novas huc concuſſiones & rapinas reducantur; in hoc inhiantes, ut ultra vindictam, quam in animo habent, Belgicis denuo diſcordiis & calamitatibus quaeſtum facere poſſint; cumque nemo omnium totius Belgii ſummorum & inferiorum Ordinum non exhorreat ad exacti temporis memoriam, quid deinceps ſit exſpectandum, & quid non fruſtra gemituris tolerandum; ſi illi licentiae militaris tam cupidi, Regii generis tantique nominis Duce & juſtiſſima demum, uti arbitrabuntur, cauſa, Religionem, Regiamque dignitatem contra perduelles defenſuri, tum & ſpe ingentium praemiorum, quae ex indubitata vi-

ctoria certiſſima ſibi ſpondent; imperata ditionum vaſtitate, ut caedes & odia pro arbitrio exerceant, redituri ſunt. Eſſe Regiam potentiam nulli ſecundam, Hiſpanam gentem victoriis & imperiis, & armorum ſtudio, & ſucceſſibus toti orbi formidabilem; quae nihil affectet potius, quam ut noſtra deſipientia in florentiſſimum regnum irruendi occaſiones ſeſe offerant: ſatius eſſe de ſuo aliquid largiri, & hoc ad obedientiae officium Principibus adjicere, quod metuendum, ne intolerabilius multo, & duplicate quidem ignobilibus Ducibus, ſed & gregario militi praeſtare cogamur. Ut enim videantur nunc omnes pro communi cauſa defendenda conjuncti, unanimes alacresque eſſe, infinitis tamen rationibus providos hoc animos proſpicere; ubi res ad rem devenerit, diſſenſiones & inſperatas defectiones omnia conſilia & molitiones ipſorum diſſipaturas; complurium id publicorum motuum exemplis comprobatum eſſe. Proinde modis omnibus id eſſe agendum, in quo nunc alioquin deſperata Provinciae ſalus ita ſit, quo caveatur, ne qua occaſio praedones illos, armis & opibus & novis artibus multo quam antea inſtructiores, retrahat, ſed accepta redditaque pace publicam perniciem arcendam. Quamquam etenim juſtiſſimum bellum ſibi videantur geſturi, neque hoc ita accepturos pleroſque exteros Principes, & poſt triſtiſſimas infinitasque calamitates, rerum tamen ſummam in horribili ſemper praecipitio haeſuram, cum & ab externis armis, & inteſtinis diſſenſionibus aeque ſit periculum futurum.

Haec & pleraque alia in hanc ſententiam prolixe locutus orabam denique Ordines, ne hac

mea

Digitized by Google

mea admonitione offenderentur, ut enim haec nullo verborum circuitu dilucide exponam, ſincero me erga ipſos, Remque publicam ſtudio adduci, cujus uti proſperitatem, incolumitatemque deſiderem, ita in primis ſollicitum me eſſe, ne illa, ſi bellum ingruat, confuſae adminiſtrationis malo promiſcua ruina tamque inundante pelago miſceatur, involvaturque. Me quidem ad evidentiſſimum periculum praepediendum nullum ſubterfugiſſe laborem; neque non lubenter me requirentibus & flagitantibus ipſis, toties jam meo ſumptu profectiones ſuſcepiſſe, cupere nihilominus in poſterum ab hoc onere excuſari: ſic enim me a reditu meo poſtremum Namurco, cum expetitam illam ſuae Serenitatis ſententiam adferrem, pro porta Bruxellenſi a civibus excubitoribus acceptum, ut non poſſim id non aegre ferre. Voluiſſe hos, reſignata viatoria, ſarcinulas, codicillos, & reliquas meas chartas ſeu tabulas excutere, atque ad hunc finem, veluti captivum me in proprias aedes abductum, obſervatumque fuiſſe, donec illi Lalangii & Boſſutii Comitum, tum & reliquorum Ordinum mandato juſſi ſint, me dimiſſo ad ſua redire.

Non raro id uſu venire ſolet, ut quo plus laboris & operae Reipublicae impenderis, plebejis hoc criminationibus & offenſae obnoxior ſis, quod cum mihi accidere viderem, qui nullum hactenus periculum vel ſumptum in publica cauſa recuſaſſem; & hanc mihi gratiam referri, ut propter aſſiduitatem actionis paene jam apud plebem in ſuſpicionem venirem, abſtinendum mihi deinceps cenſebam, ita quoque ſuadentibus & hortantibus Amicis, ſcripto interim operam meam quam praeclare offerens.

Aſt

Digitized by Google

Aſt cum Ordines, uti ſupra dictum eſt, jam reſponſionem ſuam confeciſſent, nullum meae excuſationi locum dantes, inſtanter me denuo rogare coeperunt, ut quandoquidem diligentia & cura mea negotium hactenus promoviſſem, ut exiſtiment in portum jam paene perventum eſſe, ne id ipſum nunc deſeram, ſed perficere velim; hujus enimvero bona quadam ſpe omnium jam animos teneri. Quia vero inſolentia illa civium offenſus graviter conquererer de accepta injuria, curaturos ſe ajebant, ut octodecim illi, quos plebs ſibi Tribunos delegiſſet, officium hoc a me requiſitum veniant, quo his negotii conſciis conſenſus publicus accedere videatur.

Ad quae ego, quamquam aegre injuriis & moleſtiis deterritus, inductus tandem, cum ex officio, tum & pro rei temporisque occaſione, petitioni ipſorum aſſenſi; ea tamen conditione, ut quum eatenus progreſſum ſit, ut jam plane decidendum videretur, & abſolvendum, quod tanti eſſet ponderis, tantique momenti, ut in eo conſtet totam Reipublicae ſalutem eſſe collocatam; ne tantum onus ſolus ſuſtinerem, alii nonnulli authoritate praediti deligantur, qui me ab invidia populari vindicent, & onus hoc mecum ſuſcipiant, una proficiſcantur, eam ſiquidem eſſe cauſam tamque gravem, ut plurium judicium & conſilia requirat. Ordines itaque confecta formula legationis 15 Septembris Brugenſem Epiſcopum & Willervalium permoverunt, ut ad tam ſalutaris negotii confectionem una proficiſcerentur. Quibus Proceribus ſuffultus & comitatus rurſum in iter lubentius me dedi, prius tamen a pleriſque, qui praecipui ex Tribunis plebis erant, publico no-

Digitized by Google

nomine enixe id Ordinum juſſu in meis aedibus a me flagitantibus.

Porro tali Ordinum reſponſo nobis tradito, cum ſimul Namurcum veniſſemus, offendimus ſuam Serenitatem valetudinis incommodo lecto detineri, ita ut tractationem excuſare fuerit coactus, quae cum per biduum differretur, facta mihi interea privatim colloquii copia ſummatim ſuae Serenitati, quae reſponſi avidior videbatur, explicabam, quid Ordinum mandato referremus, quantumque fieri potuit, variis demonſtrationibus animum ipſius ad transactionis compendium quam proxime adduxi: Sic ut poſtmodum una admiſſi, poſteaquam mandatorum ſummam & Ordinum reſponſionem ſuae Serenitati expoſuiſſemus, communicatis ſententiis, cum pluribus interim verbis utrimque disputatum eſſet, fuerit ad extremum Ordinum reſponſio certis conditionibus, ſeu explicationibus potius, recepta, & a ſua Serenitate approbata. Iis a ſua Serenitate de ſcripto traditis, & cum Brugenſi Praeſule & Willervalio communicatis, res nobis ſatis compoſita viſa fuit, quod nihil in tota ſerie inveniretur difficultatis, qua vel Ordines offendi, vel Pax impediri poſſet; unicus tantum ſcrupulus ſe prodidit, quod cum Ordines eos, qui ſuae Serenitatis partes ſecuti fuerant, ſimul omnes muneribus ſuis amoveri cupiviſſent, nimirum ne ſiniſtra aliqua ſuſpicio paci conficiendae impedimentum daret, ſua Serenitas munerum eorum facere diſtinctionem voluerit, eorum nempe, quae adminiſtrationibus publicis, aut belli negotiis, ab iis, quae in talibus functionibus nullum haberent momentum, inferens ab illis, in quibus praejudicii ſuſpicio legitimam non haberet rationem, non eſſe removen-

vendum quemcumque, neque cum Ordines ſuſpicionem ſui poſtulati fundamentum faciant, ultra ſibi concedendum, quam illa ſe extendat, ne vindictae prae ſe ferat ſpeciem talis ſine juſta cauſa injuria. Quae particula, quamquam majorem in modum urgerem, ut & hanc ſua Serenitas concedere, & in Ordinum ſententiam ire vellet, cum videretur praefato Praeſuli & Willervalio aequitate & ratione niti, & apud Ordines excuſabilis futura, pro ſuae Serenitatis voluntate admiſſa fuit, ſic ut ad ſummam tractationem nihil deſideretur; & utrarumque partium Proceres certiſſimam ſibi conciliationem & concordiam promitterent, nihilque dubitarent, quin pax ad hunc modum tranſigenda ſtabilis eſſet futura.

Ex quo cum omnes, qui praeſentes aderant, tum & ſua Serenitas ſingularem ſe percipere voluptatem manifeſte & mutua congratulatione teſtabantur; niſi quod ſua Serenitas poſt Pacem hanc, ut dixi, conceptam, cum Auraicae Principis adventum Antverpiam intellexiſſet, dubitationem & ſcrupulum mihi fatebatur ex hoc ſe concipere, allegans religionem Principis Catholicae contrariam, haereticum & averſum ipſius a Regia Majeſtate animum, fore enim neceſſario vel in primis metuendum, ne ipſo in his perſeverante duratura non ſit concordia. Satis eſſe notum, quid ille hactenus turbarum dederit, uti Hollandos & Zelandos ad rebellionem concitarit, quam Pacificationis Gandavenſis incurius fuerit obſervator. Nunc porro, ſi in meditullium provinciae ab urbibus recipiatur, fieri poſſe, ut & has ad rerum novarum molitiones impellat, & harum ſocietate violata, cum videbitur, pace, majore quam antea tumultu & procella univerſum Belgium conturbet de-

Digitized by Google

denuo & concutiat; ſe quidem optare unice, ut bene ſit provinciae, nihilque reliqui facturum ad ſummam benignitatem atque fidem, vereri tamen, ne ille complicesque quietis impatientes hac demum animorum viriumque acceſſione facta aliquid moveant; at vero ſi ipſorum culpa armorum neceſſitas incidat, metuendum inſuper, ne non facile quod movebitur quietari poſſit.

Ad haec ego, ut fluctuantem & incertum ſuae Serenitatis animum confirmarem: quod enim hactenus tot expeditionibus fortunam tentarit, id coactum potius injuriis, quam ſuopte ingenio feciſſe, qui, Principis ſui iram fugiens & latens, honore & bonis fere indicta cauſa ſpoliatus fuerit, tentaſſe illum ideo multa, dubia fortuna, dum privatis injuriis publica quoque immiſcet, & ſeſe communis injuriae vindicem profitetur; nunc vero tot excitatis exantlatisque tumultibus edoctum, quanti conſtiterit Reipublicae, bello hactenus ſeu jure ſeu injuria ſuſcepto geſtoque, Belgii membra in ſe mutuo obarmaſſe. Proinde ſuis jam provinciaeque viribus labefactatis veriſimile eſſe, & quietis beneficium avidiſſime arripiat, & praeſcriptos pacis terminos non temere tranſgrediatur, quam & ipſe deſideret, pro eo, quo eſſe debeat in populum optime de ſe meritum, affectu non ſecus, atque reliqui Ordines.

Neque dubitandum, cum & univerſis in genere, & multis privatim tot modis ſit obvinctus, quin ad pacem in publicum commodum ſtabiliendam, ſolidandamque concordiam, promiſſa pactaque, religionem Regiamque obedientiam concernentia, accurate ſit ſervaturus: ni faciat, & minus obſequenter ſe gerat, non defuturos Ordines,

nes, quo ut utiliſſimam & neceſſariam hanc Reipublicae transactionem propugnent; collatisque pariter & voluntatibus & auxiliis omnes vires expedituros, ut ad ſervanda pacta, & ad officium illum cogant. Ipſum porro Principem tam eſſe ſagacem, ut & hoc intelligat, & vel commodi ſui cauſa officio non defuturum. Ideoque non debere illam de ejus Antverpiam adventu eſſe anxiam, neque ſiniſtra praeſagire. Ideoque magis expedire, ut & ex Ordinum decreto, & cum pacto publicae fidei, accerſatur, quam ſi extra ordinem, plebis arbitrio per tumultum invehatur, eo modo omnia ſana conſilia turbaturus: Quibus argumentis aliquantulum reducto ſuae Serenitatis animo, tandem cum dictis Ordinum mecum legatis, gratioſe dimiſſus ſum, cum ea, quae modo recitata eſt, mandatorum formula, ejusque largiori declaratione, non ſine magna ſimul concepta ſpe conficiendi, quod in mandatis habebamus negotii.

Itaque, poſtquam Bruxellas rediſſemus, eodem die, quo appulimus, nunciato noſtro reditu Ordinibus, in adventum noſtrum anhelantibus, omnem actionem, praelecta in Conſeſſu declaratione illa, renuntiavimus, & audita eſt attente propoſitio, & judicata ab omnibus aequitati & rationi conſentanea, etiam hoc quod de officiis & muniis illis ſua Serenitas propoſuerat, & in futuram conſultationem rejecerat.

Cum exiſtimarent Ordines, quaeſtionem hanc difficultatemque antedictorum officiorum, utpote quae ad venationes aut delegationes adminiſtrandi per Flandriam juris, aut talium actionum pertinent, magis e privatorum ſollicitationibus natam, quam quod ipſi delecti vel voluntarie vel pla-

plane de his quidquam conſtituiſſent, cum, quantum ad publicam cauſam ſpectet, nullum vel perexiguum omnino momentum habeant! Quamvis autem Ordines frequentes tum conveniſſent, tamen ne res tanta pomeridiana ſententia abſolveretur, a multa & matura deliberatione placuit in poſterum mane differre reſolutionem; tum demum rogatis collectisque, uti fieri conſuevit, cujusque Provinciae ſententiis, ſummo ſtudio magnoque conſenſu, ſuffragiorum ita numero decernente, declararunt Ordines, pronuntiaruntque accipere ſe Pacem ea forma iisque conditionibus, quibus cum ſua Serenitate tractatum eſſet; verum & declarationi, ſeu explicationi particulis additae, ſeſe acquieſcere, actis ſimul delectis nobis pro ſedulitate & fide gratiis, quod reconciliatis animis, & pace procurata, Rempublicam a tanta ſollicitudine liberaſſemus; fuitque omnium inter ſeſe mutua congratulatio, quibus & communis Provinciae ſalus, & periculum curae erat, niſi pervicta opinionum pertinacia belli neceſſitas removeretur. Hi poſt tot diſceptationes, & fideliter & feliciter tandem rem confectam eſſe gaudebant, certa ſpe, jure, juſtitia, & toto politico ordine reſtituto, a tot malis provinciam ſublevatum iri. Quare, quamquam Hollandiae Delecti, quorum tunc vices erant in Comitiis praeſidere, contendiſſent actionis definitionem in adventum Auraicae Principis ſuſpendendam eſſe, qui jam Bruxellas adventaret, & eo ipſo die exſpectaretur, uti certiores factos ſe eſſe ajebant, litteris nocte e pago Willebroco ſcriptis, quo Princeps tum per foſſam Bruxellenſem appulerat, & quamvis tum in Conſeſſu recitatae eſſent, & Ordinibus ſeorſim conſultantibus relatae, non tamen ob id Ordinum calculos ſuſpendi debere judicatum fuit; itaque

conſultum, cui maxima pars vocibus aſſenſi ſunt, ratum fuit habitum; & ut vim obtineret, eo, quo fieri ſolet, modo, ſolemniter decretum fuit, non ſine magno, qui tum Concilio intererant, applauſu.

Eodem die appellente poſt meridiem Principe Auraico, cui plurimi Procerum, qui Comitiis intereſſe conſueverant, officii cauſa obviam proceſſerant, ideoque, quod cum Ordines definitis ſententiis concluderent, abſentes fuiſſent, quidam culpare coeperunt concluſionem illam, uti vitioſam, immaturam, nimisque praecipitatam, qua occaſione conſtitutum fuit, ut Delecti, qui de negotio Pacis, cum ſua Serenitate initae, in Ordinum prius conſeſſu renunciarant, iidem eandem actionem privatim coram Principe retractarent. Quod & factum eſt in dicti Principis aedibus, praeſentibus Lalangio & Boſſutio Comitibus, illis adjuncto Sillio a Secretis, qui, quidquid ibi deliberaretur, exciperet. Varie tum ibi de Pacis conditionibus diſceptatum fuit, tantumque alternis diſputationibus perfectum, ut tandem & Princeps in Ordinum ſententiam adduceretur; paucis admodum capitibus ſeu articulis immutatis, quibus ut ſua Serenitas aſſentiretur, effecturum me tum promittebam, & in me recipiebam, qui ob toties cum ſua Serenitate habita colloquia illius animi ſententiam ſatis exploratam haberem.

Porro cum inter diſceptandum privatorum officiorum, & munium eorum, qui ſeceſſione ab Ordinibus facta in clientelam ſuae Serenitatis ſe dederant, mentio incidiſſet, & illos, quamquam neque belli adminiſtrationem, neque Praefecturas publicas tangerent, eſſe dimovendos Sillio ex Ordinum decreto videretur, qui ea tenerent; non obſtantibus iis, quae de tranſactione memo-

rata

rata ſunt, aſſerente illo, ſane quidem conſuluiſſe Ordines, non tamen definite conſtituiſſe quidquam, me contra, plane tum decreviſſe, idem Brugenſi Epiſcopo, & Domino Willervalio aſſerentibus; hoc ea altercatione factum eſt, ut Auraicus rem velut dubiam, cum tamen certa eſſet, ad aliam Ordinum conſultationem rejiceret, addens, ſi ita, ut nos diceremus, ſe res haberet, Ordines prioris ſui decreti non futuros immemores. Interim tamen habita deliberatione ex communi eorum, qui in aedibus Principis convenerant, ſententia, ſcripto exceptus eſt a Sillio Pacis tractatus, ea formula, qua & a ſua Serenitate & ab Ordinibus ſubſignari hunc debere cenſebant, opinione nimirum ea & ſpe, quaeſtionem illam de abrogandis illis officiis non futuram impedimento, cum de hoc jam ſtatutum eſſet antea, juxta Serenitatis ſuae voluntatem. Porro cum poſtridie Auraicae Princeps in Ordinum conventum veniſſet, & de conſilii in aedibus ſuis ſumma relatum eſſet, facta omnibus Silliani ſcripti copia, controverſia iterum illa de officiis in deliberationem reducta, plane diverſum, quantum ad officia illa attinebat, tum decreverunt Ordines; nempe, ut iis omnibus, qui ſuam Serenitatem ſecuti eſſent, officia & dignitates ſine exceptione abrogarentur, aut ſaltem ejus differendam ſuſpendendamque definitionem, donec & eductae ſint e Provincia Germanorum copiae, & Arces occupatas cum Oppidis, uti pacto inter ſe convenerint, ſua Serenitas reſtituerit, ut tum demum decidatur ex ſententia, idque Mechlinienſis Senatus, quem Parlamentum vocant, cui Ordines nonnullos e Brabantiae Senatu ſupplementi loco Delectos aſſignaturi eſſent. Ad haec praeterea, quae in Foederis formula, a Sillio confecta, mutata

 erant,

erant, & quorum ego componendorum onus in me receperam, tres aliae conditiones ab Ordinibus, incertum quibus inſtigantibus, adjectae ſunt. Et prima quidem, ut Comes Buranus, Auraicae Principis filius, ex Hiſpaniis, ubi detineatur, in has Provincias intra certum tempus reductus, liber conſtituatur: Altera, ut toto in hoc tractatu Angliae Regina, velut confoederata, comprehendatur: Tertia porro, ut novitius Provinciae Senatus cum poteſtate inſtituatur ex viris generali Ordinum delectu nominandis, quorum judicio & conſiliis rogatis, coactisque ſententiis de omnibus Provinciae negotiis ſtatuatur, & ut ex his deſignetur aliquis, qui cunctis conſtitutionibus, numero ſuffragiorum factis, nota aliqua fidem faciat, alioqui nullius momenti futuris.

Quamvis ad ſedandos reſtinguendosque motus, his in Provinciis a ſubitaneo ſuae Serenitatis in Arcem Namurci receptu excitatos, & ſua Serenitas & Ordines pro ſingulari affectu ſuo, quo publicae ſalutis inſtaurationem deſiderant, ad hanc procurandam, nec ſollicitudinem, nec laborem remiſerint, non tamen hactenus ob infinita impedimenta, quod tantopere optabant, conficere potuerint, ut, belli tandem incommodis remotis, Reſpublica pacis beneficium perſentiſceret, ideo ſuam Serenitatem nomine Regiae Majeſtatis ex una, & Ordines Belgii ex altera parte, poſt difficilem & maturam deliberationem, ſtatuiſſe & conſenſiſſe, ut conditiones Pacis, quae ſequuntur, inviolatae utrimque obſerventur: In primis ut tractatus Pacificationis Gandavi factae, & Edicti Perpetui foedus, tum & Regis approbatio vigorem obtineant, & immutata permaneant, quidquid etiam in contrarium quocumque authore attentatum factumque ſit, i rrim, nullius momenti, &

& tanquam infectum perpetua oblivione ſepultum habeatur; quoque commodius firmiusque inſtauretur inter ſuae Majeſtatis ſubditos fidentia, & mutuis hactenus cladibus animisque disjuncti ſtabili pace & concordia reconcilientur; ſic ut ſuus Deo cultus, religioni Catholicae Romanae obſervantia, & Regi authoritas ſua conſtent, & Provinciae tranquillitatis priſtinae felicitas reddatur, indicta ſit utrisque partibus aeterna oblivio omnium, quae poſt hanc ultimam mutationem inciderunt, neque horum vel mentio, vel objectio, vel exprobratio fiat, ſed extra memoriam rejecta, tanquam non acciderint, uti dictum eſt, habeantur: Ut ſua Serenitas, quo promiſſi ſui munus impleat, ſine cunctatione excedat Oppido & Arce Namurcenſi, eamque reſignet in manus Froidmontii veteris Praefecti, qui neque ſubſtituet ſibi quemquam, aut Oppidi & Arcis illius cuſtodiam alteri committet inconſultis Ordinibus, aut ſine ipſorum aſſenſu: Exauthoret praeterea ſua Serenitas absque mora, & ex omnibus oppidis & civitatibus educi jubeat Germanum militem, qui deinde in tutela & fide Ordinum futuri ſunt, uti ex Foedere praeſcribetur, atque hi ſtipendia ipſis ſolvent ad 24um uſque Julii diem emerita, prout ex pacto Mechliniae facturos ſe receperunt; exceptis tamen iis, quibuscum nova conventio eſt inita poſt Bergarum ad flumen, Steenbergii, Tholeti, & aliorum oppidorum redditionem, quibus ſecundum pacta, privatim cum ipſis facta, ſolvetur: excluſis etiamnum iis, qui eo tempore, quo ſua Serenitas gubernationem ſuſcepit, exauthorati fuerunt; tum & iis, qui praeſidio tenuerunt Valencenas, Tornacum, Nivellam, Dieſthemium, Gemblacum, & reliqua ejus generis oppida; non comprehenſis quoque Cornelio

 ab

ab Enda, & qui illi militarunt, reliquisque, qui Antverpiae, Trajecti, & aliarum urbium direptionibus interfuerunt, in quos potius pro eo, ac meriti ſunt, vindicandum, animadvertendumque ſit, quique Edicti Perpetui ſeptimo capite caſtigabiles ſunt declarati, ſic tamen haec, ut partibus utrimque jus ſuum integrum maneat. Similiter ut exauthoret ſua Serenitas, tam Peditum quam Equitum, omnes copias, quas ab adventu ſuo in Provincias vel conſcripſerit, vel alioqui numeratis ſtipendiis obſtrictos in procinctu habeat; neque vel ipſe novos delectus aget, neque alios contra Provincias has & Ordines agere permittet. Imperet ad haec ſua Serenitas, ut Ordinum poteſtati reſtituantur Carolomontium, Marieburgum, Bovinium, Caſtrotaereum, & reliqua oppida occupata & detenta, ab eo tempore, quo poſterius hae diſſenſiones coeperunt; atque ita reſtituet, ut Ordinibus conſtituere, & imponere illis liceat, quos velint, Praefectos, tantumque immittere Praeſidium, quantum ad locorum eorum cuſtodiam requiri exiſtimabunt, cum ad Regis uſum, tum ad ipſorum totiusque Provinciae ſecuritatem: Ut eodem quoque tempore Ordines copias ſuas ab armis dimittant; verum tamen, ne quod periculum ipſis ſit a Germanis, & Gallis, & ob alias graves cauſas delecturos ſe ſibi, & retenturos legionem unam Peditum, & Equites mille, donec & Provinciis tranquillitas ſit reſtituta, & ab omni periculo deinceps abunde cautum; hi autem jusjurandum reddent, Pacificationes pactaque obſervaturos ſe, propugnaturosque; quos & Ordines per oppida & reliqua loca pro arbitratu, & prout expedire judicabunt, diſponent, diſtribuentque, ut miſeros homines, qui alendo milite intolerabilibus onerantur ſumtibus, & quorum magnae ſint

que-

Digitized by Google

querimoniae, reficiant, ſubleventque: Ut mandet ſua Serenitas Praefectis Provinciarum, nominatim autem Burgundiae & Luceburgi, ne recipiant, aut in ſuis Provinciis delectum haberi patiantur; neu externo militi contra ipſos proficiſcenti per ſuos fines iter aut tranſitum dent; uti viciſſim Ordines ex ſua parte, quae ad hunc effectum requiruntur, praeſtabunt, quo commercia, uti ſolent, per Provinciam libere & tuto deinceps exerceri poſſint. Ut, poſtquam ſua Serenitas Arcis & Oppidi Namurcenſis reſtitutionem, uti dictum eſt, fecerit, utrimque ab hoſtico omni conatu abſtineatur, & qui cuſtodiis retinentur, indifferenter; & ſine exceptione Leodienſi Principi, & ſimul triginta duobus ejusdem Civitatis mechanicorum, quae vocant, opificiorum praefectis aſſervandi tradentur, ut prorſus liberi fiant mox a Carolomontii, Marieburgi, Bovinii, Caſtrotaerei, & aliorum oppidorum, quae his poſtremis motibus occupata ſunt, reſtitutionem. Quantum etiam ad bona attinet, quae detenta ſunt poſt enatas has poſteriores turbas, bona fide utrimque reſtituentur; ſic tamen ut unicuique jus ſuum proſequi liceat, integrumque ſit. Quod vero ſpectat ad functiones & munia publica eorum, qui ſe voluntarie ab Ordinibus ſegregarunt, quoniam non videatur adhuc ex re, ut reſtituantur, ob incommoda, quae inde exſpectanda ſint, conſtituatur de his, concludaturque, protinus a Germanorum diſceſſu, & locorum illorum reſtitutione, ſententia ferunda a Supremo Mechlinienſi Regio Senatu, cui aliquot ex Provincialibus Conſiliariis delectu Ordinum adjungentur, prout in omnibus aliis negotiis fiet, quaecumque ſeſe offerent; interim officia & functiones, quibus illi ſummoti privatique erunt, in ſuſpenſo maneant, vel, ſi ne-



Digitized by Google

ceſſitas exiget, liceat Ordinibus nominare, & committere, qui illorum defectum ſuppleant: Quo porro pacatiora deinceps & tranquilliora ſint omnia, cum ſua Serenitas educi juſſerit Germanas reliquasque militares copias, quae Bredam, Ruremundam, Daventriam, Campodunum, aliasque civitates in his provinciis praeſidio adhuc tenent, a Magiſtratibus, Civibus pariter & Inquilinis earum, unde educentur, civitatum, antequam educatur miles, jusjurandum ſumetur, non ſe recepturos praeſidium aliud, vel militem, niſi praemonita ſua Serenitate, atque ita conſtituente & ex conſilio aſſenſuque Ordinum; ſacramento autem omnes ii ſeſe obſtringent Catholicae Romanae Religionis, & Regiae authoritatis propugnandae; Conſtituatur etiam, caveaturque, ut cives paſſim & inquilini legitimum Magiſtratui honorem deferant, ne novi motus ex infraenata licentia ſuboriantur. Idem ſtatuatur (ſi hactenus ſtatutum non eſt) in civitatibus, quibus antea praeſidia impoſita fuerunt, quantumvis educta in praeſens, idque ex praeſcripto Pacificationis & Edicti, quorum in fraudem ne quidquam fiat, caveatur.

Curam inſuper ſollicitudinemque, quam decet, adhibeant Ordines, ut inordinati tumultus, & confuſiones in poſterum evitentur, utque reducta legitima juridica piaque adminiſtratione priſtina tranquillitas & otium inſtaurentur. Quod vero ad hoc attinet, quo loco ſua Serenitas ſe contineat, dum in Provincia ſucceſſorem exſpectans, quem brevi adfuturum ſperat, moram trahet, continuo in Luceburgenſem ditionem ſeſe conferens, veluti obtulit, & conſtituiſſe ſe ſcriptis ſuis declaravit, illinc Provincias gubernet ex Senatus conſtituendi conſilio, qui eo loco morabitur, quem Ordines oportunum eſſe cenſebunt, & de negotiis omni-

Digitized by Google

omnibus decernet ex formula Pacificationis, ſententiarum & opinionum ſuffragiis numero collectis, e quo Senatu aliquis in hoc delectus conſtitutiones omnes nota aliqua confirmabit, alioquin nullum momentum habituras. Quia vero in Senatu illo pauciores ſint, quam ut tanto tot incurrentium negotiorum oneri ſufficere poſſint, Ordines quosdam nominare poſſint, qui ipſis adjungantur, ut una pariterque conſultent, concludantque, quaecumque decidenda occurrent, idque in Regis uſum, commodum, emolumentumque publicum, conjunctimque praeſtent jusjurandum ex formula Edicti Perpetui de Pacificatione promulgati. Ut ſua Serenitas apud Regem procuret, ut Provinciis de alio Praefecto provideatur, qui & Regiae ſit familiae generisque, & Ordinibus acceptus gratusque, idque quantùm fieri poterit citiſſime. Foederibus inſuper cum quibuscumque initis, pactisque poſt exortum hoc ultimum diſſidium, utrimque renuncietur. Poſteaquam etiam Rex mandarit, ut Pacificatio Gandavi facta & transacta effectum ſortiatur, ſua Serenitas det operam, ut Buranus Comes his in Provinciis & loco, quo Ordines conventum agent, intra duos menſes proximos liber conſtituatur. Ad haec quia Ordines multis ſe nominibus Britannorum Reginae obſtrictos agnoſcant, quae & vicina ſit ditione & propenſa in omnes voluntate, tum & pro eo, quo ſit erga Belgas Regemque affectu, in publicam utilitatem non gravatim opem & ſubſidia contulerit, cupere ſe, ut utrimque illa in Pacis tractatione comprehenſa, ejus commodis & beneficiis frui poſſit, ad confirmationem foederum, quae Burgundicae domui, cum reliquis illius Principibus, a multis retro annis inita, & multoties renovata fuerunt.



Digitized by Google

His ita confectis, ſi ad memoratorum Capitum & receptae Pacificationis, & eorum, quae ex hac dependent, exſecutionem difficultas aliqua ſeſe offeret, aut poſtquam occupatae Arces & Civitates re ipſa, & ipſo effectu reſtitutae erunt, indefinitum quidquam manebit, ſua Serenitas & Ordines delectos utrimque deſignabunt, qui, quidquid componendum ſupererit, tranſigant, & plane pleneque de negotiis decidant. Porro ut omnia ea, quae recitata ſunt, fiant & conficiantur ex Regia & univerſalis Praefecti ſui authoritate, interveniente arbitrio, & Generalium Ordinum aſſenſu: Demum ut Pacificatio ea, recepto utrimque ſolenni, per Euangeliorum religionem atteſtatam, juramento confirmetur, & efficiat ſua Serenitas, ut & Rex hanc ſe ratam habere intra tres menſes proximos declaret.

Quae quidem, ea forma confecta Bruxellis 25. Septembris anni LXXVII ſuper milleſimum quingenteſimum, Brugenſi Epiſcopo, & Willervalio, ad ſuam Serenitatem deferenda, tradita fuere, mecum quoque communicanda, cui negotii inſuper ſummam potiſſimum diligenter commodabant, & conditiones has ſeu Pacis leges ſuam Serenitatem approbare, & ſigillo ſuo confirmare volebant. Addita praeterea in mandatis gratiarum actione, quod ſuae Serenitati ad Ordinum conſenſum tam proxime accedere placuiſſet, quo rebus pacatis, ſublatisque ſimultatibus, publica tranquillitas reducatur, inde futurum, ut perſpecta actionum ſuarum ſinceritate, quantopere id ipſum & antea ſemper & nunc quoque unice deſiderent, clarius cognoſcat, nihil impedire proinde, quo minus de Pace, omnibus rejectis dilationibus, plane decernat ſtatuatque. Quia vero Ordines verebantur, ne poſtulatum de Burano libertati reſtituen-

do

Digitized by Google

do difficultatem negotio adferret, quandoquidem ſua Serenitas, ut id faciat, non eſſe ſuae poteſtatis jam antea declaraſſet, annuente Principe Auraico injunctum eſt Legatis, ut, ſola promiſſione ſuae diligentiae contenti, hanc conditionem acrius urgere deſiſterent, ne haec Pacificationi impedimentum daret. Quare in hanc occaſionem bina confecta fuere ſcripta, quorum alterum Burani negotii mentionem faceret, alterum non; juſſi ſunt praeterea, recepto a ſua Serenitate juramento, Ordinum viciſſim nomine, uſitatis cerimoniis, & ſolemnitatibus adhibitis, conditiones has decretaque Pacificationis rata facere. Id autem praecipue maturarent, quoad conciliationis pacta exſequenda ſpecimen exhibeatur, ut Namurcenſis Arx Froidmontio praefecto extemplo tradatur, cui Ordines cuſtodiam hujus denuo commiſiſſent, aſſignato L aut LX fidiſſimorum militum praeſidio, ut praeterea ſua Serenitas, datis litteris, Germanorum copias Daventria, Campoduno, Ruremunda, & ex aliis, quas adhuc inſeſſas tenent, civitatibus continuo diſcedere jubeat. Ac tandem coram Deo & ſua Serenitate proteſtentur, niſi ſua Serenitas Pacis has conditiones admittat, ſique in eum caſum res devenerit, ut bello ſit decernendum, malorum omnium, quibus & Regia per has Provincias authoritas, & Religio, & quaecumque adhuc ſupereſt Reipublicae politice conſtitutae forma ſtatusque peſſumdentur, culpam penes ipſum futuram denunciet.

His itaque cum mandatis quum Brugenſis Praeſul & Willervalius profectionem adornantes me adirent, & Collegam ſibi cuperent, iis primum libere & aperte declaravi, utpote qui ſuae Serenitatis animum propoſitumque hac in parte perſpectum haberem, irritam futuram hanc ipſorum legationem pro-

pter

pter novas, praeter Capitum aliquot mutationem, actioni jam antea deliberatae adjectas conditiones, conſilium dans, ante diſceſſum id ipſum Ordinibus demonſtrent, ut, ſi Pacem deſiderent, leges illas noviter additas tolli jubeant: Neque enim, ut id fiat in negotio jam confecto, aequum videri, inſolitum & indecorum eſſe, & ſuam Serenitatem merito offenſam fore. Sed ii nullis rationibus adduci potuerunt, ut, quod jam ſtatutum fuerat, immutare vellent, fortaſſis ſtudio impedito eam ob cauſam Ordinum conventu. Porro cum ego idem ex Primoribus Ordinum quibusdam perſuadere cupivi, nihil amplius ab iis tuli, eo nomine ſibi blandientibus, ſi ſuae Serenitati conficiendae vel admittendae Pacis foret animus, non eſſe hanc rejecturam ob novas Conditiones illas tantilli, ut ipſi judicabant, momenti, atque ita, me quidem reclamante, ſcriptum illud & decretum Brugenſi Epiſcopo & Willervalio ſuae Serenitati exhibendum commiſſum eſt, quibus ego quamvis Collega adſcriptus me comitem, partim per offenſionem, partim per valetudinem, excuſavi, infelicem ſucceſſum praeſagiens, ipſisque abeuntibus praedicens. Neque me fefellit ominis judicium; ſua enim Serenitas, intellectis Ordinum propoſitionibus, indignationem concepit, &, datis quarto nonas Octobris litteris, de iniquis ipſorum poſtulatis graviter eſt conqueſtus, declarans ex his ſibi ſatis & evidenter conſtare, loco conſervandae Catholicae Religionis Regiaeque authoritatis, quae toties tamque affirmanter praedicent jactitentque, captari ab ipſis occaſiones utrumque ſubvertendi; huc enim ipſos accedere, ut ſentire videantur, Regi in his ſuis Provinciis nihil, praeter titulum & inane Principis nomen, omni praeterea authoritate exuto nudatoque, concedendum, praeſertim per inſtitutio-

tionem novi Concilii, cujus arbitrio Provincias, ſententiis & decretis ſuffragiorum numero praevalentibus, gubernari velint: Quod etiam Auraicae Principem, ejusmodi propoſitionis authorem, in ſuam ſocietatem adſciverint, Regem id quidem aegerrime laturum; cujus ille tanto jam tempore, ſed & religionis ſuae ex profeſſo capitalis ſit hoſtis. Accedere ad haec Arcium injuſſu ſuo & praeter ſuam voluntatem demolitiones, aliaque infinita, quae minime fieri decebat, & quae tantae potentiae Principes, qualis Rex ſit, neque facile tolerare, neque relinquere impunita ſoleant, ideoque de his ad ipſum ſcribere conſtituiſſe, cum ut haec reſciſcat, plurimum ipſius interſit; ſe interea, cum aperte conſideret, quam minima ipſis dignitatis ſuae ratio ſit, quin imo cum manifeſte oſtendant, quam ſint ad rebellionem proclives, dum hoſtiliter quotidie contra ſe agere non ceſſent, Luceburgum e veſtigio cogitaſſe, quo commodius inde & ſecurius, quae gubernationem ſuam concernunt, pro eo, quod ſibi injunctum ſit, munere procuret, atque ampliora ſuae Majeſtatis mandata opperiatur; ipſi interim obedientiam praeſtent, & quae ex officio facere teneantur, meminerint, hoc Regem, quem legitimum habeant, a Deo conſtitutum, & hereditario jure Principem, ab ipſis requirere, qui ut contrarium attentarent, nullam unquam occaſionem dederit, ſed multis magnisque, uti nemini incognitum ſit, vel eſſe debeat, beneficiis ipſos ſit proſecutus, quo nomine obſtricti ſint, omnem illi fidem & obedientiam viciſſim exhibere; ita tandem, quod non ſine ſuſpirio proferendum, fractaque diſſolutaque Pace bellum manifeſte denunciatum eſt. Neque defuere ex praecipuis Ordinum Proceribus, qui iis litteris non leviter perculſi

culſi perturbatique conſiderarent, irritato hac ratione ſuae Serenitatis animo, quo tandem res evaſura eſſet, quare remedium adhibere, & facta reſponſione ſuperioris ſcripti offenſam corrigere ſatagebant; aſſeverare autem ſcripto ſuo tentabant, Pacis ſe quidem legibus cum ſua Serenitate pactis ſtare velle, quamvis ulterius aliquid cupiiſſent in iis; ſi quid porro immutatum eſſet, non accipiendum, tanquam conditionem aliquam novam ſtatuere ipſi voluerint, tantum fuiſſe factam demonſtrationem, quid Reipublicae ipſis expediturum videretur, cujus diligentia ſi forte importuna fuiſſet, vel ea peccatum eſſet, offenſionem ſe deprecari, illud enim ipſorum fuiſſe & manere inſtituti, ne Pax compoſita rumpatur, neve ipſis turbatae Reipublicae ſtudium merito quisquam tribuere poſſit, ſe cum ſua Serenitate ejusdem eſſe voluntatis, ut igitur ad ipſos ſe adjungat, vehementer orare.

Id ego cum animadvertens, agnitumque a multis errorem commiſſum cernens, ſollicitos, qua ratione offenſionem delinire poſſent, diligentius ſollicitavi, & quum hactenus toti tractationi pars non minima interfuiſſem, fidem apud plerosque nactus perſuadere coepi, & epiſtola in eam ſententiam compoſita ad ſuam Serenitatem mitteretur, cui deferendae, quamquam rebus paene jam deſperatis, operam meam non gravatim offerebam, quin imo & componendae epiſtolae uti ſuaſorem, ſic & adjutorem me exhibui.

Interea dum haec fiunt, ſua Serenitas ad Ordines decima quarta Octobris rurſum in hunc ſenſum Luceburgo ſcribit: Etiamſi ad ipſos attinebat de communi ſalute ſollicitos, omnem movere lapidem, quo diſſidium hoc & controverſa Pax componeretur, quum clariſſime conſtet cau-

ſa

ſa ipſos eſſe deteriores, & Regiae potentiae diu reſiſtere non poſſe, ut, ne quis tamen in ſe lenitudinem pietatemque erga ipſos deſideret, & palam ſit omnibus, ſe nihil minus quam diſcordiam & bellum affectaſſe, etiam nunc hoc ſcripto teſtificari ſe voluiſſe denuo & Regiam voluntatem declarare. Aequum eſſe, ut memores ſint, quoties tam coram, quam abſens, per litteras demonſtrarit a foedere illo ſecum initae Pacificationis non ſe receſſurum, utpote cui jurejurando aſtrictus ſit, quod & ipſe poſtea Rex, adhortante ſe, confirmarit, tum & quantis laboribus diſſenſiones, offenſionesque omnes, quae interciderunt, componere conatus ſit, licet huc usque parum admodum profecerit, quantumvis oblatis acceptisque conditionibus, quae plurimum derogarent authoritati, dignitatique, quae Principibus convenit, eo in gradu atque ſplendore, quo Rex eſt, conſtitutis, idque ſolo deſiderio, quo teneatur, Pacis, & commiſeratione erga miſerum populum, & ut occaſione armorum ſublata ſanguinis profuſionem caveret, ſpe quadam hoc modo ſatisfieri ipſis poſſe, fruſtra tamen omnia, ſubnatis interim pernicioſiſſimis mutationibus, cum & nunc ſcripta ipſorum tam nova tamque inſolentia poſtulata complectantur; quae quidem cauſa fuerit, cum nullam conſpiciat rationem aut viam componendi negotii, cur illuc ſe receperit, quemadmodum facturum ſe ſecunda hujus menſis ad ipſos ſcripſerit, donec de Regis voluntate cognoſceret, de qua cum nunc certior ſit factus litteris illius 25 Septembris Madritio datis, noluiſſe ſe diutius hanc ipſos latere: eam porro eſſe, ut inviolabile per omnia conſervetur Edictum Pacificationis; Religio Romana Catholica in integrum reſtituatur; Regi debita obedientia praeſtetur, quam

per

per ipſos graviter laeſam perſenſerit; abſolutum penes ipſum ſit imperium, quale fuit ſemper, & Pacificatione denuo facta arrogatum confirmatur; arma, quae injuſſu illius ſumpta, ponantur; apud illum belli gerendi ſolum authoritas & arbitrium ſit; illius etiam ſolius ſit, beneficiariis, clientibus ſuis & ſubditis, Ducibus & militaribus copiis intra ditionis ſuae fines imperare, ut ablegentur, & a ſocietate ipſorum amoveantur.

Auraicae Princeps, ipſius complices, fautores, & omnis clientela, quos evidenter cognoſcant hoſtes eſſe, & perturbatores religionis, ſimul & quietis publicae, cum hic Pacificationem Edicti per Provincias ſuas publicari nunquam ſit paſſus, multaque alia in fraudem Foederis Gandavici attentarit, quae ut antequam in eorum conſortium admittatur, omnia inſtauret, aequum eſſe, ut iis, qui dignitates & praefecturas conſecuti ſunt, aut alia munia publica obeunt, non comprehenſi in ſupra memorata Pacificatione, honores & magiſtratus abrogentur, inque ordinem redigantur; ut ſoli Regi officia diſtribuendi ſit poteſtas; ut populus, plebejique exercitationem armorum omittant, artem vero ſuam quisque exerceat; ut captivis libertati reſtitutis nihil deinceps hoſtile fiat, & domum quisque ſuam ſeſe referat, donec generalis Ordinum conventus indicatur, quo publicae quietis, juſtitiae adminiſtrandae, & politici ordinis decreta formentur, ſic ut neque detrahatur Regiae obedientiae, quae illi, tum & Magiſtratui legitime ab illo conſtituto, debetur. Quas conditiones ſi ratas habebunt, a Rege viciſcim, qui clementiſſimus ſit, omnem benevolentiam exſpectari jubet; ſe quoque copias, quas in ſubſidium ſuum ad aſſerendam cum religionem, tum authoritatem ſuam accerſierit, ad ſua remiſſurum.

Cum-

Digitized by Google

Cumque nullam conditionem ipſis proponat, quae non juſta ſit, & aequitabilis, aut quae cum dicta Pacificatione diſſentiat, cuique nemo, qui Catholicam fidem profiteatur, & fidelem ſubditum praeſtare contendat, refragari poſſit, exiſtimare ſe, neque ipſos gravatim has admiſſuros. Cupere autem, ut ſine dilatione ad ea reſpondeant, alioquin, niſi pareant & morem gerere detrectent, capiendum ſibi conſilium, & ex mandato Regio iis remediis, quae Deus illi conceſſerit, neceſſario ſibi utendum fore, ad duo illa ſupra dicta Pacis capita aſſerenda; ut enim neutrum violetur, decreviſſe Regem totis viribus cavere. Proteſtatur deinde omnium calamitatum, quae immineant, apud Ordines cauſam culpamque futuram, quas Deus, Rex, & afflictiſſimus populus ab ipſis ſint repoſcituri; dum temerarie adeo Religionis & Principis ſui authoritatem convellentes, repudiatisque, quas ipſis offert, tam honeſtis conditionibus, in quibus magis ipſorum utilitatis & commodi, quam ſuae dignitatis habuerit rationem, a Reipublicae perturbatione ad officium nihilo ſecius adduci non poſſint.

Quae ſuae Serenitatis litterae & propoſitiones, quas de ſententia & voluntate ſe Regis praetendere ajebat, cum plurimorum ſtomacho non ſatisfacerent, habitae ſunt & judicatae, tanquam ad alium nullum finem tendentes, quam ut bellum Auraicae Principi moveretur, eo conſilio ſtudioque, ut commiſſae denuo inter ſe Provinciae, & mutuis vulneribus debilitatae confectaeque, facilius tandem ſub intentatum pridem jugum redigerentur. Itaque dominantibus his opinionibus ad armorum utrimque apparatum ventum eſt, & furoris iſtius perniciosiſſimi incendia per univerſum Belgium celeriter

H diſper-

Digitized by Google

diſperſa) factionum partiumque acerrimis contentionibus, violenter & miſerabiliter exaeſtuant, quae eventura jam tunc ego proſpiciens, quantum quamque luctuoſum provinciis impenderet diſcrimen, clare & manifeſte Ordinibus oſtendi praedixique, & perfacile eſt inpraeſentiarum adhuc praeſagire majorem in dies calamitatem, ſed & intolerabilem futuram, cum ad has occaſiones data ſit porta immaniſſimis ſeditionibus, perfidioſis defectionibus, impiis conſpirationibus & ſceleratis conſiliis, quae ad funeſtum & miſerrimum florentiſſimae quondam Reipublicae noſtrae interitum ſpectant; exitiali namque hac diſcordia longi temporis bella, & rerum mutationes promiſcua omnium ordinum confuſione trahi, niſi Pacem, unicum ſalutis remedium, reconciliato Rege, qui ſolus aſyliae jus ad ſe confugientibus largiri poteſt, amplectamur. Deus, qui temporum gentiumque ſtatus mutationesque, quoniam ſolis humanis viribus aut conſiliis gubernari non poſſunt, divina ſua providentia regit & conſtituit, cujus ab arbitrio regnorum incrementa & exitia pendent, ſuppliciter orandus nobis eſt, ut benigne nos reſpicere dignetur, & horribilem, quae impendet, mutationem, barbaricamque, quam nobis bellum, ſi continuat, minitatur, provinciae vaſtitatem avertens, nimium jam diu funeſtis tumultibus & aerumnis attritas concusſasque res noſtras protectionis ſuae ope refloreſcere faciat; quod nequaquam petentibus denegaturus eſt, ſi averſi a vitiis & rerum novarum ſtudiis, ſincerum ipſi cultum, & abs ſe conſtitutis poteſtatibus legitimam obedientiam deferamus.

F I N I S.

Digitized by Google

# CASPARIS SCHETI

BARONIS IN WESEMALE,
GROBENDONCI TOPAR-
CHAE, &c. &c.

# DIALOGUS
# DE PACE.

*Explicans rationes, quibus Belgici tumultus, inter Philippum, Hiſpaniae Regem, & Belgas componi potuiſſent.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRINCIPIBUS VIRIS OMNIBUS,

## CETERISQUE VERAE PACIS AMANTIBUS

## S.

*Toto terrarum orbe, ni fallimur, cogniti ſunt, pluribus ex rebus admirabiles Belgici tumultus. Civilibus enim, & continuis, multorum annorum bellis, tum vero graviſſimis calamitatibus, quae illa conſecutae ſunt, & varie populos adflixerunt, & nunc adfligunt acriter, illuſtre nomen procul dubio quaeſiverunt. Quod ſi quis tot tantorumque tumultuum cauſas, origines, initia, progreſſus, paulo curioſius excuſſerit, & remedia, quae ſunt iis ſedandis adhibita, reperiet ſane, multa divinitus, in poenam noſtra tamen culpa contigiſſe: in nonnullis etiam hominum prudentiam fato fuiſſe ſuperatam. Religionem certe, leges, & arma, male adminiſtrata, occaſionem, neque levem, praebuiſſe, non ſemel; ut ex minimis ſcintillis maximae flammae conſurgerent. Cum igitur tantas ſtrages attulerint hi motus, praeclare Invictiſſimus Rodolphus Imperator, qui quatuor primoribus Imperii Romani Principibus, Illuſtrique Comiti Schwartzembergio, in mandatis dedit, ut eos tumultus, inter Sereniſſimum Hiſpaniae Regem, & Belgas ſubditos, inter quos orti ſunt, componerent quaque decet. Quamobrem, una in eam rem, Coloniae in Ubiis illi, & ad illos ejus potentiſſimi Regis, & Ordinum Belgicorum Legati, convenerunt. Itaque, nonnulli eo omne ſtudium contulere: ut rationes oſtenderent, quibus concordia conciliaretur. Nam, quemadmodum in ſumma tempeſtate, qui ſunt in eadem navi, ii, qua licet, peri-*



Digitized by Google

*perichtanti ſuccurrunt: ita, omnes ad incendium reſtinguendum adcurrunt. Etſi autem ad hanc ciendam concordiam, multa utrinque fuere diſputata, & actitata, nihil tamen, propter nimiam utrinque diffidentiam, perfici potuit. Inter caeteros vero, excellens quidam Vir, quod pietate, prudentia, doctrina, & ſumma ſane animi moderatione praeſtare creditur, juſſus eſt & aliquid ipſe in eo genere, ſaltem Reipublicae cauſa, commentari. Quo igitur hic Vir, Proceribus illis, quorum intereſt, partibusque ſatisfaceret, ſe ille toti Chriſtiano Orbi gratum eſſe facturum arbitratus eſt: ſi, ſepoſitis omnibus adfectionibus; nulli omnino factioni, ſed aequitati tantum, addictus; amicorum illorum Procerumque juſſis, obſequeretur, atque unum Deum ob oculos habens, libere, quantaque cum modeſtia valeret, ea Dialogo complecteretur omnia; quae exiſtimaret, ad eas ineundas pacis rationes, praeſertim hoc rerum ſtatu, plane conducere. Hunc Dialogum, quia ex eorum auctoritate, qui primas tenent, & juſtam neceſſariamque pacem optant; animoque Chriſtiano, ac docte & prudenter, ſcriptus eſt, longeque plurima continet, quibus Pax illa apud aequos judices poſſit promoveri; tanquam utiliſſimum Reipublicae Belgicae conſtituendae futurum, Nos qui auctores ſumus, ut conficeretur, edi, licet Auctore inſcio, & cum omnibus Pacis amantibus communicari, mandavimus, quo nimirum ejus rationes, ab his potiſſimum, quibus conciliandae hujus Pacis negotium eſt commiſſum, diligenter expendantur; ne videlicet: ſi eum non evulgaſſemus: lucernam iſtam, tot his tollendis periculoſiſſimis diſſidiis, bellis, & controverſiis, adcenſam, ſub modio, quemadmodum Chriſtus ait, invide, vel inique poſuiſſe videremur. Valete, Kalen. Septembris.* CIↃ. IↃ. LXXIX.

CASPA-

# CASPARIS SCHETI DIALOGUS DE PACE.

DUX. Accepi hiſce diebus, clementiſſime Rex, quoddam de Pace hac Belgica conſtituenda eruditi cujusdam Viri judicium, & quia non inanibus mihi viſum eſt inniti rationibus, idem etiam approbare ſum coactus: hanc porro ſententiam veluti jam meam in praeſentia Majeſtati tuae expoſiturus, perſuaſiſſimum mihi primo eſſe profiteor, neque ardentiſſimum tuum in Catholicam religionem zelum, neque injuriarum, quas a ſubditis tuis, ſive rebellibus ſive haereticis, accepiſti, memoriam, neque tuendae tuae dignitatis atque exiſtimationis, apud praeſentes & poſteros, juſtam, debitam, & neceſſariam curam, tantum in animo tuo unquam valitura, ut ipſe quoque ſententiam illam, quamvis plus aequo Belgis tribuere videatur, non ſis probaturus; ſi modo recta ratio apud te vicerit, eam vel propter ſe, vel propter miſeram temporum neceſſitatem eſſe probandam. Dubium enim non eſt, & Tuae Majeſtati non ignotum, & hos quos memoravi nunc, & alios quosvis affectus, quomodocunque a recta ratione damnentur, tanquam peſſimos jam futuros conſultores omnino abjiciendos, atque a conſiliis & deliberationibus noſtris penitus eſſe removendos. Nam zelus, qui ſecundum ſcientiam non eſt, in gravia crimina & calamitates conjicere nos poteſt; quod accidiſſe videmus Apoſtolo Paulo, Judaeis & aliis infidelibus, qui, eo accenſi, Dei Eccleſiam

olim crudeliſſime perſecuti ſunt. Injuriarum porro memoria; ſive, quod idem eſt, ulciſcendi ac puniendi cupiditas, vix etiam cum honeſtam & a ratione probatam ſequitur cauſam, juſtitiam operari poteſt: ubi vero limites transgreditur, omnis profecto injuſtitiae & crudelitatis ſolet eſſe inſtrumentum. Poſtremo illa ipſa dignitatis, nominis, ac famae noſtrae tuendae cura, tunc demum honeſta & juſta haberi debet, cum ſolliciti ſumus, quid de nobis prudentes, ſancti, & pii viri, & quid etiam ipſe Deus Opt. Max. & qui illi adſunt beati Spiritus, de nobis ſenſuri ſunt. Cum vero imperitorum quorumdam, & veram magnanimitatis rationem non intelligentium, atque ambitioni & inconſiderato ſuo zelo, atque aliis affectibus nimis indulgentium judicium metuimus, levitatem primo noſtram & imprudentiam in eo prodimus, & per ejusmodi metum ea committimus, quae apud ſanctos illos judices, quos ſolos nos revereri oportet, infamiam nobis parere ſolent, atque ideo absque peccato committi non poſſunt. Cum igitur Majeſtati tuae perſuaſum eſſe credam, dignitatem & exiſtimationem tuam apud Deum, & ſanctos illos judices, longe fore illuſtriorem; ſi ſuperatis quibuscunque tuis affectibus, qui te in contrariam partem impellere poſſent; id tantum ſequaris, quod per rectam rationem Deus ipſe hoc tempore a te exigit: & ipſe, ut dixi, intelligo meas ſolum in hoc conſilio eſſe partes, ut illud a te vera hac ratione debere probari, tibi demonſtrem. Hanc itaque veram animi magnitudinem ad hanc cauſam afferre paratus, quo majore nos aequitate audias, & placabiliorem erga miſerrimas has tuas ditiones animum induas: cogitare praeterea debes (quod certe juſtitiae & man-

Digitized by Google

manſuetudini tuae fuerit valde conſentaneum) multa a Ducibus, Praefectis, & Militibus tuis, hisce undecim annis, contra ſubditos tuos, avare, inſolenter, & crudeliter geſta, quae culpam eorum extenuare poſſunt: nonnulla tibi a tuis conſilia ſuggeſta, quae ejusmodi incendia augere potius quam opprimere ſolent. Ac tam vehementes denique omni humano generi inditos eſſe pro libertate, ac religione ſua, qualiscunque illa ſit, conſervanda, affectus; ut moderati & ſancti Principes in ea ſuorum peccata, quae ex tam naturalibus affectibus oriuntur, tanquam ab inexpugnabili prope, absque ſingulari Dei auxilio, cauſa profecta (praeſertim ſi toti fere ſint Reipubl. communia) mitius animadvertere conſueverint. Nihil enim videtur omne genus inter homines diſſidiorum magis retinere, nihil omnem ad diſſidentium reconciliationem aditum magis impedire, quam quod ob Philautiae, quo omnes laboramus, vitium, adverſariorum noſtrorum cauſam per omnia eſſe injuſtam, atque omnia in ea proſequenda conſilia ipſorum, turpia, injuſta, & nefaria eſſe nobis perſuademus: noſtram vero cauſam omni ex parte juſtam, noſtraque conſilia ab omni injuſtitia alieniſſima ſemper eſſe judicamus. Quod ſi tui viciſſim ſubditi ante oculos non habuerint, quae ab ipſis contra omne fas & jus, contra eam, quam tibi debent fidem & obedientiam, & contra tuorum ipſorum ac patriae, cujus libertatis ſe defenſores profitentur, utilitatem, vel policiter & contumaciter, atque aliquando furibunde geſta, vel flagitioſa ſocordia atque ignavia tolerata ac diſſimulata ſunt, atque ideo ne propter haec quoque aequiores a te conditiones impetrari patiantur: tua nihilominus Majeſtas,



Digitized by Google

jeſtas, tam in pace ipſis ob eas, quas afferemus, cauſas concedendas, quam in hac, cujus nunc memini, aequitate, longe ipſis major ac ſanctior apparebit.

REX. Et recte & pie mones; ac proinde ſemotis, quantum mihi per Dei gratiam concedetur, omnibus affectibus, vel quia id gratum tibi eſſe video, miſericordiae potius quam ſeveritatis, quantum cauſa ipſa patitur, affectus aſſumens, ſententiam hac in parte tuam & cauſas ejus audire conabor.

DUX. Principio igitur ſatis conſtat, duo vel ſola vel potiſſima eſſe, de quibus & Majeſtati tuae, & his, qui Coloniae ſunt, Principibus deliberandum eſſe videtur. Alterum eſt: quam pacem, ſive quantam in Religione libertatem (quoniam aliquam & eam, proh dolor, juſto majorem haec miſera tempora a nobis exigunt) Belgis nunc concedere debeas. Alterum: quaenam commodiſſimae judicandae ſint rationes, quibus & tibi & Belgis caveri poſſit, ut & ipſi conſtitutam pacem, per Majeſtatem tuam ſalvam & inviolatam permanſuram confidant; & tu viciſſim fidere poſſis, ipſos quoque nihil adverſus eam in poſterum molituros. Quod ad Religionem igitur attinet, primo tanquam futurae conſultationis fundamentum ſubjicimus, ac pro certo praeſupponimus, Majeſtatem tuam eſſe paratam, eam Belgicis provinciis permittere in Religione libertatem, quam Gandenſis Pacificationis formula complectitur; omni quippe dubitatione caret, nullo modo eſſe ſperandum, ut vel Hollandi ac Zelandi, publicas ſuas conciones, & ſacra ſibi eripi & abrogari, patiantur: vel Lutherani & Calviniani in aliis provinciis, ea, qua nunc utuntur, care-

Digitized by Google

carere velint conſcientiarum ſuarum, ut vocant, libertate. Nam quo pacto tandem id nunc impetraturos ſperemus, quod, tot Civitatibus & Arcibus ante biennium in tua, nunc in hoſtium poteſtate exiſtentibus, non potuit ab Ordinibus ulla ratione extorqueri? Etſi autem Principes iſti intelligunt; juxta imperii leges, neque ſubditis ullis publicum permitti debere alicujus religionis exercitium, praeterquam ejus, quae legitimo ipſorum Principi vel Magiſtratui probetur; neque aliam ullam in Germania tolerari religionem praeter Catholicam & Auguſtanam: non ideo tamen illis ſe legibus prohiberi putant, quo minus hanc inter Majeſtatem tuam, & ſubditos tuos, plus quam legibus illis permittitur, exigentes, pacem aliis rationibus componant. Nam & illae ipſae Imperii ſub invictiſſimis Imperatoribus Patre, & Patruo tuo, de Proteſtantibus per Germaniam conſtitutiones, veteribus ipſius Imperii atque omnium Chriſtianorum legibus palam adverſabantur. Et tamen nemo unquam exſtitit, qui Chriſtianiſſimos Imperatores & Catholicos Imperii Ordines, vel conſcientiam ſuam vulneraſſe, vel Deum offendiſſe arguerit, quod poſtulantibus talem indulgentiam temporibus cedendum ſibi eſſe duxerint. Praeterea ne hoc quoque hi Principes ignorant; ſe neque a Calvinianis, qui in Belgio ſunt, neque ab iis, qui foedus cum ipſis inierunt, Catholicis, veluti judices quosdam electos, qui ſententiam ferre debeant, juſtene an ſecus aliquid ſibi Belgae licere putent, quod illis repugnet conſtitutionibus; ſed ut arbitratores tantum vel interceſſores appellatos, qui auditis Majeſtatis Tuae & Ordinum poſtulatis, talem inveniant atque utrisque proponant pacis rationem, quae funeſta haec arma aliquando



Digitized by Google

do e noſtris & illorum manibus excutere valeant. Nam licet & Calviniani, & Catholici cum ipſis conjuncti, ob ea, quae ſibi fingunt, juſtam ſe arbitrantur habere cauſam: attamen neque Calviniani dubitant & Religionem ſuam, & bellum ejus gratia ſuſceptum, ab his Principibus damnari; neque Catholici ignorant, ſuam cum haereticis conjunctionem, & a Catholico ſuo Principe defectionem, ab iisdem etiam improbari. Cum autem & hoc praeterea Calviniani & Catholici ſciant, ſe fruſtra ſumpturos operam, ſi cauſam hac in parte ſuam his Principibus probare vellent; ſimul etiam profitentur, ſe eos non agnoſcere hujus controverſiae vel facti judices: ſed ob id ſolum adeundos duxiſſe, ut quibus tandem rationibus Pax haec quam commodiſſime confici poſſit, ex ipſis cognoſcant. Si tales igitur rationes per eos adduci poterunt, ut ipſi quoque eas probandas cenſeant, immenſas, ſicuti credimus, & immortales ipſis, tanquam divinitus ad ſalutem ipſorum miſſis angelis, habituri ſunt gratias, qui legitimo ſuo Principi eos reconciliarint, & propulſatis tandem extra fines ſuos funeſtiſſimis hujus belli furiis, laetiſſimam afflictiſſimis populis pacem Dei beneficio reſtituerint. Quod ſi plus a ſe exigi intelligent, quam ipſi, corruptum ſuum judicium ſequentes, admittendum putant, acturos nihilominus iisdem Principibus propter laborem hunc tam ſancto propoſito ſuſceptum gratias, veriſimile eſt; atque ab ipſis poſtulaturos, ut cum bona ipſorum gratia in patriam rebus infectis redire eis liceat: quoniam res eorum non ferant, ut propoſitas ab ipſis conditiones aliquo modo recipiant. Hoc itaque modo animatis Belgarum Legatis, quod ad Principes ipſos attinet, eo certe illi ani-

mo

Digitized by Google

mo tam moleſtam & difficilem provinciam ſuſcipere non potuerunt, ut eas Belgis imponere leges decernerent, quae ut ab eis recipiantur, ipſimet non dubitant omnino eſſe impoſſibile. Atqui, neminem hoc tempore eſſe arbitramur, rerum Belgicarum tam rudem, qui non plane judicet eſſe impoſſibile, ut a Belgis impetretur, vel publica Calvinianae religionis exercitia in Hollandia & Zelandia aboleri; vel ullam ſimpliciter minorem nunc decerni in Belgio libertatem, ea, quae ipſis, cum tot Arces & Civitates in noſtra poteſtate eſſent, fuit ante biennium conceſſa. Ob haec igitur mihi perſuadeo; Principes ipſos Gandenſem illam concordiam, veluti fundamentum quoddam conſultationi, ac pacificationi ſuae ſtatuiſſe ſubſternere, atque officii ſui tantum eſſe exiſtimare, auditis noſtris & adverſariorum poſtulatis, exortos poſt Pacem illam tumultus aequis & validis conditionibus, Deo bene fortunante, feliciter ſopiri. Quod ſi Pacem quoque illam ab ipſis convelli poſtulamus; injuriam, ni fallor, ſibi fieri crederent; qui vel tam imprudentes habeantur, ut hoc impetrari poſſe confidant; vel ea, quae ipſos decet, ſinceritate minime praediti credantur, qui Pacis gratia hunc a ſe laborem ſuſcipi prae ſe ferentes, alium revera ſuum fuiſſe ſcopum, rebus ipſis oſtenderent. Nullo ergo modo in ſapientiam tuam cadere credimus; & Imperatorem tanta diligentia a te ſollicitatum, & tanto ſtudio ab his, qui hic ſunt, Principibus poſtulatum, ut hanc tam neceſſariam Pacem conciliandi curam ſuſcipere non gravarentur; atque hunc denique, in quo nunc verſamur, Conventum, tantis ſumptibus & laboribus celebrari juſſum; cum animum haberes, eam nobis praeſcribere Pacis formulam, qua

qua tantum audita, adverſarii ſe deriſos eſſe dicturi ſunt, ac quam primum, niſi aliam ſibi proponi intelligant, domum redituri. Quamobrem & ipſam Imperatoriam Majeſtatem, & Principes iſtos graviter eos accuſaturos veriſimile eſt; qui talis conſilii (quod Majeſtatem tuam ſecutam eſſe ſummopere admirentur) non veriti ſunt tibi eſſe auctores.

REX. Sunt Belgae quidem indigni ea, quam per Fratrem, felicis memoriae, illis ante biennium permiſi, Religionis libertate, quippe qui poſtea haereticas conciones & ceremonias in tot urbibus admiſerunt, imagines diruerunt, templa demoliti ſunt, ac quibusdam in locis ſacerdotibus ac religioſis plurimis contumeliis vexatis, ludibrio habitis, ac tandem ſuis ſedibus pulſis, catholicos quoque ritus ſuſtulerunt. Per haec enim tam, qui ea auſi ſunt haeretici, quam qui paſſi ſunt Catholici (ſi tamen hi Catholici ſunt habendi) & conſtitutam ab Auſtriaco Fratre Pacem, & illud ipſum, quod inter ſe inierant Gandavi, foedus manifeſte violarunt. Calviniani vero, qui ardente bello, & noſtris exercitibus, cervicibus illorum imminentibus, hunc in modum, cum tanto Catholicorum ab ipſis alienationis periculo, inſanire veriti non ſunt, cauſam procul dubio dederunt, cur veri Catholici, cum eos plus poſſe animadverterent, magis ſibi ab ipſis, quam ab ullis infidelibus, ac Turcis, in poſterum metuere merito debeant. Quamvis autem haec ita ſeſe habeant; iſtae tamen graves & intolerandae, & tam diuturnae miſerrimorum populorum calamitates, atque aliae deinde juſtae & graves cauſae, quas ante biennium ſecutus ſum, nunc quoque mihi perſuadent; ut eandem illis in Religione pacem & libertatem largiri ſtatuerim, quam, ab

Digitized by Google

ab ipſis in conventu Gandenſi inventam, ego tunc, ut dixi, per Fratrem approbavi. Itaque in hoc Principum iſtorum conventu non de Gandenſi Pacificatione, quam ſalvam illis & incolumem relinquo; ſed de iis, quae poſtea in Religione contra ipſam, & contra meam dignitatem novata ſunt, agi poſtulo. Longe namque majori jure ea prorſus reſcindi & aboleri peto, quam ipſi violatae a ſe Pacis, quae a miſericordia magis mea, quam ipſorum meritis impetrata fuerat, confirmationem exigunt. Et quoniam incredibile prorſus eſt, eo dementiae ipſos progreſſuros, ut haec quoque, quae poſtea geſta, a nobis confirmari poſtulent, extra omnem controverſiam poſitum nunc ſit, nullam de illis in hoc conventu fieri debere mentionem. Quamobrem de eo tantum in cauſa Religionis agendum eſt, ut rationes commodae inveniantur, per quas omnia, quae ad templa, ad ſacerdotes, ad bona Eccleſiaſtica, ad pulſos ſuo loco Catholicos magiſtratus; & quod potiſſimum eſt, ad unius tantum Catholicae Religionis publicum exercitium pertinent, in eum ſtatum revocentur, in quo ante biennium fuerant, cum Frater Auſtriacus in Belgii Gubernatorem receptus eſt: eo itaque contenti ſint, vel potius id in ſummi beneficii loco ponant, quod per Hollandiam & Zelandiam (o miſera & calamitoſa tempora!) Catholicae Religionis exercitium, me quoque Principe, usque ad pleniorem omnium Ordinum definitionem, penitus exulabit atque excludetur; quodque qui per alias provincias ab Eccleſia defecerunt, ab omnibus publicis & privatis conventibus, in quibus Conciones habeantur, vel Sacramenta adminiſtrentur, abſtinentes, usque ad idem illud tempus, absque ullo alicujus ani-

animadverſionis periculo, id quod in Religione ſentiunt, tuto & palam apud quosvis profiteri poterunt. Quod ſi ea, quorum gratia puniri merito poſſint, non ſolum impune ſibi eſſe, verum etiam ad plura & iniquiora a me impetranda ſibi prodeſſe poſtulant; ipſe facile intelligis, me verius, & Imperatorem, & iſtos Principes apertiſſime ab ipſis haberi ludibrio, & proinde nobis, vel ad ſolam tam improbae poſtulationis mentionem, ad miſera claſſica, & ad maturandam noſtris & illorum armis florentiſſimarum olim provinciarum internecionem; cujus culpa penes illos reſidebit, qui vel ipſum clementiae pectus contumacia ſua expugnare, & ad crudelitatem exaſperare poſſent, quam primum redeundum.

DUX. Dubium non eſt, quia ſi hoc ſint animo, ſicuti, ne quicquam diſſimulem, eſſe videntur, per ſummam iniquitatem tale quippiam ſint propoſituri: quam ob cauſam nos quoque nihil relinquemus intentatum; ut id a nobis nullo modo impetretur. Tuae tamen Majeſtati inquirendum non eſt, quo jure, quave injuria id ab ipſis fiat, ſed quid ipſis huc usque inſanientibus a te, atque ab his Principibus decerni ac permitti, ratio, aequitas, vel Deus potius jubeat.

REX. Quid audio? tune quoque eo malorum res eſſe deductas arbitraris, ut ullam putes tantam exiſtere poſſe neceſſitatem, quae Religionem, cujus propagandae praecipuae mihi a Domino partes impoſitae ſunt, tam turpiter & flagitioſe prodere, omnem meam dignitatem & auctoritatem ſubditorum meorum, ac talium ſubditorum, pedibus conculcandam ſubjicere, omnem meam in perpetuum exiſtimationem, meritiſſima ignaviſſimi Principis nota, contaminare; atque ea ratione

ne quod famam meam, quod Religionem, quod commiſſam mihi in hos populos Jurisdictionem ita contemnam; in Deum Optim. Max. tam graviter peccare cogat?

DUX. Nos quidem, inviĉtiſſime Rex, & illa, quae nunc attuliſti, & alia multa illis proponemus, antequam mentionem apud illos faciemus, vel in mentem nobis veniſſe, ut aliquid ipſis ſupra libertatem Gandenſi Pacificationi in Religione admiſſam concedamus. Sed quia certam ſpem habere non poſſumus, hanc in ipſis fore moderationem, ut tanta illa libertate, quam a clementia tua tunc impetrari paſſus es, ſint contenti; noſtrum etiam erit examinare, utrum juſta aliqua cauſa exiſtere queat, ob quam, ipſis ultra omnem juſtum modum inſanientibus, nos etiam illius quoque libertatis modum excedere debeamus. Primo ergo illis proponemus, in eo quoque ipſos peccaſſe, quod iis etiam plura, quae ante quinquennium in Conventu Bredano Majeſtas tua offerre illis dignata eſt, a te impetrare ſtudeant. Oſtendemus, quam foedum & turpe ſit, legitimo ſuo Principi eam velle praeſcribere legem, ut in haereditariis ſuis ditionibus publicum admittat Religionis cultum, praeterquam illius, quam in ipſis a majoribus ſuis accepit, quamque alia omnia ipſius regna tam conſtanter retinent. Oſtendemus, quanta contumelia Majeſtatem tuam afficiant, cui liberum eſſe nolint, quod minimo quoque per Germaniam Comiti, & quidem majorum ſuorum Religionem mutanti, liberum eſſe leges Imperii permittant. Nullus enim in Germania Comitum vel Baronum, alicujus in Ditione ſua Religionis, quae ipſi non probetur, publicum admittit, vel admittere cogitur exercitium. Demonſtrabimus etiam, quam

procul hac in parte abſint a veteri tam Chriſtianorum quam infidelium modeſtia. Tertullianus, in Apologetico contra Gentes, majorem ſuo tempore affirmat Chriſtianorum numerum fuiſſe, quam aliorum Romani Imperii hoſtium, atque ideo, ſi armis ſe Chriſtiani tueri voluiſſent, non impares illos perſecutoribus ſuis, imo propter mortis contemptum, ſuperiores futuros fuiſſe, non dubitat: potuiſſe praeterea, ſcribit, ſola in alias provincias ſeceſſione eosdem perſecutores ſatis ulciſci; quia, propter hominum in pluribus urbibus infrequentiam, ipſimet Principes attoniti, alios homines, quibus imperarent, fuerint quaeſituri. Adeo ergo tunc Chriſtiani ad ullam libertatem per vim impetrandam erant alieni, ut ne fuga quidem ſibi conſulere vellent, ſed potius ſanguine ſuo redundare omnia, in quibus habitabant, loca, quam, quo tantam infidelium tyrannidem effugerent, de aliis ſibi quaerendis ſedibus cogitarent. Opponemus deinde illis Ethnicorum ipſorum modeſtiam, qui, quo tempore Romani Principes ad fidem converſi ſunt, nunquam ulla contra eos arma Religionis gratia induiſſe leguntur; nam contra potius nunc templa Deorum ſuorum claudi, nunc ſtatuas dejici, nunc ceremonias aboleri, nunc alimenta ſacerdotibus non amplius ſubminiſtrari modeſte patiebantur; ac dolorem in ea re ſuum ſupplicibus tantum libellis & legationibus miſſis teſtabantur: cumque, quod petebant, non impetrarent, repulſam quoque ſuam pari patientia ferebant, dummodo ad Chriſtiana ſacra celebranda ab iisdem non cogerentur. Adhaec etiam illis Socratis & Platonis proponemus ſententiam: hi namque iis, qui patriae ſuae, in qua nati eſſent, leges & Religionem non probarant, nihil aliud con-

concedi poſſe ſenſerunt, quam ut ad ea loca ſe conferre poſſent, in quibus illa ſervarentur inſtituta, quae ipſi patriis ritibus ac legibus praetuliſſent. Propter haec ergo parum civiliter & modeſte eos facere docebimus, ſi extorquere a Majeſtate tua cupiant, ut illi quoque Bredanae Libertati, in qua quadriennii tempus iis, quibus Catholica Religio diſplicebat, ad bona ſua diſtrahenda, & ad novas ſedes quaerendas definiebatur, aliquid adjiciat. Hinc porro jam ipſis aeſtimandum relinquemus, quam turpe & flagitioſum haberi debeat, ſi illud Majeſtatis tuae beneficium usque adeo contemnant, ut ne hac quidem ipſa, de qua paulo ante agebamus, Pacis Gandenſis confirmatione ſibi ſatis fieri patiantur. Hoc certe hujus Pacis ante biennium ipſis conceſſum beneficium, dicemus, omnia illorum vel immoderata vota ſuperaſſe, vel ſuperare ſaltem debuiſſe. Oſtendemus, id a ſola Majeſtatis tuae erga ſuos commiſeratione tunc fuiſſe impetratum; quia, conjunctis jam contra milites tuos ipſis etiam Catholicis, res amplius bello definiri non poterat, absque longe gravioribus iis, quae perpeſſi fuerant, ſubditorum tuorum malis; vel absque certa potius miſerrimarum Ditionum internecione. Facile ergo eos videre poſſe dicemus, quam intoleranda, & omnis contra Principem ſuum immodeſtiae plena poſtulatio ſit, ut eorum aliquid a te approbetur, quae poſt illam ipſam Gandenſem Pacem, cum tanta Catholicorum injuria, ab ipſis tam turpiter innovata ſunt. Adhaec jam ſeorſum Calvinianos & Catholicos monere non praetermittemus. Calvinianis dicemus, nos facile largiri poſſe, ut ejus, quam per errorem amplexi ſunt, Religionis ſuae ſtudio, cum multitudinem

ſuam intuentur, conſcientiarum ſuarum, ut vocant, ubique a nobis exigant libertatem. Pati quoque nos jam aliquo modo poſſe dicemus, ut, quibus in locis Pace Gandenſi permiſſa fuerunt Religionis illius exercitia, in iisdem illa retinere ſtudeant. Si quid enim in hac poſtulatione, ſicuti ſupra expoſuimus, reperitur immodeſtiae, id, propter omnibus inſitum erga Religionem ſuam amorem, non penitus excuſatione vel venia indignum eſſe dicemus. Poſtremo, quod eorum etiam, quae poſt hujus quoque belli exordium ab illis contra eam, quam inter ſe inierant, concordiam, in Religione atque aliis in rebus, per inauditam forte hactenus populi licentiam, geſta & mutata ſunt, vel veniam vel impunitatem vel oblivionem poſtulent; nondum nos graviter accuſare poſſe demonſtrabimus. Nam & hoc innatum omnibus hominibus eſſe novimus, ut culpam ſuam non facile agnoſcant: & ſupra communem mortalium virtutem poſitum eſſe intelligimus, ut poenam aliquis, tametſi a propria conſcientia accuſetur, ſponte ſubire ſit paratus, ſi vel fuga ſibi conſulere, vel armis etiam ſe defendere poſſe confidat. Haec igitur omnia, vel Religionis zelo, vel naturalibus affectibus indulgeri ac condonari poſſe concedemus; ac partim non omnino reprehendenda, partim non graviter reprehendenda, confitebimur. Quod ſi ne his quidem contenti, hoc quoque Religionem a ſe exigere, affirmare non verebuntur, ut illa etiam, quae poſtea, ſicuti dixi, contra Religionem noſtram, & contra ipſummet ipſorum foedus admiſerunt, rata a Majeſtate tua haberi petant; eo ipſo deprehendere eos poſſe dicemus, falſam & impiam eſſe Religionem, quae tam improbae & deformi poſtulationi vel leviſſimum

Digitized by Google

mum honeſtatis ac pietatis zelum praetexere non erubeſcit. Quisquis enim tale quippiam affirmare audet, is profecto dicit, eos, qui vi ſe, quod cupiunt, in civitate aliqua obtinere poſſe confidunt, jure quoque ſe poſſe Religionem ibi ſuam civili bello introducere, & contra ſentientibus propriam Religionem eripere, tametſi in ea nati atque educati illam a majoribus ſuis acceperint; tametſi legitimus urbis illius Magiſtratus, in veteri Religione permanens, id fieri vetet; tametſi id ſe non auſuros, inito cum Magiſtratu ſuo foedere, ſancte prius promiſerint. Quicunque certe populus huc usque progredi non verebitur, non zelo vel ſtudio Religionis accenſus, ſed manifeſto furore percitus, haberi poterit. Quicunque Miniſtri ejusmodi furori facem concionibus ſuis praetulerint, eo ipſo ſeſe Satanae miniſtros procul dubio prodent. Itaque ſi ipſemet Princeps Auriacus, cui non minor ea in re, quam nobis, contumelia fieret, tali populo vel talibus Miniſtris non acrius ſeſe, quam nos ipſi, opponeret; priorem illam ſuam ob virtutem, & multas alias inſignes animi dotes, exiſtimationem, quam apud Majeſtatem tuam, & nos omnes propter haereſim, & quia ſubditis a te deficientibus ſe ducem praebuit, jamdudum amiſit; apud exteros etiam & ſuae Religionis ſocios, vel ſola hac tam nefaria diſſimulatione procul dubio amitteret. Ad Catholicos deinde nos convertentes, ipſos quoque aliqua ex parte excuſatione dignos judicare nos poſſe dicemus; quod perpetuum cum popularibus ſuis bellum abominantes, quodque Praefectorum & militum tuorum frequentes, ut ipſi ſibi perſuadent, injurias non amplius ferentes; quod denique ſpe quadam, quod ea potius ratione alienatae

a Catholica Religione provinciae priori fidei reſtituerentur, illecti, neque pie ſatis intellexerint, quam turpis & ipſis ignominioſa fuerit haec ipſorum cum haereticis conjunctio, neque, ut aequum erat, conſideraverint, ſe contra Catholicum ſuum Principem, atque eundem Religionis ipſorum contra haereticos propugnatorem, arma ſumere; neque prudenter animadverterint, quanto gravioribus aerumnis, caeco illo & temerario conſilio, & ſeipſos & miſerrimam Patriam & ipſam denique Religionem eſſent involuturi. Quamobrem nullam amplius excuſationem illis ſupereſſe monebimus, ſi nunc etiam oculis ſuis intuentes, quantas poſtea vires ſumpſerit hoc avitae ipſorum Religionis incendium, quidque ſibi metuendum ſit ab iis, qui ardente bello Religionem eorum potius evertere, initum cum ipſis foedus tam turpiter violare, ac tot ab ipſis civitatum ac Procerum alienationem & ſeceſſionem contemnere; quam arma noſtra, cum tanta ipſorum pernicie in viſceribus eorum graſſantia, propulſare maluerunt; in eadem conjunctione permanere, neque ad Principem aliquando ſuum, eam, quam ipſi ſibi fabricaverant, Pacem tanta benignitate offerentem, atque omne contra haereticos illis auxilium pollicentem, ſe convertere decreverint. His porro rationibus iniquitate & turpitudine, quam in hac Pace reſpuenda declararent, tam Catholicis quam Calvinianis demonſtrata, poſtremo loco utroſque monebimus; ut, oculos in ſe, & liberos conjugeſque ſuas, atque in magnitudinem calamitatum, quas hactenus perpeſſi ſunt, quaſque nunc patiuntur, & quas, durante bello, paſſuri ſunt, convertentes, ſui ipſorum ac miſerrimae Patriae aliquando tandem miſereantur, atque eam ſalutari hac Pace, tot malis &

Digitized by Google

& aerumnis liberare ſtudeant. Vident deſolatos & incultos plurimis in locis fertiliſſimos quondam aliquarum provinciarum agros: vident Civium ſuorum opes ad gerendum paribus viribus nobiſcum bellum non amplius ſufficere, & quotidie minus ſuffecturas: vident denique hanc, tam periculoſam ipſis tam in Republica quam in Religione, mutuam diſſenſionem. Jactent ergo, ut volent, ſe civitates habere inexpugnabiles; vires noſtras, prout eis videbitur, tanquam ad bellum hoc conficiendum impares deprimant atque extenuent. Attamen, ni plane caeci ſunt, proſpicere quoque poſſunt, quam intolerabilia mala, vel per exercitus noſtros, vel per ſummam caritatem & famem, quae jam in foribus eſſe videntur, vel per morbos, caritatis & inediae comites, niſi Deus eos clementer averterit, ex belli longitudine ſint ipſis pertimeſcenda. Cum igitur omnes facile intelligant, vix ullam tam iniquam eſſe pacem, qua tot aerumnae non eſſent redimendae, hoc praeterea nos conſiderandum illis relinquere dicemus, quo nomine appellari hoc conſilium debeat: quod hanc etiam Pacem, qua nullam aliam ipſis commodiorem a divina miſericordia optare potuisſent, repudiare non dubitabit. Habituri per illam ſunt omnium, quae in provinciis Majeſtatis tuae geſta ſunt, perpetuam oblivionem; habituri ſunt eam, quam optant, in Hollandia & Zelandia Religionem; habituri etiam aliis in locis omnibus integram conſcientiarum libertatem; provincias denique ſuas habituri ſunt ab omni externo milite in poſterum liberas; ac veteribus ſuis privilegiis omnibus per ſummam ſecuritatem fruentur. Quod ſi igitur, his & aliis plurimis commoditatibus contemptis, ea tantum vel praecipua de



Digitized by Google

cauſa, ut paucis quibusdam praeterea in civitatibus concionibus fruantur, utque ea, quae per ſummam plebis licentiam in Religione potiſſimum novata ſunt, reſcindere non cogantur, bellum tamen, tot malorum ac aerumnarum agmen ſecum trahens, huic Paci praetulerint: ipſi, ut diximus, viderint, quod nomen huic conſilio ſuo daturi ſint, nos certe, niſi plane fallimur, cum omnibus recte ſentientibus manifeſtum furorem, Deo propter peccata ipſorum id permittente, ab hoſte humani generis Satana ad miſerrimas illas provincias ad interitum usque affligendas immisſum, appellari jure poſſe cenſebimus. Eo vero magis hoc ipſorum conſilium omnes abominaturi ſunt, quod propter longam ipſorum a legitimo ſuo Principe, tam multa illis tam clementer indulgente, alienationem & defectionem, tanta in eo ſit & tam manifeſta turpitudo & iniquitas.

REX. Cum haec ita ſeſe habeant, ſicuti ſeſe habere veriſſime & pleniſſime oſtendiſti, cauſam non video, cur de Pace tibi ſit amplius dubitandum. Nam cum ego Gandenſis Pacificationis formulam iterum approbare ſim paratus; & incredibile prorſus videatur, hanc, quam deſcripſiſti, in illis fore amentiam; nulla quoque fore videtur in iis, quae ad Religionem pertinent, quaeque praecipuum afferunt concordiae impedimentum, inter nos & illos in iſto veſtro conventu controverſia.

DUX. Fieri quidem poterit, ut illi, tam perſpicuis adducti rationibus, ſaniora conſilia amplectantur. At fieri quoque & illud nihilominus poteſt, quod, ut verum fatear, futurum quoque non leviter metuo; ne propter admirabilem illam concionum ſuarum, qua illi capti ſunt, dulcedi-

cedinem & ſuavitatem, his ipſis, non dicam, tam honeſtis & aequis, ſed mollibus, conditionibus acquieſcant, niſi aliquid illis ultra Gandenſem quoque Pacificationem concedatur. Quamvis autem Catholici per omnes has ditiones Deum Opt. Max. dies ac noctes precentur, ut illa ſaltem Gandenſis Pacis formula Calvinianis placeat; quamvis praeterea ipſe Princeps Auriacus, ſicuti mihi omnino perſuadeo, ſi modo ipſi quoque Pax offeratur, quam ipſe ſibi neque periculoſam, neque contumelioſam, eſſe judicet, omni ſua auctoritate & potentia operam ſit daturus, ut eadem illa Gandenſis concordia, a Majeſtate tua oblata, a Calvinianis recipiatur: veriſimile tamen forſan eſt, neque preces vel minas Catholicorum, neque Auriaci diligentiam & auctoritatem, neque jus ipſum, neque, quae memoravimus, pericula, in obſtinatis illorum animis, atque illa, quam dixi, concionum dulcedine, & nimiae licentiae uſurpatione depravatis, eam, quam optamus, & ipſis expediret, vim eſſe habitura. Quod ſi ergo illi inſanire pergant; Princeps quidem Auriacus turpe, & ſuis rebus inutile judicabit, ipſos deſerere: Catholici vero gementes & inviti ob eas cauſas, quae hactenus illos in foedere retinuerunt, in eodem perſeverare cogentur. Majeſtati igitur tuae, ſicuti dixi, conſiderandum eſt; ſitne aliqua juſta cauſa, cujus gratia aliquid illis ultra Pacem illam Gandenſem ſit concedendum; ut, quam ſibi & patriae miſericordiam infelices tam obſtinate denegant, eam in tua praeſtanti bonitate atque humanitate, ſupra omne ſuum meritum, reperiant. Mihi certe, ut ingenue fatear, doctus ille Vir, per eas, quas apud me expoſuit, rationes, aliquid



Digitized by Google

eſſe concedendum perſuaſit. Quidnam illud ſit, & quibus legibus intra juſtos fines, ultra quos nos nulla ratione pertrahi patiemur, adſtringendum, paulo poſt auditurus es. Nunc eo, unde me Majeſtatis tuae oratio digredi coëgit, revertens, illi primum dubitationi tuae ſatisfaciam; in qua ſentire videris, nullo modo absque peccato, ac Dei indignatione, te publicum poſſe tolerare alterius, quam Catholicae Religionis in ditionibus tuis exercitium. Itaque ſic peccatum ſemper eſſet, ſicuti Majeſtas tua dicere videbatur, iniqua illa, quae propoſituri videntur, Ordinum Belgicorum poſtulata quomodocumque admittere, procul a nobis vel ab ullo Catholico abeſſe debet, ut Majeſtati tuae tam ſcelerati ſit conſilii auctor. Novimus omnes, quaevis potius acerbiſſima ſupplicia perferenda, ac mille prius mortes ſubeundas, quam ullum divinum praeceptum bono viro violandum, vel ullum adverſus Deum facinus committendum. Itaque etiam ſcimus, Majeſtatem tuam omnes ſuas opes, omnia regna in periculum adducere debere, ac, ſi fieri poſſit, Hiſpanos, Italos, Siculos atque Indos ſedibus ſuis excitos in Belgarum capita, vel oppreſſuros hoſtes ſuos, vel opprimendos ab ipſis, immittere, quam poſtulatis illorum, quae absque divina offenſa recipi non poſſint, ſatisfacere, vel cedere velle. Quod ſi aliqua tamen neceſſitas intervenire poteſt, quae doceat ipſam illam divinam legem, quam violari metuimus, ad talia toleranda nos adigere; quae, remota ejusmodi cauſa, non eſſent ullo modo toleranda; hoc certe caſu; quaecunque illa fuerint, quae obſtabunt, quo minus illi cauſae acquieſcas, ſive Religionis nomen, ſive dignitatis,

Digitized by Google

tis, ſive famae praetulerint, Majeſtas tua per veram, ut dixi, animi magnitudinem contemnere debet; ne, quod cauſae illius interventus utilius & Deo gratius effecit, atque omnino faciendum jure perſuaſit, propter priora illa impedimenta, quae vim jam ſuam amiſiſſe intelliguntur, eligere verearis; hoc, inquam, igitur interveniente caſu, ſi conſilia tua ad ipſum accommodaveris, non Religio proditur; ſed id fit, quod ratio, pietas, & ipſa Religio, quae per ejusmodi manſuetudinem & patientiam non raro creviſſe legitur, fieri jubet; quodque omnium tuarum ditionum, quarum aliae viris & opibus exhauriuntur; aliae tam miſerabiliter vaſtantur, neceſſitas exigit: non conceſſa tibi a Domino poteſtas ſubditorum pedibus ſubjicitur, ſed gladius ſuo loco & tempore, pie & utiliter, in vagina continetur; non ignaviae infamia ſuſcipitur, ſed verae prudentiae & juſtitiae laus apud bonos acquiritur, atque inconſultae & injuſtae temeritatis nota vitatur. Quoniam igitur id duntaxat in controverſiam venit, utrum ex aliqua juſta cauſa publicum haereticae Religionis exercitium, in quibusdam etiam Brabantiae ac Flandriae locis admitti a Majeſtate tua poſſit, & debeat; atque ideo falſum quoque ſit, hanc permiſſionem inter peccata ſemper eſſe referendam; animadvertendum tibi eſt, aliqua eſſe facta, quae peccati labem & turpitudinem perpetuo ſecum habeant conjunctam; alia rurſus in ſpeciem quidem deformia, ſed quae propter aliquam, ut dixi, cauſam, vel ſine flagitio tolerari, vel etiam cum pietate & utilitate fieri poſſunt. Adulteria, perjuria, furta, rapinae, atque alia hujus generis facta, nullo caſu a peccati labe abſolvuntur; pecuniam latroni mittere; tyranni fortioris, bellum

lum contra jus inferentis, jugum ſubire; iniquas & Reipublicae graves conditiones, a victoribus injuſtis impoſitas, implere; foenus ac ſcorta in urbibus tolerare, per ſe quidem deformia videntur, ſed, vel propter praecedens jusjurandum, vel propter juſtum graviorum incommodorum metum, ſaepenumero inter recte facta merito referri posſunt: atque ideo nunc privati prudenter talia facta tolerare non recuſant, nunc ſancti, ac Reipublicae ſuae amantiſſimi Magiſtratus ſapienter etiam approbaſſe deprehenduntur. Sicuti autem haec ita habere ſeſe negare non poſſumus, ita etiam fateri cogimur, ad hoc genus eſſe referendum id, de quo in praeſentia quaeritur, hoc eſt, utrum Catholicus & pius Princeps diverſam ab ea, quam ipſe profitetur Religionem, in ſuis ditionibus publice coli permittere debeat. Omnibus enim ſeculis Chriſtiani Principes in ſuis provinciis Judaeos tolerarunt: vel quia, quos ad fidem convertere non potuerant, nunquam apud infideles convertendos expellere, turpe putabant; vel ut inter Chriſtianos perpetuo exiſterent, qui perpetua ſua calamitate cauſam quoque calamitatis ſuae, quod Chriſtum Dominum interfeciſſent, nobis indubitatam redderent. Chriſtiani Imperatores non paucis annis idololatrica turpiſſimorum Deorum ſacra pluribus in locis ab Ethnicis celebrari non interdixerunt. Aut enim forte tam ipſi quam Eccleſiae Doctores verebantur, eam aliis eripere libertatem, quam ipſi paulo ante ſub infidelibus Principibus injuſtiſſime ſibi ereptam perpetuis ſcriptis conqueſti fuerant. Aut tantam eſſe putabant veritatis vim, quae facile poſſit ex animis infidelium cultum idolorum eximere; atque ideo neceſſe non eſſe, fidelium manibus ſimula-

mulacra dejici, quae ipſimet idololatrae ſponte ſua eſſent confracturi. Theodoricus, Rex Italiae, Joannem Pontificem, ejus nominis primum, Theodorum, duosque Agapitos Oratores ad Juſtinum Imperatorem, qui Arrianos expulerat, eorumque Eccleſias Catholicis aſſignaverat, miſit; qui eum adhortarentur, ut Arrianos reſtitueret; ſin ſecus animatus eſſet, ſciret, ſe omnes Italiae Eccleſias, Catholicas praeſertim, demoliturum. Magnifice & perbenigne primo quidem excepti Legati ſunt, qui, ubi Conſtantinopoli rationem legationis expoſuere, cum flectere Juſtinum non poſſent, ad lacrymas verſi ac ſuppliciter petentes, ut periturae Italiae una cum Catholicis omnibus ſubveniret, eo tandem pium hominem propulere, ut Arrianos reſtitueret, atque eos vivere ſuis legibus & inſtitutis ſineret: itaque fidei cauſa hic poſtpoſita. Satis denique gravem cauſam Huſſitarum tempore Sigismundus Imperator habuit, cur eos, qui à Catholica Religione tunc defeciſſent, armis ad eam revocare ſtuderet, poſt aliquot tamen infelices cum ipſis dimicationes, ſive illae hoſtium fortitudini, ſive occultiori alicui cauſae tribuendae ſint, pacem cum hoſtibus inire, &, ad vitanda in poſterum longiſſimi belli incommoda, aliquas ipſis Eccleſias Pragae permittere non dubitavit. In ea deinde urbe Huſſitae & Judaei cum Catholicis permixti, nullam, quod ſciam, infamiae notam Bohemiae Principibus, tanquam Religionem prodentibus, vel contra Dei legem ejusmodi permisſione peccantibus, propterea inuſſerunt. Sed quid nobis vel his vel aliis exemplis opus eſt, cum foedus, in ditione Luxenburgica cum Belgis per Fratrem felicis memoriae initum, & a Theologis Catholicis & Juris peritis approbatum, & per Majeſta-

tem

Digitized by Google

tem tuam confirmatum, omnem hanc controverſiam aperte dirimat? Namque per foedus illud, in quo Theologi definire ſunt auſi, nullam vel Catholicae Religioni, vel tuae Dignitati fieri injuriam, in haereditariis tuis ditionibus, Hollandia & Zelandia, excluſum prorſus eſt Catholicae Religionis exercitium. Qui ergo in beneficii loco poſituri procul dubio fuiſſent, ſi vel unica in ſingulis earum provinciarum urbibus relicta Catholicis fuiſſet Eccleſia, apertiſſime profecto confitentur, aliquam interdum exiſtere poſſe cauſam, cur Catholici Principes ab omni culpa immunes, vel etiam laude digni haberi poſſint, tunc, cum haereticis in ſuis ditionibus publicos non interdicunt damnatae ſuae Religionis conventus, ritus & ceremonias. Cum igitur Majeſtas tua illis Pacis, ante biennium initae, conditionibus ſubſcripſerit, & ſententiam illam Theologicam approbarit, de cauſa quidem permiſſionis, juſtane ſit an injuſta, examinari poſſe non negat; ipſam vero permiſſionem, ſi de cauſae honeſtate vel neceſſitate conſtet, ſe non damnare palam eſt profeſſa.

REX. Cogor ſane confiteri haec ita ſeſe habere. Exſpecto igitur, quam mihi idoneam ſis allaturus cauſam, cur me oporteat, usque ad tolerandum etiam in quibusdam aliarum provinciarum civitatibus haereticae Religionis exercitium, obſequi poſtulatis Ordinum; quos hoc a me petituros indicare velle videris. Potuit forſan ante biennium, absque flagitio & absque Nominis & Dignitatis meae detrimento, quo bonos & fideles ſubditos longo bello fatigatos recrearem, a me permitti, ut in Hollandia & Zelandia Catholici ritus tantisper ceſſarent, donec per omnium provinciarum Ordines, quid de his rebus & aliis fie-

ri

ri deberet, ſtatueretur? Credibile quippe tunc erat, in communi omnium ditionum conventu Catholicas provincias, in quibus Catholici tantum in Magiſtratu erant, auctoritate & numero longe aliis ſuperiores, duas illas, vel ratione, vel vi, fuiſſe ad officium revocaturas, atque huic, quo nunc ipſae quoque flagrant, incendio legitimum aliquod remedium inventuras. Nunc vero non modo omnem nobis Hollandiae & Zelandiae Chriſto reſtituendae ſpem eriperemus, ſi tam iniquas conditiones recipiamus, verum etiam reliquas Catholicas provincias, quantum in nobis eſt, Chriſto ereptas, Satanae poteſtati traderemus: quia dubitari vix poſſit, quin incendium hoc, intra non longum adeo tempus, omnes aegri hujus corporis partes invaſurum eſſet, & abſumpturum. Incredibile ergo prorſus mihi videtur, poſſe aliquam reperiri cauſam, propter quam juſtum haberi queat, nos tantum adire Catholicae Religionis in illis provinciis extinguendae periculum, quod illa publici exercitii permiſſio manifeſte nobis minatur.

DUX. Nihil eſt, Clementiſſime Rex, quod atrocioribus, quam res poſtulat, verbis prolatum, aequo etiam atrociorem & formidabiliorem ſpeciem in animis noſtris non gignat, & propterea magnum etiam afferat impedimentum, quo minus eam propius inſpicere, atque examinare cupiamus. Meminiſſe igitur Majeſtas tua debet, quamvis haec a quibusdam noſtrum, iis, quibus & ipſe uſus es verbis, interdum ita exaggerentur, non eſſe tamen ideo tantam hujus periculi magnitudinem, quantam ejusmodi verba indicare videntur. Ac de periculi quidem hujus, quod ex tanta haereticorum libertate metui poteſt, magnitudi-

tudine, deque differentia, quae inter hanc, quam nunc illi forte poſtulabunt, libertatem, atque eam, quae fuit illis ante biennium conceſſa, reperitur, paulo poſt acturi ſumus. Nunc tantum dicimus, Chriſtianorum vel Catholicorum animas Satanae non tradi, non modo cum ſua apud illos ſacra haeretici vel infideles celebrare permittuntur, verum etiam cum imperium & poteſtatem in Chriſtianos iidem infideles ſeu haeretici obtinent. Chriſtiani olim inter mille genera ſuppliciorum, quibus ad abnegandam veritatem cogebantur, ſuos frequentius perſecutores Chriſto lucrifaciebant, quam ſuas animas Satanae tradebant. Nunc etiam, quotquot Pragae, vel Curiae, vel Auguſtae, vel in aliis Germaniae locis, Catholici degunt, in Satanae poteſtatem non veniunt, quod haeretici quoque ſuas ibi conciones & ceremonias habere non prohibeantur. Poſtremo in Gallia experientia docuit, illud ipſum, quod metuimus, incendium, latentibus haereticis, majora ſemper incrementa accepiſſe, poſt conceſſam vero hanc ipſis libertatem, vel aliqua ſaltem ex parte ſopitum, vel non latius ſaltem ſerpſiſſe. Admiratione quidem hoc dignum videtur, quamvis ſua quoque ratione non careat, quam poſtea forte intelligemus: nunc vero ad eam, quam inquirere inſtituimus, cauſam, ſi poſſumus, inveniendam accedamus, quam talem exiſtimare merito poſſimus, ut, ſi eam Majeſtas tua ſecuta, in quibusdam extra Hollandiam & Zelandiam civitatibus liberum eſſe patiatur Proteſtantium Religionis exercitium, a nullo cordato viro jure reprehendi queat, ſi modo permiſſam ipſis libertatem, certis legibus, & conditionibus, quo minus nobis obſtet, adſtringamus: earum vero legum, ſicuti poſtea intelligetur, praecipuae futurae

Digitized by Google

turae ſunt, ut quam in pauciſſimis fieri poterit, aliarum Provinciarum civitatibus haec illis libertas concedatur, utque duae ſaltem in Hollandia & Zelandia nominentur urbes, in quibus Catholica quoque ſacra publice celebrentur.

REX. Age vero eam nunc in medium profer. Nam ego quidem perſuadere mihi non poſſum, ullam eſſe tam gravem, quae, excuſſis nobis tam piis & neceſſariis armis, tanti periculi magnitudinem, cum tanta Dignitatis noſtrae jactura, contemni debere, poſſit evincere.

DUX. Antequam ad hanc, quam indicari tibi poſtulas, cauſam explicandam veniam, demonſtrandum prius nobis eſt, admodum ancipitem & dubiam nobis haberi debere hujus tam prolixi & calamitoſi belli, ſi id forte paci praeferendum eſſe cenſeamus, noſtram victoriam: diligenter enim futuri eventus conjecturas examinantibus, aequales illae profecto, ut ingenue, quod res eſt, eloquamur, vel etiam paulo potiores eſſe videntur, quae hoſtibus, quamvis cum tam potentis Principis, tam inexhauſtis opibus, ac tam invictis, atque exercitatis copiis bellum gerant, quam quae nobis certaminis hujus victoriam pollicentur. Neceſſe porro eſt, hoc primum ita ſeſe habere, demonſtrari, cum alioquin omnia graviſſima belli incommoda merito contemnere poſſes, ſi certiores haberemus de noſtra, quam de hoſtium victoria, conjecturas. Ubi vero, quantopere nobis ſit pertimeſcendus triſtior, quem Deus avertat, belli eventus, ex conjecturis illis cognoveris, aequum tunc profecto fuerit, magnam te in hac de pace & bello conſultatione habere illarum rationem. Nam & iter aliquod ob inſignem aliquam ex eo utilitatem ingreſſuri, de mutando



Digitized by Google

profeſtionis conſilio merito deliberare poſſent, ſi, ex omnibus, quotquot iter illud ſuſcipiunt, tam multos, vel etiam plures eſſe, qui in illo a latronibus interficiuntur, atque illi, qui evadunt, intelligerent. Ea ergo ſigna, ſive has, ut dixi, conjecturas, ſi placet, primo breviter audiamus, ut, hoc veluti fundamento jacto, ad ipſam, de qua deliberamus, quaeſtionem demonſtrandam accedamus. Primum igitur conſtat, non unam, ſed permultas, ab hoſtibus occupari civitates, usque adeo munitas, ut vix ſperandum nobis ſit, eas per vim, aut per aſſultus, ut vocant, aliquando poſſe expugnari. Ut autem aliquae interdum hoc modo capiantur, veriſimile tamen eſt, non modo in irruptionibus, verum etiam in mediis urbibus jam captis, victoriam noſtram plurimorum & fortiſſimorum militum ſanguine nobis conſtituram; atque ea de cauſa talem in militibus, ad alias progredientibus, fore terrorem, ut vix ullis Ducum imperiis in poſterum ſint parituri, neque toties ſeſe tám manifeſto periculo, vel morti potius objecturi. Satis autem apparet, inſignem fere ſemper futuram in obſeſſis urbibus propugnatorum conſtantiam; tum quia fortioribus ſemper militibus earum urbium, de quarum periculo metuimur, cuſtodia commendatur; tum quod non modo militibus & adultis civibus, verum etiam pueris forte, & foeminis non eſſe parcendum ſibi perſuadent. Secundo, quoniam facile perſpicere poſſunt, quaenam civitates proximae ſint obſidionis periculo, eas commeatu & rebus neceſſariis ita ſemper inſtruunt, ut ipſa etiam deditio noſtris non ſit, niſi poſt longum tempus, admodum ſperanda. Quis autem dubitet, interea quoque temporis, multis rationibus obſeſſis per

ſuos

ſuos poſſe ſubveniri, ut vel obſidione liberentur, vel, intromiſſo novo milite ac commeatu, obſidionem diutius tolerare queant? Nam, licet, acciſis jam Ordinum opibus, talem exercitum habituri non ſint, quem noſtro opponere poſſint, ad auxilium tamen laborantibus quomodocumque ferendum ſatis virium habituros credibile eſt. Tertio, ne in agrorum quidem; quamvis ipſi nos patiamur; depopulationibus, magnam noſtris ſpem collocandam eſſe video. Nam & illis ipſis viribus, quibus noſtras urbibus aſſidentes laceſſere poſſunt, populationes quoque inhibere non erit illis admodum difficile, & noſtri, relictis a tergo hoſtilibus oppidis, propter inopiam commeatus, longius hoſtium fines penetrare facile non audebunt. Hae ergo difficultates merito nobis ſunt in hoc bello metuendae; non probant illae quidem hoſtes eſſe viribus ſuperiores, ſed, quia veriſimile eſſe oſtendunt, eos a te non ſuperandos, vel ſaltem longiſſimo tempore ſuperandos, eandem prope vim habere judicandae ſunt, ac ſi hoſtes omnino fore ſuperiores demonſtrarent. Eo vero magis nos pluris eas facere oportet, quod, bello durante, in ea etiam, quae nunc commemorabo, pericula incidere poſſumus. Sit ergo quarta contra nos conjectura; quod neque poſſumus, neque debemus eſſe extra metum, ne in tam prolixo bello, in quo praeſertim vix hyeme quoque reſpiratur, peſtis, vel alia lues, fideliſſimum ac fortiſſimum exercitum magna ex parte abſumat, atque omnem deinde victoriae ſpem funditus abrumpat. Quinto, ea etiam de cauſa metuendum nobis merito eſt, quod contingere queat, ut aliunde, hoc eſt a Turca vel ab alio Principe, bellum aliquod exoriatur, quod vel longe deteriore conditione Majeſta-

tem tuam cum Belgis tranſigere cogat; vel, vires tuas diſtrahens, bellum ipſum multo tum longius tum difficilius reddat, vel potius in manifeſtum nos periculum amittendae utrobique victoriae conjiciat. Sexto, notandum eſt, tuae quoque Majeſtati, hoc eodem bello durante, aliquid humanitus accidere poſſe. Eo vero caſu, quem Deus vehementer avertere dignetur, tam Hiſpani Proceres, quam hujus exercitus Duces, Principe in tam tenera ſucceſſorum aetate deſtituti, plurimis & graviſſimis impliciti difficultatibus, vel bellum hoc penitus deſerere, vel incommodiſſime, ac longe majori cum periculo, adminiſtrare cogerentur. Atque interim taceo, quam credibile ſit, non defuturos etiam exteros, qui aperte Belgis opem laturi ſint, atque improbas ſuas opes & cupiditates, quas nunc etiam vix tacite cohibere poſſunt, non amplius diſſimulaturi. Poſtremo certum omnino eſt, ut nihil reticeamus, hoſtes, ſi viribus & ſumptibus ad bellum longius ſuſtinendum ſe ſentiant exhauſtos; ſi, vel uno atque altero adverſo praelio fracti, vel unius atque alterius munitae civitatis expugnatione conſternati, deſperare de victoria incipiant; vel etiam ſi aliquo modo tam diuturni belli taedium capere coeperint, per hanc occaſionem non ad veniam admiſſorum poſtulandam; non ad propoſitas a Majeſtate tua Pacis conditiones ſuſcipiendas convertendos; non denique ad fidem & obedientiam legitimi ſui Principis redituros; ſed de alio ſibi Principe, quem etiam non defuturum dubitari non poteſt, quaerendo & conſtituendo ſerio cogitaturos. Hoc periculum, quod ipſam tibi victoriam e manibus excu ere poteſt, vel bellum ſaltem ipſum, earum virium, quibus poſtea defendentur, acceſſione, tanto

Digitized by Google

to reddere difficilius, maximam, ni fallor, vim ad Majeſtatem tuam & ſuos omnes promovendos habere debet, non ad faciendam ſolum, verum etiam ad maturandam Pacem, ne omnium laborum, periculorum, & ſumptuum noſtrorum fructum alter intercipiat. Tantum quippe, & tam alte his, cum quibus nunc bellum gerimus, inſitum, ſive jure ſive injuria, eſt odium Hiſpanorum & externorum militum; tantus metus earum poenarum, quas luituros ſibi perſuadent; tantus horror ejus conditionis, in qua poſt bellum, ſub tam infeſtis & tam male de ipſis ſentientibus victoribus, ſeſe futuros augurantur, ut incredibile ſit, eos, ubi primum ſpe victoriae deſtitui coeperint, non patronum potius quemdam & defenſorem, ac vocationem ſuam loco beneficii habiturum, ſibi quaeſituros, quam ejus iterum ſubituros imperium, a quo, praeter alias poenas, longe duriorem, quam unquam, ſerviendi conditionem ſibi merito metuere debeant. Quod ſi Catholici forſan aliqui, qui fidem, amorem, & obedientiam erga Principem ſuum non omnino exuerunt, quique, propter ipſam, quam retinuerunt, Catholicam fidem, meliorem & tolerabiliorem ſuam conditionem ſub legitimo ſuo Domino fore credunt, de tanto ſcelere non cogitabunt: Haereticos certe eo eſſe animo, dubium non eſt, ut ad unum omnes perire ſe potius, quam ſub militum & Praefectorum tuorum imperio vivere, ac legibus contra haereticos latis iterum ſe coërceri, velint. Cum vero conſtet, non ſolum in duabus illis omni ex parte nunc munitiſſimis, & prope inexpugnabilibus provinciis, ſed in nonnullis etiam Brabantiae, Flandriae, Geldriae, & Friſiae civitatibus, haereticos Catholicis eſſe potentiores, Majeſtas tua facile videt, quid



Digitized by Google

tibi merito ſit ſperandum, ſi ad vires illorum, quantumvis attritas, accederet illius etiam, quem ſibi praeficerent, Principis potentia.

REX. Satis quidem apparet ex his, quam gravem & juſtum metum, non obtinendae victoriae, allatae a te conjecturae mihi incutere queant. Alia tamen ex parte, praeter ſpem illam, quam mihi merito praebet fortiſſimus & fideliſſimus noſter exercitus; cui per Dei gratiam perpetua a me ſuis temporibus ſtipendia ſuppeditari, & ſupplementa mitti poſſunt, duas habere me video cauſas, quae eandem illam ſpem nobis & noſtris omnibus augere non injuria poſſunt. Altera eſt, quod, praeter illas, quas adhuc obtinemus, civitates, Hannonia, & Arteſia, & quaedam potentes Flandriáe civitates, ab haereticis, non tantum ob impiam doctrinam, verum etiam ob inſolentiam, tyrannidem, ac ſeditionem eorum alienatae, ſeſe jam manifeſte nobis adjungunt. Et, quoniam illarum exemplum alias imitaturas veriſimile eſt, bellum quoque ipſum profecto, additis illorum auxiliis, & diſtractis rebellium copiis, brevius & facilius a nobis confici & profligari poterit. Altera cauſa eſt, cujus tu penitus videris *oblitus*; quod ſperare Chriſtianos deceat, divinum ipſis in tanta cauſae bonitate non defuturum auxilium: quamvis enim non dubitemus, Deum, peccatis noſtris offenſum, me & miſeros ſubditos, tam multis hujus funeſti belli malis, afflixiſſe, omnino tamen ſperandum nobis eſſe intelligemus, eundem Deum & Eccleſiam & Religionem ſuam, ac nos, ejus pro viribus noſtris propugnatores, non diutius deſerturum, & Catholicos ſuós ab haereticis amplius opprimi non paſſurum; ac ſubditorum erga Principes ſuos ſancitam ab ipſo obedien-

dientiam, atque hoc tam pernicioſo exemplo tam turpiter conculcatam, praeclara noſtra victoria confirmaturum; atque ipſas miſere ſeductas oviculas ad Eccleſiae ſuae caulam noſtris armis revocaturum, hoc eſt optimae, ut dixi, cauſae, contra iniquiſſimam, potenti ſua dextra, debitam & neceſſariam victoriam & triumphum tandem largiturum.

DUX. Negare quidem non poſſum Arteſiae & Hannoniae & aliarum civitatum ad nos adjunctionem, ſi talis eſſet, qualem eam eſſe oporteret, aliquod fuiſſe additurum, ad victoriam noſtram, momentum. Certum tamen eſt, & momentum illud ſatis eſſe tenue atque exiguum, & illam ipſam, quam nobiſcum appetere videntur, concordiam, vix hac eſſe concordiae appellatione dignam. Manentibus enim ſuo loco tot aliarum ditionum viribus, manentibus cauſis, ea, quae recenſui, pericula, metuendi, ac ſalva ſemper rebellibus ad alium Principem confugiendi poteſtate; quilibet intelligit, non eſſe nobis de hac acceſſione, quaſi magnam aliquam bene ſperandi cauſam nobis praebeat, valde exſultandum; cum praeſertim illi non armis noſtris ſuperati, quod adverſarios magis terruiſſet, ſed ſua ſponte in odium illorum ad nos tranſierint. Sed neque vere ad nos tranſiiſſe dicendi ſunt, qui arma ſe contra rebelles & haereticos ſuſcepturos negant, priusquam, juxta Gandenſis Pacificationis formulam, Hiſpani atque omnes alii externi milites Belgium reliquerint. Erunt illi quidem hac ratione a reliquis ſejuncti, neque illos auxiliis vel pecunia juvabunt, & nos labore cum ipſis quoque dimicandi liberabunt; ſed quia noſtros milites, ſi bellare & vincere cupimus, dimittere non poſſumus,

noſtras propterea vires, quoad arma cum noſtris non conjungunt, parum promovebunt, atque ideo non adeo magnum, ut dixi, momentum ad victoriam afferent. Poſtremo, ſi recte rem expendere velimus, hunc iſtorum animum, Pacis potius, quam belli cauſa, nobis eſſe utilem, exiſtimare debemus. Nam ad victoriae quidem ſpem non multum, ut dixi, momenti ſunt allaturi: ſi vero Pax concilietur, ardens iſte, quem oſtendunt in Catholicam Religionem atque erga Majeſtatem tuam, zelus merito nos ſecuriores reddere poterit, quod a Calvinianis non violabuntur, quaecunque erunt Pacis, in quas cum illis conveniemus, conditiones. Quod vero ad Dei Opt. Max. auxilium attinet, quod tibi in tam juſto bello adfuturum Majeſtas tua confidit, ſciendum eſt, non poſſe nos, nec debere hujus auxilii fiducia, certam & indubitatam nobis polliceri de hoſtibus victoriae ſpem. Nam hoc ſolum illis permittitur, vel etiam praecipitur, qui certam a Deo habent proſperi futuri ſucceſſus, ſive in bello, ſive in alio negotio, revelationem, quamvis nullis, vel longe minoribus, quam oporteret, humanis inſtructi praeſidiis, illud aggrediantur. Hujusmodi enim fretus revelatione Gedeon, trecentis tantum ſecum adductis militibus, innumerabiles fudit Madianitarum copias. Sic etiam Joſue nulla militum opera, nullis utens bellicis machinis, ſed ſolo buccinarum concentu, muros Hiericho proſtravit. Sic poſtremo alii multi, de divino oraculo certi, nullam aliam quaerebant de futuro eventu certitudinem, ſive ipſis adeſſent humana vel naturalia, ad felicem ſucceſſum ſperandum, praeſidia, ſive non adeſſent. Ubi vero hujusmodi divino oraculo deſtituimur, interdum etiam non prohibemur adverſus hoſtes numero

mero

Digitized by Google

mero & viribus ſuperiores bellum ſuſcipere, & ſpem victoriae noſtrae in Deo collocare: non licet quidem indubitatam eo caſu nobis polliceri victoriam; quia ſemper, extra illam, quam diximus, revelationem, eventum Deo nos committere, & ejus, quam poſtea declarabit, voluntati ſubmittere nos oportet: ſed tamen prudenter & pie provinciam aliquam, vires noſtras ſuperantem, aggredimur, quoties nimirum infelicem potius conatus noſtri ſucceſſum experiri, quam eam omnino non aggredi, praeſtat. Hanc enim ob cauſam Mathathias & filius ejus Judas Machabeus, adverſus potentiſſimos Syriae Reges, quibus tunc ſubjecti Judaei ſerviebant, ad quos etiam ex Judaeis plurimi defecerant, arma ſumere non veriti, & victoriam ſibi exemplis eorum, qui divina potentia ſervati fuerant, pollicentes, immortalem gloriam merito conſecuti ſunt, ſive ſuccubuiſſent, ſive, quod accidit, victores evaderent: quia glorioſam mortem pugnando potius ſubeundam merito ducebant, quam illa per ignaviam tolerare, quae quieſcentibus ipſis eventura non dubitabant. Omnino enim Templum, Religionem, atque adeo Gentem ſuam univerſam funditus interituram ſibi perſuadebant, ac nullum amplius peculiarem in terris futurum Dei populum, nullamque veram Religionem, ſed ſpurciſſimorum Deorum cultum omnia occupaturum, niſi ipſi pro libertate, vita, patria, templo, ae Religione arma ſumerent. Non erat id quidem, quod ipſi metuebant, neceſſario futurum; tum quia tunc quoque non minus potens erat Dominus, Antiochi & aliorum hoſtium copias per Angelum delere, ſicuti paucis ante ſeculis Aſſyriorum exercitum proſtraverat; tum quia, per con-



Digitized by Google

ſtantiam pro fide morientium Judaeorum, ipſum etiam Antiochum emollire, vel convertere ad fidem potuiſſet, ſicuti per Chriſti miniſtros & martyres poſt aliquot ſecula de ſeverioribus tyrannis triumphavit. At, quoniam Dominus eo tempore deſierat extraordinariis illis & evidentioribus miraculis robuſtam jam populi ſui fidem propugnare; neque promiſſiones vel exempla tunc extabant, quae martyrum patientia Religionis hoſtes tandem ſuperari docerent, ad arma potius converſi ſunt, &, quod viribus ipſorum deerat, Dominum peculiari ſuo auxilio in tam neceſſaria ac juſta cauſa clementer ſuppleturum, pie & juſte, quodque exitus docuit, feliciter crediderunt. His itaque caſibus vel indubitatum ſibi ſpondere divinum auxilium, ac contra ſpem in ſpem credere, vel ſaltem, cum bona ejus auxilii non defuturi fiducia, arma etiam debiliora induere, at quibuscunque nos objicere periculis, ob cauſae, quam fovemus, bonitatem, non prohibemur. Ubi vero neque peculiaris habetur Dei revelatio, neque ita pericula nos aggredi oportet; ut praeſtare judicemus in ea incidere, quam ab iis bello vel alia ratione propulſandis abſtinere; imprudenter certe, ni fallor, & temere auxilii divini fiducia, optimam etiam cauſam aggrederemur, niſi conjecturae ex viribus, armis, atque aliis noſtris humanis praeſidiis ac mediis petitae, quae felicem nobis conſiliorum noſtrorum pollicentur eventum, vel pares ſint, vel ſaltem exiguo admodum intervallo debiliores iis, quae triſtiorem caſum minantur. Itaque Chriſti quoque ſententia Lucae XIV. prudentia Regis illius commendatur, qui miſſa legatione pacem ab hoſte poſtulabat, quia, ſuis & adverſariis viribus inter ſe collatis, ſuas inferiores

eſſe

Digitized by Google

eſſe deprehendebat; hanc ob cauſam nullus unquam Chriſtianos illos reprehendit, qui, graviſſima preſſi Turcarum tyrannide, neque ſecretis conjurationibus, neque publica defectione, ſeſe in libertatem aſſerere audent. Nemo eos in crimen vocare ſibi permittit, quod impium Magiſtratum, & nullo jure illud ipſum imperium occupantem, ſibi dominari patiantur; quodque fiduciam illam, in tam manifeſta cauſae bonitate, de divino favore non concipiant; tum quia eo contenti eſſe poſſunt, quod non interdicuntur ipſis ſua Religionis exercitia; tum quia, Deum vires ipſis ad jugum illud excutiendum non ſubminiſtrare proſpicientes, patientiam illam ſibi a Domino imperari (qui alia ratione miſeriae ipſorum ſuccurrere non dignatur) non ſine cauſa arbitrantur. Quod ſi Chriſtianos illos magna temeritatis culpa non carituros credimus, ſi divini auxilii fiducia armis ſeſe in libertatem aſſerere vellent: quamvis victoria ipſorum tot illos calamitatibus liberaret, & Chriſti gloriam, & regnum tantopere promoveret, atque illuſtraret; majori jure eos reprehendere poſſe videmur, qui, longe leviora conſecuturi ex victoria emolumenta, & veriſimile periculum ex contrario ſucceſſu proſpicientes, in certamen ideo deſcendere non dubitant; quia victores ſe divina clementia futuros, ob cauſae bonitatem, confidant. Bonam illi, ni fallor, cauſam, hac inconſulta temeritate, malam apud Dominum redderent; eo namque ipſo, quod & periculum ab ipſo nobis oſtenditur, & non ſatis dignam periculi cauſam nos cernere facit, diſplicere ſibi, quod aggredimur; & propterea favorem ſuum fruſtra a nobis ſperari declarat, quamvis ille pietatis, & juſtae cauſae promovendae zelus, temeritatis noſtrae

Digitized by Google

noſtrae culpam efficiat leviorem. Tunc itaque demum, ſicuti dixi, ſancta & pia videtur ex cauſae bonitate ſuſcepta fiducia, cum & magnum operae pretium eſt, pericula adire: & non minus, vel ſaltem paulo admodum minus firmae ſunt, quae pro nobis, quam quae contra nos faciunt, ex viribus noſtris petitae conjecturae. Tunc, inquam, negotium aliquod pie aggredi poſſumus, ac Deum orantes, ut conſilia noſtra dirigere, hoſtium conatus reprimere, inſidias detegere, atque aliis ipſi notis rationibus nos juvare dignetur, non inanem, hac optima freti conſcientia, hujus peculiaris auxilii fiduciam concipiemus; alioquin & Deum procul dubio tentaturi, &, quantum in nobis eſt, opera ſapientiae ejus, quae per haec ordinaria media rebus humanis conſulere ſtatuit, otioſa reddituri, ſi absque illis, de quibus egimus, cauſis ad extraordinarium ejus & immediatum, ut vocant., auxilium confugiamus.

REX. Facile perſpicio, quo iſthaec omnis oratio tendat. Nam & vires meas impares eſſe arbitraris huic bello feliciter conficiendo, & ipſius belli continuandi (etiamſi iniquas illas conditiones, de publicis ſibi permittendis Religionis ſuae exercitiis, extorquere a nobis velint) non ſatis juſtas nos cauſas habere tibi perſuades. De primo non tantum tibi tribuo, quantum eviciſſe velle videris. In ſecundo te prorſus falli ſentio, imo conſilium a te, & nobis indignum, & tuae nobilitati, prudentiae ac pietati parum decorum, afferri exiſtimo; qui mihi auctor eſſe non verearis, ut ſupra reliquas, quas a rebellibus & haereticis tot jam annis tulimus, indignitates; ſupra omnium hactenus ab ipſis admiſſorum impunitatem

tem & oblivionem ; ſupra conceſſam ad tempus in Zelandia & Hollandia ſolius haereticae Religionis adminiſtrationem ; ſupra conſcientiarum, ut vocant, in reliquis quoque ditionibus noſtris impetratam a me libertatem, eadem haeretica exercitia in aliis etiam Provinciis, cum tanto Catholicorum omnium periculo, & tanto exiſtimationis meae diſpendio, admittam, atque hanc, tantae impudentiae pleniſſimam, ipſorum poſtulationem armis non eſſe vindicandam cenſeam.

DUX. Quum paulo ante de hujus belli periculis agerem, non fuit animus ita deprimere maximas & inexhauſtas Majeſtatis tuae vires, ut eas impares huic quoque bello profligando ſentirem. Nam id tantum probare ex recitatis illis difficultatibus volui, vel pares, vel aliquanto majores nos habere metuendi, quam ſperandi, cauſas; tum propter hoſtium in tuendis urbibus ſuis robur ; tum propter alia, quae recenſui, non contemnenda pericula ; quae belli relinquendi neceſſitatem nobis adferre, vel partam prope victoriam e manibus eripere poſſent : id vero ſatis luculenter a me probatum, tua quoque Majeſtas, cujus dubitationibus ſupra reſpondimus, admittere viſa eſt. Quamobrem ad alterum illud, quod tantopere Majeſtas tua abominatur, quodque, niſi jactis illis, quae expoſuimus, fundamentis, probari non potuiſſe, progrediendum nobis eſt. Fretus autem tua ſumma hac in parte aequitate, & illo ardentiſſimo has tuas, olim florentiſſimas, ditiones ex tantis aerumnis aliquando liberandi deſiderio, tametſi multis ac gravibus, & zelo pietatis flagrantibus, affectibus tuis in eo repugnare debeas ; fretus, inquam, hac tua bonitate, atque ea, qua coepi, utens libertate, ſimpliciter affirmare non dubito ; id

Digitized by Google

id ipſum mihi videri ſalubrius & utilius, a quo te hactenus tam alienum eſſe experior. Majeſtatem tantum tuam, quo poſſum pietatis affectu, ſupplex oro atque obteſtor, ut me, hanc mihi jam perſuaſam ſententiam demonſtrantem, non benigne ſolum, verum etiam diligenter & attente, audire digneris. Confido namque, Deo propitio, me palam facturum, hoc, quod allaturus ſum, conſilium, neque tuae Dignitati pudendum, neque mea perſona haberi debere indignum. Probare ergo, Deo duce, conſtitui, gravem & juſtam exiſtere cauſam, cur, ſupra libertatem adverſariis Gandenſi Pacificatione conceſſam, in aliis quoque paucis civitatibus, in quibus id tunc non licebat, ipſis nunc permittatur, Conciones & ſacra ſua publice celebrare: quaenam autem illae, & quot numero futurae ſint civitates, & quibus legibus hoc beneficio fruiturae, in ipſis poſtea Pacis conditionibus a Principibus declarabitur. Nos tantum, ad aliquas ipſis, in illum, quem diximus, uſum, aſſignandas, Majeſtati tuae progrediendum eſſe docere conabimur. Eſt autem, ut probationem ipſam tandem aggrediamur, hujus ſententiae cauſa, generalis illa regula, vel potius communis atque omnibus hominibus inſita animi conceptio; quae duobus e malis id, quod minus eſt, ſemper eligendum eſſe affirmat. Quo vero ſententiae hujus vim propoſitae quaeſtioni, ſicut decet, accommodemus, notandum nobis eſt, ſtatum & cardinem controverſiae non in eo verſari; utrum in aliqua parte harum ditionum Catholicae Religionis, & haereticae exercitia publice ſint toleranda: certum quippe eſt, & Majeſtatem tuam, & Catholicos omnes in Zelandia atque Hollandia id ipſis libenter permiſſuros. Status igitur controverſiae

eſt,

Digitized by Google

eſt, utrum aliqua juſta cauſa ſit, cur, quod in Hollandia Majeſtas tua concedere non gravatur, id in paucis quoque aliarum Provinciarum Civitatibus, hoc tempore, tibi ſit admittendum. Quo ergo, ſicuti dixi, praedictam regulam ad hunc controverſiae ſtatum accommodemus, enumeratis breviter graviſſimis incommodis, in quae Majeſtas tua incidet, ſi, continuato hoc bello, victoria, quod abſit, excidamus: illa e diverſo, quae ex Pacis hujus & majoris libertatis conceſſione oriri poſſunt incommoda, nulla ratione ejusmodi eſſe oſtendemus, quae tanto graviorum malorum periculo redimi debeant; cum triſtior ille belli exitus, qui nos in illa tanta mala praecipitaturus eſt, vel pari vel majori probabilitate nobis ſit, ut oſtendimus, metuendus, quam felicior ille ſperandus, per quem ea poſſemus evadere. Quod ſi igitur Pax inter nos non conciliabitur, & belli eventus Majeſtati tuae & omnium noſtrorum votis non reſpondeat; cogeris immenſos illos & incomparabiles tam diuturni belli ſumptus fruſtra ſuſcepiſſe, atque opulentiſſimum tuum aerarium ad Saracenica vel Turcica, ſi opus eſſet, bella, atque ad alios Reipublicae uſus, tantopere reddidiſſe imbecillius; cogeris tot fortiſſimorum atque optimorum militum, qui tibi partim bello, partim aliis caſibus perierint, irreparabilem feciſſe & ſentire jacturam; cogeris non modo rebelles & hoſtiles Provincias, quarum ipſarum calamitates incredibili te ſemper moerore affecerunt, verum etiam illas, quae & in Catholica Religione, & in fide tua permanſerunt, atque eam fidem longiſſimorum & graviſſimorum malorum patientia declararunt, hoſtilibus populationibus, direptionibus, & caedibus, in quibus tot innocentes peribunt, ſubjeciſſe;

jeciſſe; cogeris tot etiam Procerum & Nobilium tuorum, qui, omni genere periculorum contempto, ſigna tua conſtantiſſime ſecuti ſunt, vel indigniſſimas audire mortes, vel morte graviores aliquando etiam cernere inevitabiles ſuperſtitum aerumnas; cogeris & ipſe, ut ingenue, quod futurum eſt, eloquamur, niſi iniquiſſimas a ſubditis ſuſcipere velis conditiones, perpetuam harum Provinciarum ab imperio ac dominio tuo, ac ſucceſſorum tuorum, experiri alienationem; cogeris denique ipſam illam Catholicam Religionem, cujus ſolius defenſionem per omnes iſtos ſumptus, labores, atque haec tam intoleranda, quae recenſuimus, mala, quaeſiviſti, in ea per omnes has ditiones conjicere pericula, a quorum etiam cogitatione piorum omnium animus merito abhorret. His igitur malis ex infelici belli eventu, pro quo validiores potius quam infirmiores ſunt conjecturae, orituris, ſummae procul dubio imprudentiae conſilium eſſe videretur, eorum ſubire periculum; niſi graviſſima hujus Pacis, quam extimeſcimus, mala, & incomparabiles quaſdam victoriae noſtrae utilitates, ex adverſo illis opponere poſſemus. Audiat ergo Majeſtas tua, ſi placet, qualia ſint vel incommoda, quae vitare, vel commoda, quae conſequi ſtudentes, in memorata pericula nos conjicere non formidamus. Aut me profecto vehementer meum hac in parte judicium fallit; aut nullus futurus eſt, ſi modo prudens, & ſciens rationem ſuam affectu aliquo opprimi non patiatur, qui, Pacem hanc, per quam tam intoleranda mala vitantur, quaeque ea tantum, quae nunc audiemus, ſecum adducit incommoda, bello eſſe praeferendam, judicaturus non ſit. Primum autem, quaenam ea & quam non gravia incommoda ſint,

&

& quibus rurſus ex adverſo commodis compenſentur, ac minora reddantur, nude proponemus: deinde rem ita ſeſe, ut propoſuimus, habere, qua poterimus perſpicuitate, Deo duce, oſtendemus: atque ita demum apparebit, hanc Pacem, cujus me laudatorem eſſe non pudet, neque tam deteſtabilem, neque tam deformem, quam quidam ſibi perſuadent, eſſe judicandam. Supponimus autem id, quod jam aliquoties monuimus, Majeſtatem tuam eſſe paratam Gandenſem adverſariis tribuere libertatem, atque eam ipſis in Religione offerre conditionem, quae fuit, antequam in Brabantia, atque aliis locis publice Sectariorum Conciones & ceremoniae introductae ſunt: atque ideo controverſiae ſtatum eſſe: utrum haec quoque major libertas in quibusdam Civitatibus ſit toleranda. Cur igitur toleranda ſit, has afferimus in praeſentia cauſas. Primum dicimus; exiguum per ſe eſſe diſcrimen inter eum Reipublicae ſtatum, quem Majeſtas tua tolerandum cenſet, & eum, quem illis permittere recuſat. Deinde; Catholicae Religioni non minus periculum ab iſta, quam ab illa imminere libertate. Tertio credimus; vix etiam futurum, ut, tanta exiſtente Proteſtantium multitudine, quibus in illis urbibus templa denegabuntur; & tamen libertas quod velint ſentiendi non eripitur, longo tempore haec pacta ab illis ſerventur, vel etiam a noſtris inviolabiliter ſervanda eſſe cenſeantur. Quarto dicimus; alia quaedam ex maturata hac Pace vitari Catholicae Religionis incommoda, quae non patiantur tantam eorum, quae nos formidamus, periculorum haberi rationem. Quinto ac poſtremo aſſerimus; in ipſa quoque plena noſtra victoria, talia reperiri mala, quae promptiores nos

reddere debeant, ad hanc Pacem illis concedendam. Haec itaque ita ſe habere, in hunc modum oſtendamus. Quod ad primum autem attinet; certum eſt, maximam in quibusdam ex illis civitatibus, ubi Conciones & ſacra a noſtris diverſa celebrantur, ac Catholicis prope parem hominum eſſe multitudinem: Palam omnes illi, quotquot ſunt, a ſacris noſtris abſtinebunt: palam, quid contra ſentiant, ſemper & ubique impune profitebuntur: palam, cum velint, ad ſuos ritus celebrandos in vicinam Hollandiam & Zelandiam proficiſcentur: ac poſtremo quid in privatis aedibus ſuis agant, vel quos interdum conventus habeant, ſi vehementius urgeantur, palam etiam fateri non verebuntur. Quantum igitur, quaeſo, inter hanc tantam libertatem intereſt, & inter eam, in qua certum quemdam locum habere, in quo conveniant, atque in eo publicos ſuos ritus celebrare permittantur? quod ſi alterum ergo ad vitanda calamitoſiſſimi belli mala a nobis impetrari patimur, non eſt, cur, ne poſterius impetretur, illa ſubeunda cenſeamus. Secundo; praecipue animadvertendum, Catholicae Religionis utilitatem, quam ſolam veluti ſcopum hujus belli nobis proponimus, vel paulo, vel potius nulla ex parte ſperari poſſe majorem ex eá Pace, quam nos offerimus, quam ex ea, quam ipſi a nobis flagitant. Manebunt enim ſectariis liberae omnes illae, quibus noſtros ſeducunt, atque ad ſe pelliciunt, convertendi eos rationes, exceptis tantum Concionibus. Quod ad illas porro attinet, notanda nobis admiranda quaedam, quam experientia fere ſemper comprobat, Religionis cujuscumque, ſive vera illa ſit, ſive falſa, cum de incrementis ejus agitur, natura: videmus enim eam maximos ſaepe facere progreſſus

Digitized by Google

greſſus tunc, cum auctores vel ſectatores ejus latere coguntur. Videmus eandem in eodem permanere ſtatu, ubi in illam non inquiritur. Alterum nos Gallia & Belgium docuerunt: alterum haec ipſa, in qua nunc agimus, Colonia, & aliae pleraeque Germaniae civitates, in quibus libera unicuique relinquitur, absque publico tamen exercitio, quicquid ipſi probatur, ſentiendi poteſtas. Videmus praeterea, cum primum admittuntur Conciones, novitatis quidem ſtudio non paucos ex vulgo, ſed leves homines, non ſine Religionis ſuae pernicie, ad eas concurrere: poſtea tamen ex iis, qui non paſſi ſunt ea ſe levitate abduci, omnes prope conſtantiſſime in priore ſua Religione permanere; imo plurimos etiam ex iis, quos novitas illa illexerat, ad priora, quae reliquerant, ſacra redire, & novos illos concionatores deſtituere. Quam ob cauſam non modo nullum majus apparet Religioni noſtrae creari propter Conciones periculum, ſed eo etiam, quod interdictis Concionibus metuimus, minus. Nam hoc etiam experientia comprobatum manifeſte cernimus, Pragae, Auguſtae, atque in reliquis Germaniae locis, in quibus utraque Religio colitur, ita, ut diximus, accidiſſe. Praecipue autem id in Gallia & Belgio quidam animadverſum eſſe ajunt. In Gallia namque, in qua, vigentibus graviſſimis illis haereticorum ſuppliciis, ſanguis illorum, tamquam Hydrae, tantam produxit illorum multitudinem, quae Regi, omnibus ſuis viribus eos oppugnanti, reſiſtere potuit, elanguiſſe potius, quam auctam fuiſſe haereſim, poſt impetratam eam, quam optabant, Concionum libertatem, deprehenſum eſt. In Belgio quoque tredecim abhinc annis intellectum eſt, poſt primum illum populi impetum,



Digitized by Google

nullos ad Calvinianos vel Lutheranos poſtea acceſſiſſe. Poſſet autem fortaſſis hujus effectus aliqua inveniri cauſa, quod, qui Catholica ſacra haereticis, quae adire poterant, praetulerunt, certo jam conſilio, & veluti praemiſſa deliberatione, ſuam Religionem omnibus aliis ſectis potiorem & veriorem, ſicuti revera eſt, eſſe ſtatuerunt. Itaque & per ſe magis immobiles in ea permanent, & jam, non ſine magna inconſtantiae & levitatis nota, ab ea ſe poſſe reſilire arbitrantur. Qui vero nondum accepere hanc alia quoque ſacra conſpiciendi atque adeundi libertatem, a ſectariis oppugnantur, tamquam ii, qui numquam ſuo, ſed alieno ſemper judicio, Religionem, quam colunt, complectuntur: & propterea faciliores ſe ad contraria audienda argumenta praebent: & facilius in laqueos eorum pertrahuntur. Ex his igitur ſatis apparet, non multo majorem, ſi tamen major eſt, ex noſtra quam ex illorum Pace ſequi Catholicae Religionis utilitatem, & proinde eum nos ex ipſa non conſequi finem, quem tot, ut dixi, periculis & malis redimendum cenſemus. Tertio diligenter conſiderandum; vix ſperandum nobis eſſe, ut huic decreto, quo a Concionibus abſtinere jubentur, ſint parituri, tametſi ſancte & ſolenniter id ab ipſis inter alios Pacis articulos promittatur: inſitum enim natura cunctis eſt ferventiſſimum publicae Religionis ſuae ritus colendi deſiderium: ſuam deinde ſectarii multitudinem intuentes iniquiſſime judicabunt, tot hominum millibus interdictam hanc tam natura omnibus optabilem libertatem, & ſpecie pietatis tam vehementer nobis blandientem voluptatem. Intolerandum etiam judicabunt ſibi, tam procul vel ad Nuptias, vel ad Synaxim, vel ad Baptiſmum, vel ad Conciones,

Digitized by Google

ciones, quoties eas audire volent, cum tanto labore & ſumptu ſemper eſſe proficiſcendum; tum alia quaedam in ſuorum ſepulturis, & aliis quibusdam rebus apud nos eſſe toleranda. Adhaec illam ipſam ſuam aſpicientes multitudinem, cum ſe impune ſibi ſumere poſſe videbunt; quod iniquiſſime extortum judicabunt, tandem etiam, invitis noſtris, per vim votorum ſuorum compotes fieri ſtudebunt, armis iterum decertare parati, ſi nos illis cedere gravemur. Et quoniam a principio blande, & ſupplicibus libellis ſunt acturi, noſtri quoque, re diligentius examinata, eodem ſe pertrahi, ni fallor, patientur; cogitabunt & ipſi non tantum noſtra intereſſe, ſi id ipſis permittatur: videbunt, ſecreta nihilominus conventicula celebrari, a quibus ſub Albano quoque Duce coërceri non poterant: intelligent, numquam firmam coalituram inter nos & ipſos concordiam, ſi, qua in re ſe intolerabiliter gravari ſentiant, in eo nos tam pertinaciter illis reſiſtamus. Poſtremo prudentiores facile videbunt, praeſtare ſponte illis in eo obſequi, quod tandem per vim, a qua ſibi temperare non poterunt, ſunt extorturi. Quid igitur, quaeſo, attinet, id tantopere urgeri, quod non ſolum per ipſos, verum etiam prope per noſtros, tam veriſimile eſt firmum & inviolabile non permanſurum? Quarto; ut in praeſentia largiamur, & multum intereſſe Catholicae Religionis, ipſorum hac in parte poſtulatis nullo modo acquieſcere, utque hoc ipſum, quod nobis pollicebuntur, non ſit futurum irritum; ſciendum tamen alia ex parte eſt, ſi bellum continuetur tantum, interim eamdem Catholicam Religionem accepturam eſſe vulnus, ut ejus vitandi gratia aliud illud incommodum, quod ſolum pertimeſcimus,

 mus,

Digitized by Google

mus, & in quod ſolum oculos conjicimus, nobis ſubire non ſit recuſandum. Non opus eſt multis ad id probandum verbis, res ipſa apertiſſime clamat: ex quo funeſtum iſtud bellum primo eſt exortum, plurimos ad haereticos defeciſſe, haereticas Conciones, cum reliquis ipſorum ritibus, publice introductas; Eccleſias noſtras per vim occupatas; Templa ac monaſteria diruta; Eccleſiaſticos & Religioſos multis e locis pulſos; atque in illis etiam civitatibus, quae non tumultu populari, ſed Magiſtratus imperio regebantur, quosdam Catholicae Religioni addictiſſimos, tamquam prae caeteris ſuſpectos, abire juſſos: atque haec omnia reliquos Catholicos, vel ignavia quadam; vel odio Hiſpanorum; vel quia revera imbecilliores erant; diſſimulaſſe: vel metu, ne miſerabiliter ea de cauſa cum ipſis in mediis urbibus confligerent, ferenda eſſe judicaſſe. Moverunt haec quidem quasdam Catholicas Provincias, ut a reliquis Ordinibus eo, quo ſupra diximus, modo, quique non multum nobis adjumenti attulit, ſeſe ſepararent. Certum nihilominus eſt, in iis urbibus, quae a communi foedere nulla ex parte receſſerunt, aliquas eſſe, in quibus nullum adhuc alterius Religionis exercitium cernitur; alias, in quibus paucorum potentia maxima civium parte invita obtruſum eſt; in aliis majore quidem adhuc Catholicos eſſe numero, ſed metu majoris perturbationis tolerare, quod alioquin vi prohibere poterant; alias denique, in quibus & numero & auctoritate, vel potius audacia, Sectarii ſunt ſuperiores. Quis igitur non videat, eodem modo belli continuationem in poſterum in cauſa fore, ut Catholicae Religionis conditio, creſcentibus ubique & numero & potentia haereticis, ac pluribus

bus locis introductis eorum ceremoniis, atque aliis ſuper alias injuriis vexatis Catholicis, quotidie fiat deterior: ſicuti poſt inchoatum & hactenus geſtum bellum, tanto factam eſſe ex hac cauſa deteriorem, tanto noſtro malo experimur. Futurum igitur procul dubio videtur, ut ipſum nos bellum in ea mala ſit praecipitaturum, quorum propulſandorum gratia, tantis ſumptibus, laboribus, atque aerumnis, geritur. Cum autem id ita futurum ii, qui generales Status repraeſentant, qui non ſolum ex Catholicis, ſed ex Eccleſiaſticis quoque conſtant, animadverterent, non ſemel in literis ſuis, ad Fratrem tuum felicis memoriae datis, ea de re conqueſti ſunt: ſed cum, vel caeca ſua propter odium, ex neſcio quibus Hiſpanorum injuriis conceptum, temeritate, vel divina erga hujus miſeri populi peccata indignatione, illam ipſam, quam conſervatam alioquin volebant, Religionem potius prodere, quam a bellandi conſilio deſiſtere, decreviſſent; cauſam tantorum malorum, & everſionis Catholicae Religionis, non ſibi, ſed Hiſpanis, ac Ducibus eorum, imputandam eſſe profitebantur. Quod autem falſo culpam a ſe derivatam in alios conjecerint, ad rem in praeſentia non pertinet. Illud in praeſentia nobis ſufficit, quod experientia quoque nimis, proh dolor! verum eſſe confirmavit, id ipſum per ſe fuiſſe tam perſpicuum, ut omnes eventurum facile & certo praedicere potuerint. Hoc igitur malum, quod ex bello prope neceſſario ortum eſt, & majores quotidie vires, eo durante, procul dubio accepturum, tam grave cenſendum eſt, ut ejus vitandi gratia illa, quae ex majore Religionis libertate pertimeſcimus incommoda, ſuſcipienda nobis omnino eſſe videantur. Quare

tua quoque piiſſima Majeſtas has miſerias; has bonorum Catholicorum injurias; hanc Catholicae Religionis jacturam ante oculos habens, propter haec quoque, animum ad Pacem, quae ſerpens hoc incendium ſiſtat, & quidem celerius conficiendam adjicere debet. Quinto; Majeſtati tuae non minori, quam reliqua, diligentia conſiderandum, ipſam plenam, quam votis omnibus exoptamus, & quo omnes noſtros conatus dirigimus, Victoriam tantum graviſſimorum malorum agmen ſecum habere conjunctum, & tam dubium atque anceps nobis relinquere illud ipſum bonum, quod per eam nos conſecuturos confidimus, ut hac etiam de cauſa ad Pacem animum adjungere, & illa, quae nos movent, incommoda minoris facere nos oporteat, ne per talia media ad propoſitum nobis bonum, quod etiam opinione noſtra futurum eſt minus, tendere cogamur. Cum igitur hujus quoque cauſae conſideratio digniſſima ſit, quae Chriſtianiſſimum Majeſtatis tuae pectus ad miſericordiam & proinde ad Pacem vehementer emolliat, operae pretium omnino eſſe duxi, perſpicua ejus explicatione, haec noſtra pro hac Pace argumenta concludere. Praetermittimus autem in praeſentia ea mala, quae, durante bello, atque ante Victoriam, Catholicae quoque, atque in obedientia & fide Majeſtatis tuae perſeverantes Civitates; quaeque fortiſſimi tui milites; ac tua ſecuti auſpicia Catholici Proceres, Nobiles, atque alii cives, neceſſario ſubire cogentur: quamvis enim haec nullo modo ſint contemnenda, neque abſque ſummo dolore, tum propter eos, qui in hac cauſa omnibus bonis exuti ſunt, vel etiam perierunt; tum ob eos quoque, qui in praeliis, in urbium expugnationibus, atque aliis caſibus perituri

turi ſunt; ante oculos tibi verſari poſſunt, in praeſentia tamen a nobis omittantur; partim, quod victores ſuperſtites digna fidei & conſtantiae ſuae praemia a Majeſtate tua ſunt percepturi; partim, quod libenter & magno animo pro Religione, proque Dignitate tua, & mortui vitam & ſanguinem profuderunt, & vivi profundere parati ſunt. His igitur omiſſis, primum hoſtiles tantum calamitates, in quas, & cum vincentur, & poſt victoriam, incident; deinde, quae peccata a tuis in ipſa Victoria, & quae a victoribus ſimul & victis poſt ipſam etiam Pacem committentur, recenſebo: ac poſtremo in his, quae ad Religionem pertinent, quam non ſit reſponſurus is, qui poſtea ſequeretur, Reipublicae ſtatus, noſtrae de illo opinioni atque exſpectationi, indicare quoque conabor. Haec certe, ni fallor, pietati tuae fidem facient, plenam quoque Victoriam nobis eam non largituram, quam animo concipimus, felicitatem; atque ideo, neque illam nobis eſſe cum tam veriſimili tantorum malorum periculo quaerendam, atque aliquanto etiam iniquiorem Pacem non facile repudiandam. Notandum igitur eſt, integram Victoriam non eſſe nobis ſperandam, vel ob unum atque alterum ſecundum praelium, vel propter unius atque alterius urbis expugnationem; ſive enim hoſtes ad extremum ſuis tantum, non alienis, viribus ſeſe defendent; ſive externum aliquem Principem, cui ſeſe dedant, in belli ſocietatem vocabunt; non accidet nobis, quod in aliis bellis uſu venire ſolet, in quibus, mulctatis vel in exilium actis praecipuis belli ac ſeditionis auctoribus, alii oblatam ipſis qualemcumque Pacem amplectuntur, & metu graviorum malorum in poſte-



Digitized by Google

rum quieſcere ſolent; atque omnibus belli malis victores una, vel paucis victoriis, defunguntur. Hic vero primum inter Catholicos non defuturi ſunt, qui acerbiſſimam potius mortem millies ſunt toleraturi, quam jugum, ut ipſi vocant, inſolentiam, faſtum, injurias ac libidines Hiſpanorum & aliorum militum, qui poſt victoriam erunt intolerabiliores, iterum ſponte ſubituri. Calviniani certe omnes, qui gravius Majeſtatem tuam offenderunt, quique propter Religionem ſe magis exoſos, ac venia magis carituros, intelligunt; quique eripi ſibi ſuam Religionem, omnibus aliis hujus vitae aerumnis intolerabilius, & gravius eſſe ſibi perſuadent, per omnes fere ſuas, in quibus erunt, Civitates, quae permultae ſunt, vel fame & inedia ſe cum uxoribus & liberis prius conſumi patientur, vel in irruptionibus noſtrorum pugnantes maxima ex parte procul dubio occumbent. Quod ſi propter calamitates, quas miſeri cives, vel in unius tantum urbis direptione, patiuntur, mitiora ingenia omne prope bellum deteſtabile atque execrabile arbitrantur; quid tandem de hujusmodi bello ſentiendum, in quo tot numero civitates fortunam hanc experturae ſunt; in quibus victi a victoribus, rebelles, haeretici pertinaces, ac tot in nationem eorum, & Principem contumeliarum, ac tot caedium, tam multis annis terra marique factarum, auctores eſſe judicantur? Non dubitandum ergo videtur atrociora, vel aeque atrocia, per ſingulas urbes crudelitatis exempla edenda, quam in ipſa olim Hieroſolyma, cujus unius calamitatem tot querelis & lachrimis Hieremias proſecutus eſt, ſaeviſſimus Nabuchodonoſor edidiſſe legitur. Et quoniam ad ipſas urbes

Digitized by Google

bes per agros & pagos penetrari neceſſe erit, ejusmodi profecto, & quidem miſerabilior videtur fore, per tot cultiſſimos olim agros, per tot pulcherrimos & frequentiſſimos pagos, vaſtitas, ejusmodi miſerorum ruſticorum, cum uxoribus & liberis tam variis modis pereuntium, calamitas; qualem Prophetae quoque deſcribere ſolent, cum fertiliſſimas regiones a ſilveſtribus tantum feris in poſterum incolendas deplorant. Atque haec quidem mala in ipſa victoria contingent, quibus non minus atrocia futura ſunt, quae poſt victoriam quoque miſeri patientur. Nam, quia inter tot omnis hominum generis, aetatis, ſexus, & ordinis caedes, nonnullis, quibus victores imperent, parci neceſſe eſt, & quia imbecilliores urbes, & pagi hoſtem absque dimicatione recipere coguntur; & quia, rebus jam prope deſperatis, nonnullorum etiam pertinacium animi franguntur, & fortunae cedunt; ac poſtremo, quia ex Catholicis multi facilius in gratiam recipientur, non obſcurum eſt, qualis deditorum futura ſit poſt victoriam conditio. Ea certe futura eſt, qualis hominum eſſe ſolet ſubiratis, & multis injuriis laceſſitis, & inclementibus victoribus, atque imperium ſuum armis, arcibus & praeſidiis ſemper tuentibus, diriſſimis legibus ſervientium. Nihil igitur malorum, vel in tolerabilibus vectigalibus, vel in aliis oneribus, vel in militaribus injuriis, quibus tales victores, ut ipſorum judicio criminum reos, juſte ſe afficere poſſe arbitrantur, cogitari poteſt, quod illi in poſterum tolerare ac perpeti non cogentur. Et quibusdam quidem ex illis malis Majeſtas tua, quamvis id maxime optet, mederi non poterit, quia, jure ſuo ſe uti victores credentes, non facile moderationem imperantibus mandatis

hac

hac in parte tuis parituri ſunt: quibusdam vero interdum nolat, partim ob recuperandos aliqua ex parte immenſos longiſſimi belli ſumptus; partim novae ſeditionis ac rebellionis metu. Et quoniam plurimi, ac praeſertim Calviniani, futuri ſunt, qui, deploratis jam rebus, in patria manere non audebunt, accedet ad memorata illa mala, non paucorum, ſed innumerabilium exulum ipſa Babylonica longe miſerabilior & deformior transmigratio; quae omnes vicinas, & forte remotas aliquas Provincias illis implebit, ſi modo portas illi ſuas miſeris aperire, ac tantam multitudinem recipere non gravabuntur. Hae igitur tam atroces tot hominum millium ante oculos poſitae calamitates quodvis, a miſericordia non prorſus alienum, nedum tuae Majeſtatis clementiſſimum, pectus movere profecto debent; ut ejusmodi victoria, quae talem editura eſt in hoſtes tuos, quorum tu tamen Pater, Princeps, ac Dominus es, ſtragem, ac morte quoque ipſa duriorem victis impoſitura eſt conditionem, horrori quodammodo tibi eſſe, atque ad quamlibet cum ipſis transactionem approbandam, nunc quoque te faciliorem reddere incipiat. Sed nondum ſunt haec omnium graviſſima mala, quae tam ſanguinaria Victoria paritura eſt. Reſtat aliud malorum genus, quod ex criminibus conſtat, quae a tuis in ipſa Victoria & poſt Victoriam ab utraque parte committentur. Haec autem victoriae ſpeciem apud omnes pios longe deformiorem efficere debent, cum tanto ſint animorum mala graviora, quam corporum. Tam certum autem eſt, ea crimina perpetranda, quam dubium non eſt, eas, quas recenſuimus, corporum calamitates eſſe metuendas. Nullum eſt bellum, Clementiſſime Princeps, in

in quo milites, qui eo ipſo quod militiam amant, maxima ex parte crudeles, iracundi, & libidinoſi ſunt, ad eum, quem ſibi proponunt in militando ſcopum, quem conſtat eſſe divitias, per omne fas & nefas, ac per omne genus criminum, per profanarum & ſacrarum aedium ruinas, ſive incendia, ac per quosvis cadaverum cumulos ruere non ſint parati. Quare, ne haec admittantur, pii Principes non pauca bella, quae ex cauſa alioquin juſta eſſent, ſuſcipere non deberent. Nam quamvis ipſi ea crimina fieri non jubeant, imo etiam averſentur, ac punire ſoleant; quia tamen & experientia docet, ea fieri, & ratio oſtendit in tam corrupta praeſertim militari diſciplina, omnino & certo eſſe metuenda, facile intelligere poſſunt, ſibi quoque quodammodo ea poſſe imputari, ſi omnem quomodocumque juſtam cauſam ad bellum aliquod ſuſcipiendum ſufficere arbitrantur; & non extremam quamdam exſpectent, quamque vix ſine ſcelere contemnere nequeant, bellandi neceſſitatem. Quoties igitur aliquae ſunt cauſae, quae nos ad tranſigendum invitant, quales non leves in hoc bello exiſtere oſtendimus; eas propterea quoque cupidiſſime amplecti debemus, ut illa militaria, ac Deo execranda, flagitia non committantur. Jam vero ſi aliquod eſt bellum, in quo haec crimina metuenda ſunt, vix ullum forſan inveniemus, quod cum hoc noſtro ſit comparandum; in quo & odium, & ira, & contemptus hoſtium apud noſtros victores futura procul dubio ſunt, quam in alio ullo bello, majora. Itaque in urbium expugnationibus minus ulli aetati, vel ſexui, vel hominum ordini, parcent; in populationibus & incendiis ſaevius & crudelius, quam in aliis bellis, graſſabuntur; in rapinis, quia omnia

omnia omnium civium, etiam innocentiſſimorum, bona ſua eſſe ſibi perſuadent, nihil, quod rapi vel corrumpi poterit, illis relinquent; atque in ipſis ſtupris & libidinibus flagitia ſua apud Deum magis excuſata arbitrabuntur; atque in iis non libidinem tantum ſuam, verum etiam odium & vindictae cupiditatem, explere conabuntur. Utcumque enim illi jactaturi ſunt, tam rebellibus ac pertinacibus haereticis haec juſte inferri; ſi tamen efferatum ſuum in his rebus animum conſideraverint; ſi quam procul ultra omnes charitatis & juſtitiae leges progrediuntur; ſi multitudinem puerorum, foeminarum, & ſenum (inter quos plurimi reperiuntur Catholici, & quidem animo noſtrae cauſae perpetuo vehementer addicti) malis illis indigniſſimorum, ante oculos habuerint; ſi denique nullam eſſe cauſam, quae ſceleris magnitudinem, quae in ſtupris illis invenitur, extenuare merito poſſit, animadverterent; ipſi quoque hoſtes, ac praeſertim indigenae, qui civile cum popularibus ſuis bellum gerunt, ſi modo quippiam in illis relictum eſt humanitatis, Pacem amare, atque ab hoc bello, in quo tot monſtra edituri ſint, abhorrere deberent. Tuam certe Majeſtatem fortiſſimis & optimis militibus, ut haec ſcelera non committant, gladiis furentium manibus per hanc, quam optamus, Pacem ereptis, parcere oporteret. Atque haec quidem ea duntaxat crimina ſunt, quae in bello & victoria tua nobis merito ſunt pertimeſcenda. Reſtant nunc alia, quae ſi his non ſunt atrociora, at longiore ſane tempore ſunt duratura, quae poſt victoriam, jam non modo a victoribus, verum etiam a victis, conſtituta jam Republica, committenda quoque tam certo proſpicimus. Ut vero haec quoque peccata breviter

ter intelligamus, conſiderandum primo eſt, quo ingenio & natura ſint victores, & quo pacto erga victos ſint animati, & quale praeterea de ipſis, & cauſa eorum, judicium afferant. Erunt ergo victores milites & praefecti militares, exteri, & harum Ditionum proceres & nobiles, atque opibus & honoribus ante hoc bellum in patria florentes, quorum aliqui, omnibus hoſtilibus incommodis a victis ſeſe per hos annos affectos, alii praefecturis, honoribus & opibus ſeſe exutos, meminerunt. Tam hi autem, quam illi, eosdem victos non ſimpliciter laeſae divinae & humanae Majeſtatis reos; verum etiam in his omnium graviſſimis criminibus, inſolentia, & audacia cunctis fore aliis improbiores, arbitrantur. Tales igitur victores, ejusmodi hoſtes in poteſtatem ſuam redactos habentes, primum idem illud, quo eos hactenus perſecuti ſunt, implacabile, & cum Chriſtiana charitate ex diametro pugnans, odium retinebunt: propter odium deinde ſingularem ſentient, neque a Chriſtiana pietate minus alienam, ex victorum calamitate laetitiam, quam verbis & factis, miſeris per omnem occaſionem inſultando, declarare atque augere conabuntur. Ad haec omnibus irae ſtimulis, quam illud ipſum odium, & veterum injuriarum memoria, excitabit, ad omnia, quae dolorem ipſis afferre poterunt, incitabuntur. Itaque veluti ſervos, & quidem ſervitute digniſſimos, herili ſuperbia contemnent, & tractabunt: ad nullas dignitates vel honores aditum illis patere patientur: atque omnibus modis vexare, ſpoliare, atque indigniſſime tractare non deſinent. Poſtremo, quoniam majoribus quoque malis dignos arbitrabuntur; & quia metum novarum rebellionum & ſeditionum non exuent, non modo nulla

in

in tot illorum malis miſericordia movebuntur, verum etiam nulla conſcientia deterrebuntur, quo minus in illis expilandis, &, ſi fieri poſſet, deglubendis, omnes avaritiae & crudelitatis ſuae habenas laxandas eſſe judicent. Hoc igitur modo non exteri ſolum, miſeros hos populos, verum ipſi Belgae, & quidem, quod in civilibus diſſidiis fieri ſolet, acerbioribus quam exteri animis, atque ideo majore ſcelere, populares ſuos perpetuo tractaturi ſunt. Quod ad victos vero e diverſo attinet, ſatis etiam conſtat, quale & ipſi quoque de hoſtibus judicium, & qualem erga eos habituri ſint animum. Perſuaſum illis eſt, omnes victores milites, & praeſertim Hiſpanos, ſuperbia, crudelitate, avaritia, & libidine, in miſeros victos eſſe intolerabiles. Et hos ergo & omnes alios, quotquot eos hactenus oppugnarunt, habituri ſunt pro crudeliſſimis tyrannis, qui, fortunas, libertatem & vitam eorum, cum filiarum quoque & uxorum pudicitia, bello petentes, ipſos tandem, poſt tot praecedentes clades, per miſerabilem hanc victoriam in poteſtatem redegerunt; de ſuis vero proceribus & nobilibus, atque aliis civibus deterius etiam, quam de Hiſpanis, ſentient; quippe qui ipſorum judicio, in patria ſua in ſervitutem redigenda, ſocios ſeſe Hiſpanis adjunxerunt, vel potius miniſtros praebuerunt: atque eadem cum illis ſcelerata, ex libertate oppreſſa, de ſubactis civibus, praemia concupiverunt. Cum autem inter victos magno numero futuri ſint Calviniani; hi praeterea victores ſuos infideles & idololatras, & verae Eccleſiae Dei per crudeliora ſupplicia, quam umquam ab Ethnicis excogitata ſunt, perpetuos perſecutores, & vaſtatores eſſe judicabunt. Erit igitur in his acerbius etiam & atrocius, quam in

Digitized by Google

in victoribus odium: non poterunt illi quidem, armis & viribus deſtituti, magnitudinem ejus factis declarare, ſed ſi apud Deum nocendi voluntas pro facto habetur, animo ſaltem hi quoque futuri ſunt omnium illorum criminum rei, quae rebus ipſis victores admittent. Et, quia palam ob metum nihil audebunt, apud ſe ſaltem perpetuis execrationibus doloris ſui magnitudinem teſtabuntur; &, in omnem vindictae occaſionem intenti, cum vitae quoque periculo, qualemcumque ipſis oblatam occaſionem cupidiſſime ſunt amplexuri. Cum igitur Chriſtiana charitas, ſine qua nos neceſſe eſt in morte, in ira, atque in odio Dei perpetuo manere, tam procul a victis & victoribus exulatura ſit: cumque in charitatis locum deteſtabiles illi, quos memoravi, affectus, ex quibus, oblata poteſtate, opera quoque cum ipſis congruentia ſemper naſcentur, in utriſque ſucceſſuri ſint, omnes facile vident, eum poſt victoriam fore Reipublicae ſtatum, in quo, ut alia peccata deſint, horum tantum criminum gratia, quae victoriam ſequentur, & victi ſimul & victores, ſive Catholici ſint, ſive haeretici, futuri ſint Gehennae filii. Cum igitur his vitiis & peccatis, quae non ſecus nos in Gehennam, quam haereſes, praecipitant, per victoriam & poſt victoriam obnoxium ſit futurum univerſum Belgicae Reipublicae corpus, quod fere ex victoribus tantum & victis conſtabit; hic quoque Pietati tuae aeſtimandum relinquo, quantum haec quoque cauſa incitatum, ob contrarias rationes, ad bellandum animum retardare debeat, quando per qualemcumque Pacem, animis, ut ſpero, divina gratia mediocriter coalituris, & veterum malorum aliqua oblivione introducta, maxima procul dubio Satanae,



Digitized by Google

ad innumerabiles animas per iſtam occaſionem in exitium pertrahendas, poteſtas eripitur. Reliquum ergo tantum eſt, ut hoc quoque oſtendamus, illam ipſam, quam quaerimus, victoriam, longe minus, quam nobis perſuademus, ad propoſitam nobis per illam utilitatem, hoc eſt, ad ſectarum exſtirpationem, habituram eſſe momenti. Innumerabiles quidem ex Sectariis & bellum abſumpſerit, & fuga in alias regiones expulerit, certum nihilominus eſt, plurimos per Hollandiam & Zelandiam, permultos etiam in reliquis Provinciis, atque in iis praeſertim locis, ubi Conciones & templa habuerunt, in ſuis haereſibus permanſuros: quicumque ergo reliqui futuri ſunt, ſuppliciorum metu compulſi, ad haereſim etiam hypocriſin adjicient, domi nimirum atque in animo tamquam ſumma ſacrilegia execrantes, quae ſeſe nobiſcum colere palam ſimulabunt & propterea publicis haereticis longe futuri ſunt deteriores. Carituri quoque iidem ſunt publicis Concionibus, ſed abſque dubitatione habituri & frequentaturi ſunt ſecretas, a quibus, non minus, ut experientia probat, quam ſi publicae ſint, nocentibus, nullo umquam tempore, nulla noſtra diligentia, nullo ſuppliciorum metu abſtinuerunt. His porro ita ſeſe habentibus, quis Deus ſecuros nos reddere poterit, latens hoc incendium, poſt hanc ſaltem Victoriam opprimendum, cum illae ipſae cauſae maneant, propter quas tantas vires, ac tanta ſemper & ubique accipere ſolet incrementa. Manebit eadem in illis pertinacia, noſtra, ut illi interpretantur, in illos aucta crudelitate. Manebit eadem in illis ſpargendi ſui in alios veneni diligentia; manebunt libelli, qui, tamquam muti concionatores, arma illis & ad ſe confirmandos, & ad alios

alios pervertendos, ſuppeditabunt. Manebunt eadem, quae prius, cum vicinis undique populis, eodem veneno infectis, commercia. Manebunt iidem apud nos abuſus, in quibus eadem futura eſt vis, non ſolum ad ſimplices Catholicos, verum etiam ad doctos, & ſalutis ſuae curam non abjicientes, in caſſes eorum pertrahendos, quam, tanto Eccleſiae Catholicae malo, in illis exſtitiſſe ſuperioribus annis didicimus. Manebit, ut opinor, ſupina noſtrorum in veris remediis adhibendis, de quibus poſtea quaedam dicturi ſumus, negligentia. Sola tantum manebunt ſupplicia, quae paucas quidem & exiguas ſcintillas, tamquam validi quidam flatus, opprimere aliquando poſſunt, ejusmodi tamen, quale nunc videmus, incendium augere potius, quam extinguere, deprehenduntur; habet enim hoc remedii genus duo mala, quae vehementer adverſantur morbo, cui curando adhibentur. Nam primum morientium conſtantia complures haereticos in errore confirmat, & ipſos frequenter invitat Catholicos, ut minus ſuſpectum id judicent, cujus gratia viros, alioquin non improbos, tam conſtanter mortem ſubire animadvertunt. Deinde, quia, propter eadem illa ſupplicia, Theologos & Eccleſiaſticos noſtros, per quos haeretici ab erroribus deduci debent, non patrum loco, qui ſalutem filiorum quaerant, ſed luporum, qui ſanguinem eorum ſitiunt, habere ſolent: praeſertim, cum ipſos quoque ſeculares Principes per eos ad majorem acerbitatem perpetuo inflammari ſibi perſuadeant, non poſſunt ab illis, quos ita oderunt, ad ſaniorem mentem converti. Praeterea, quia nusquam libera, nusquam amica colloquia, vel collationes, nanciſci poſſunt, neque aliud fere quicquam, quam convitia & minas audire



Digitized by Google

coguntur, hinc etiam fit, ut utiliſſimo priventur converſionis ſuae remedio. Poſtremo, corruptiores forte poſt victoriam reddentur omnium apud nos Ordinum mores. Gubernatores & Praefecti utriusque ordinis vim ſuam forte magis oſtendent in amiſſis ſuis bonis, cum foenore quoque, ſi ſit opus, recuperandis, quam in moribus reformandis. In militibus, quibus, tamquam neceſſaria victoriae tutela, plena futura ſunt omnia, eadem, quae in aliis, erunt, luxus, intemperantiae, avaritiae, quam odium in miſeros ſubditos magis exacuet, atque arrogantiae vitia. Nobiles, mercatores & alii cives nulla majore in poſterum diſciplina ſua quoque vitia, quibus nonnulli magis etiam indulgere dicuntur, quo magis abſint ab omni haereſis ſuſpicione, exuere non cogentur. Eccleſiaſtici denique ad dignitatem, authoritatem, & ad opes ſuas, addam etiam ad voluptates, reverſi, & ipſi quoque magis inſultatione & acerbitate in haereticos atque in retinendis abuſibus, quam in moribus ſuis, qui tantam huic morbo cauſam praebuerunt, emendandis, ſe triumphaſſe tandem de hoſtibus demonſtrabunt. His ergo, ut dixi, ita ſeſe habentibus, non poſſumus eſſe ſecuri, latens hoc in viſceribus noſtris malum, quod tot habet creſcendi cauſas, quodque, cum tam exiguum eſſet, & tam imbecillum, nullis noſtris ſuppliciis comprimi potuit, majores paulatim vires adepturum, atque in hujus ſimile bellorum incendium, ſive ſuis tantum viribus in nos haeretici conſpirent, ſive cum vicinis conſilia communicent, non erupturum. Quamobrem palam factum eſſe arbitror, noſtram illam tantis tuis curis, ac tam immenſis ſumptibus, ac tanto tuorum ſanguine, partam Victoriam, ſupra tot, quae eam comitabuntur,

tur, intolerabilium malorum & ſcelerum examina, longe minus nobis allaturam, quam prima fronte videtur, ad propoſitam nobis utilitatem adjumenti: atque ideo horum quoque malorum conſiderationem in cauſa eſſe debere, ut qualemcumque Pacem (ad quam a nobis impetrandam ſupra memoratae rationes ſatis ſunt efficaces, tametſi haec ad illas non accederet) longe minus exhorreamus, ac longe facilius admittere non dubitemus. Atque haec quidem, inviĉtiſſime Rex, ut finem aliquando huic parti imponamus, ſint argumenta, propter quae, noſtro ſaltem judicio, ratio videtur evincere, ut merito Majeſtas tua acquieſcere poſſit Ordinum poſtulatis, tametſi, in quibusdam extra Hollandiam & Zelandiam civitatibus publicum alterius, quam Catholicae, Religionis exercitium (quod certis tamen legibus aſtringatur) admittendum eſſe, contenderent. Nos quidem, quantum in nobis eſt, daturi ſumus operam, ut Pacem ab illis impetremus Gandenſi quoque aequiorem. Deinde, cauſis illis, ut diximus, explicatis, propter quas a bonis omnibus non ferenda judicanda ſit illorum iniquitas, & in Principem ſuum immodeſtia: ſi Gandenſi quoque tam favorabili ipſis contenti non ſint foedere; & demonſtratis etiam tot malorum myriadibus, quibus miſeram ſuam patriam iterum involvent, ſi Majeſtas tua ultra illam ſaltem Pacem nihil a ſe impetrari patiatur, ipſos in ſententiam noſtram pertrahere conabimur: quod, ſi ne hoc quidem obtinebimus, illi certe apud omnes, ut dixi, bonos exiguam conſequentur modeſtiae vel aequitatis laudem; nos tamen nihilominus minus e duobus malis elegiſſe, rationi & aequitati paruiſſe, ac ſubditorum noſtrorum ſaluti miſericorditer conſuluiſſe dicemur; ac



Digitized by Google

noſtrae hac in parte moderationis & clementiae fructum a Domino exſpectabimus. Itaque, ut eo, unde digreſſi ſumus, redeamus: hae praeterea ſunt illae rationes, quae hoc etiam, ſicuti reor, efficient, ut, nullam a Majeſtate tua, vel ardentiſſimo tuo in Catholicam Religionem zelo, vel Nominis tui ſplendori ac dignitati, per Pacem hanc fieri injuriam, ſanctis & piis judicibus perſuadeatur; quaeque proinde, ſalva tua pietate & dignitate, eadem animi magnitudine clementer & miſericorditer probari poterunt, qua bellum hactenus, nullis vel laboribus, vel ſumptibus deterritus, geſſiſti. In ſumma, Clementiſſime Rex, cum hinc quidem ea, quae tibi in hac Pace diſplicitura non dubito, apud me reputo, fateri ſane cogor, & quidem cum gravi animi mei moerore, eam, non in ſpeciem modo, ſed revera, deformem, & tua Majeſtate prorſus eſſe indignam: alia tamen ex parte, allatas rationes ante oculos habens, juſtam, aequam, Reipublicae ſalutarem, & quia ſine veriſimili atrociſſimorum malorum periculo repudiari non potuit, Deo Opt. Max. gratam eſſe certiſſime confido. Quamobrem per eum ipſum Deum Opt. Max. Clementiam tuam obteſtor, ut, cogitationibus tuis ab illa, quantacumque eſt, indignitate, ad haec, de quibus egimus, abductis, natura tua digniſſimos miſericordiae, quod pollicitus es, affectus aſſumere; atque omnium, quotquot umquam fuerunt, afflictiſſimorum populorum, tibi commiſſorum, per hanc Pacem, felicem illius a Deo eventum poſtulando, miſereri digneris; quod ut aequiore animo facias, cogitare quoque inter alia poteris, nullam eſſe, vel fuiſſe, tantam alicujus Principis in orbe potentiam, cui pro arbitrio ſuo, tametſi juſte, poteſtate ſua ſemper uti ſit permiſſum,

qui-

Digitized by Google

quique non interdum aliqua, tam a ſuis, quam ab alienis, invitus ferre cogatur. Fortaſſis ita placitum eſt Deo Opt. Max., ut, ſolum ipſius brachium ad omnia, quae vult in coelo & terra facienda, potens eſſe agnoſcentes, non nimis magnam fiduciam in noſtris viribus collocemus. Cum vero jam olim Domino placuerit, tuam & aliorum potentiſſimorum Principum modeſtiam & obedientiam hoc adverſitatis genere exercere, minus grave videri tibi debet, eam hoc quoque tempore declarare ac Deo probare. Nihil magis Pietas tua, jam inde a ſuſceptis tot regnorum gubernaculis, optaſſet, quam ut eadem felicitate Catholicae Religionis puritatem, in his quoque Provinciis, retinere potuiſſet, qua eam in Hiſpania atque aliis tuis regnis incorruptam hactenus retinuiſti; coëgit te tamen neceſſitas, ut, non obſtante omni tua diligentia, haereſes in his locis quotidie magis ac magis invaleſcere videres. Ante annos quinque, majore jam adductus neceſſitate, in conventu Bredano nihil aliud poſtulaſti, quam ut, quotquot Hollandorum & Zelandorum Catholicam Religionem non probarent, ſine ulla infamiae nota, ſine ulla bonorum ſuorum jactura, Provinciis illis diſcederent, atque immobilia ſua bona ad certum usque tempus per procuratores ſuos adminiſtrarent. Itaque ea duntaxat in tuos poteſtate fuiſti contentus, quam non ſolum Reges ac Duces, ſed Comites, Barones, & ſinguli in ſuis civitatibus Magiſtratus, ſive Catholici, ſive Lutherani, per Germaniam obtinent. Succeſſit poſtea, propter militum tuorum, ut Belgae loquuntur, intolerabiles injurias, exitialis illa Catholicorum cum haereticis conjunctio, in qua utrique, contra milites tantum tuos ſe arma ſumere

 profi-

profitentes, te quoque per illos oppugnarunt. Cum vero hoc quoque bellum componi velles, illam tandem Religionis libertatem ratam habere non recuſaſti, cujus ipſi inter ſe Gandavi fuerunt authores. Patere igitur, clementiſſime Rex, te ad hanc quoque, quam poſtremo hi tumultus a Majeſtate tua exigunt libertatem, ſi modo ea, quae debet in illa certis legibus aſtringenda, habeatur Catholicae Religionis & Majeſtatis tuae ratio, illis permittendam pertrahi; ut, quos jam aliquoties affectus ob temporum neceſſitatem pie & ſapienter ſuperaſti, in hac quoque, non multo majore, ac vix magis metuenda, ut oſtendimus, libertate toleranda, propter cauſas a nobis allatas, publicae utilitati cedere patiaris.

REX. Audivi, qua potui diligentia, chariſſime Dux, tuas rationes, ac per eas ſententiam meam, quod fieri poſſe non credebam, expugnatam eſſe confiteor, ac proinde, me quoque in eamdem ſententiam diſcedere, confiteri cogor, ſi modo iſtis etiam Principibus, eadem illa, neque Catholicae Religioni, neque Dignitati meae adverſari, videbitur. Video namque de Gandenſi Pace ſubditis concedenda, rebus in hunc locum adductis, non eſſe nobis amplius dubitandi locum. Video, Catholicum & pium Principem absque divinae Majeſtatis offenſa, publicum alterius, quam Catholicae, Religionis exercitium in ſuis Ditionibus aliquando poſſe permittere. Video cauſas illas, quas Frater, felicis memoriae, in ſua Pacificatione ſecutus eſt, pro juſtis, ob temporum ſaltem neceſſitatem, a Theologis & Juriſperitis habitas, atque a nobis quoque confirmatas. Video valde ancipitem atque incertum haberi debere hujus belli, ſi in eo progrediamur, eventum. Video certiſſimum prope totius

Catho-

Catholicae Religionis exitium, & alia ſecutura atrociſſima incommoda, ſi, quod abſit, in eo Deus nobis non largiretur Victoriam. Et, quia omnis in eo ſita eſt controverſia, utrum ſupra pacem Gandenſem aliquid praeterea adverſariis ſit concedendum, cauſas etiam illas audivi, quae in tam dubia & ancipiti noſtra victoria, & tam gravibus triſtioris eventus periculis, poſſe nos etiam aliquid illi adjicere libertati, eviciſſe mihi videntur. Intellexi enim, quam exiguum ſit, inter utramque libertatem, tam in re ipſa, quam in ſcopo, qui nobis in hoc negotio proponitur, diſcrimen. Intellexi, non eſſe prope dubitandum, rem tandem eo, quo haeretici volunt, evaſuram, tametſi nobis haec ipſa, quae ab ipſis poſtulamus, ſervaturos ſe ſancte pollicerentur. Vidi etiam, quod praecipue me commovet, hujus belli, quod cito finiri nequit, eam eſſe naturam, ut neceſſe prope ſit, ſi Pax differatur, haereticorum numerum perpetuo augeri, Catholicorumque Religionem quotidie magis ac magis opprimi; atque ideo ipſam, quam tantis ſumptibus & periculis bellando quaerimus, utilitatem, ad quaerendam potius atque accelerandam Pacem, nos impellere atque inflammare debere. Poſtremo, oculis quoque intuitus mihi eſſe videor, quae noſtram quoque victoriam circumdant & comitantur, tam calamitatum quam ſcelerum agmina: quamobrem, tum propter inamabilem hanc victoriae ſpeciem, tum quia ea ipſa Victoria tanto opinione minorem, ad eam, quam quaerimus, Catholicae Religionis reſtitutionem, allatura videtur utilitatem, allatis a te pro Pace argumentis minus repugnare poſſum. His itaque de cauſis a te perſuaſus, & in

tuam ſententiam pertractus, magna aviditate nunc exſpecto, quem tandem modum huic libertati praeſcribendum cenſeas; & quibus rationibus caveri mihi poſſe judices, ut eam, in quam convenietis, concordiam, ſalvam & inviolatam per adverſarios fore merito confidere poſſim: nam; ſi hic quoque, hujus meae patientiae, aequitatis, ac manſuetudinis oblivifci pergentes, atque ejus, quam legitimo ſuo Principi debent, reverentiae immemores, contumaciores ſeſe, vel minus tractabiles, praebebunt: ſi miſeri, qui inter illos Catholici ſunt, qui, leves Hiſpanorum injurias ferre non valentes, ſe ſimul & Catholicam Religionem, quantum in ipſis fuit, per deteſtabilem illam cum Calvinianis conjunctionem peſſumdederunt, nobis, non tam pro noſtra Dignitate, quam pro ipſorum Religione ac ſalute, laborantibus, non multo majorem, quam hactenus praeſtiterunt, ut ipſis & Religioni eorum plenius caveatur, ſolicitudinem oſtendere parati ſunt: ſi & hi & Calviniani, miſerrimae patriae calamitatibus nondum ſatiati, majore illam quam umquam incendio flagrantem videre cupiunt, ego quoque, meae oblitus patientiae, rem in id, quod ipſi ſibi accerſunt, periculum devocabo, ac, Deo juſtiſſimam meam cauſam fortunante, ipſis, ut ſpero, oſtendam, ut hanc Pacem illis offerre non dubitem, non virium mearum imbecillitatem, ſed clementiam & moderationem meam, in cauſa fuiſſe.

DUX. Dubium non eſt, clementiſſime Rex, quin haec a te juſtiſſime dicantur, quamobrem, ſicuti merito gratias agimus, quod, miſericordiae tuae potius, quam ſeveritatis, memor, tantam, ob harum Ditionum ſalutem, in animo tuo orationem meam

Digitized by Google

meam vim habere permiſeris: ita etiam omnes tui, eo, quo debemus, affectu, omnes opes, & vires noſtras, ad tam juſtam cauſam defendendam adverſus tam ingratos ſubditos, ſi, quod aequum eſt, non fecerint, offerimus.

Ingreſſurus itaque ſecundum hoc inter Majeſtatem tuam & Ordines controverſiae caput, ante omnia de humani generis in promiſſis & foederibus, juramento quoque confirmatis, violandis facilitate paucis diſſerere conſtitui; tum quo minus mireris, a tua quoque praeſtanti natura alias ſupra promiſſum & jusjurandum exigi cautiones; tum etiam, ut adverſarios ea ſaltem, qua potes, ne quicquam contra conventa moliantur, neceſſitate conſtringas, quando per diſceſſum e Belgio tuorum exercituum plene tibi caveri non poteſt. Experimento namque cognitum eſt, & ſanctiſſima foedera frequenter violari, & bonis quoque interdum viris ſpecioſos quosdam praetextus imponere, ne ullam ex praecedenti ſuo jurejurando obligationem oriri ſibi perſuadeant. De hac igitur hominum imbecillitate mihi cogitanti illud primum, non levi admiratione dignum, occurrit, quod, cum nullus ignoret, quantum & quam perniciosum humano generi ſcelus ſit, datam per juramentum fidem non ſervare, non majore diligentia non ſolum a bonis, verum etiam ab iis, qui non improbiſſimi ſunt, eas examinari cauſas, propter quas quilibet, ſe jurisjurandi vinculo non aſtringi, tam facile ſibi perſuaderi patitur. Nullus enim ignorare poteſt, omnium prope criminum graviſſimum eſſe, & Deum, qui veluti teſtis in omni juramento producitur, falſum, quantum quidem in ipſo jurante eſt, tribuere teſtimonium; & caput & vitam ſuam omnibus illis execrationibus,

Digitized by Google

bus, quas juramentum tacite & expreſſe complectitur, reddere obnoxia. Nemo praeterea illud etiam ignorat, jusjurandum a Deo permiſſum, vel inſtitutum, eſſe: ut, ejus interventu, homines & ſibi mutuo certo credere, & foedera inter ſe tuto inire; atque ea alii ab aliis conſequi poſſint, quae alioquin ſe nullo modo conſecuturos ſperarent. Usque adeo vero certum, hanc eſſe a jurisjurandi Religione utilitatem ſperandam, vel potius hujus utilitatis cauſa jusjurandum a Deo permisſum, ut ipſi etiam latrones, cum per vim ab iis, quos in ſua poteſtate habent, juramentum extorquent, eam, quae ipſis promittitur, pecuniam accepturos ſe confidant. Quod igitur Paulus Apoſtolus ad Hebr. cap. 4. docet, omnem inter homines controverſiam accipere finem, ſi jurisjurandi quoque accedat confirmatio, id non propriam quamdam ſacrarum literarum doctrinam eſſe intelligimus, ſed ſententiam omnibus hominibus, Graecis ſimul & Barbaris, atque ipſis adeo latronibus, altiſſime a Domino inſitam atque impreſſam. Quamobrem & hinc quoque ſatis apparet, hujusmodi perjurium & graviſſimum ab omnibus judicari crimen, quod otioſam nobis reddat hanc Domini inſtitutionem; & humano generi pernicioſiſſimum, quod cauſam afferat, cur multi ſaepe inter privatos contractus non celebrentur; multa inter Principes foedera non ineantur; atque ideo neque commoda illa conſequi poſſimus, quorum gratia convenire nos cum adverſariis expediebat; neque graviſſima interdum mala vitare, quae, ſalva jurisjurandi authoritate, procul dubio vitaſſemus. Cum haec ita ſeſe habeant, non levi, ut dixi, dignum videtur admiratione, hujus ſceleris, quod ipſimet, qui eo inqui-

Digitized by Google

quinantur, tam atrox & pernicioſum eſſe noverunt, tam multa, omnibus ſeculis atque omnibus locis, extitiſſe, atque nunc etiam extare exempla.

REX. Et ipſe etiam vehementer admiror turpiſſimam hanc, in tanto ſcelere admittendo, hominum facilitatem, atque ideo cauſam quoque hujus improbitatis, ex te cognoſcere ſummopere cuperem.

DUX. Dubium non videtur, clementiſſime Rex, quin hoc quoque ſcelus ex eodem fonte oriatur, quo reliqua fere omnia, hoc eſt, ex nimio quodam propriae utilitatis amore. Propterea vero amor hic, cum de promiſſi alicujus fide agitur, tantas ad eam violandam vires habere ſolet, quia plerumque & illud ipſum, quod promittitur, ſine magno promittentis incommodo praeſtari non poteſt, & ejusmodi hominibus id promittitur, quibus iratus & infeſtus promittens eſt, quod, ob hanc & alias cauſas, injuriam ſibi factam eſſe arbitratur: huc deinde accedit, quod nullum fere crimen eſt, in quo frequentius aliqua ſeſe ingerit honeſtatis ac juſtitiae ſpecies, quae, ſua ſponte jam incitatum ad violandum promiſſum, animum in eamdem partem facilius impellit. Operae pretium autem fuerit, eos juſtitiae ſive praetextus ſive colores breviter cognoſcere, quo videamus, tum quot modis miſera noſtra imbecillitas ad hoc tantum & humano generi tam pernicioſum ſcelus committendum tentetur; tum quo pacto ſingulis illorum verior & ſanctior ratio, ne ab illis ſuperetur, poſſit occurrere. Alii itaque, ab initio praeſtandi, quae pollicentur, animum ſibi fuiſſe negantes, linguam quidem juraſſe, ſed, quia mens injurata permanſerit, ne juraſſe quidem ſeſe exiſtimant.

ſtimant. Alii, neſcio per quas verborum ſuorum a ſe confictas interpretationes, praeſtitiſſe ſe, quod polliciti ſunt, affirmare non verentur; quamvis aliud eos, quibus fidem ſuam aſtrinxerunt, intellexiſſe non dubitent. Ita quippe captivus quidam, ea lege ad neſcio quae negotia conficienda dimisſus, ut ad Dominum ſuum rediret, cum ex itinere, tamquam aliquid per oblivionem apud Dominum reliquiſſet, reverſus, atque iterum eo, quo dimittebatur, profectus eſſet, fidem ſe ſuam praeclare liberaſſe judicabat. Sed hi praetextus prorſus inanes improborum tantum ſunt hominum, qui ne propriae quidem accuſationem conſcientiae, hisce Deo & bonis omnibus execrandis fraudibus, effugere facile poterunt: ſatis enim intelligunt, hoc ſe revera apud Deum juraſſe, quod verba ſua iis, quibus jurabant, ſignificare ſciebant. Alii honeſtiore colore perjurium defendunt, verum negantes eſſe jusjurandum, quod per vim, gravis alicujus periculi vel incommodi metum ipſis incutientem, ſit extortum: atqui haec etiam interpretatio ſcopum Domini, in ſancienda nobis jurisjurandi Religione, prorſus reddit otioſum atque inutilem. Nam, quia eam Dominus commerciorum ac certaminum noſtrorum noverat eſſe naturam, ut alia ratione gravius aliquod malum plerumque effugere nequeamus, niſi iis, qui nos eo malo afficere poſſunt, quippiam ipſis utile, nobis vero noxium, polliceamur, ſe quoque in teſtem eo caſu adhiberi permiſit, vel potius inſtituit, ut adverſarii noſtri, hoc tam ſacroſancto teſte, ac veluti pignore de percipienda ea, quam a nobis exſpectant, utilitate, ſecuri, nos quam primum periculi illius metu liberare non vereantur. At, quoniam certum eſt, in omnibus hujus-

jusmodi promiſſionibus aliquam ſemper ineſſe vim, dubitari quoque nequit, eas omnino eſſe ſervandas. Fruſtra namque nobis ſolam hanc evadendi majoris periculi rationem Dominus oſtenderet, ſi hanc quoque doctrinam, tamquam veram, de ſervando juramento per vim extorto, nobis non inſeruiſſet. Etſi autem grave admodum ſit, quod nos praeſtituros, interpoſito juramento, pollicemur, eodem tamen modo, ad ſervandum hoc quoque metu extortum promiſſum, nos Dominus obligat; quia gravius nihilominus illud ſemper manet, quod, jurare recuſantes, nullo modo potuiſſemus effugere: quare hoc quoque caſu fruſtra nobis illam elabendi viam Dominus oſtenderet, ſi, propter metum illum, vel nullam, vel invalidam, eſſe promiſſionem noſtram, voluiſſet. Notandum autem eſt, ne violentam quidem promiſſionem noſtram proprie eſſe judicandam, etiamſi mortem nobis jurisjurandi exactor minaretur. Nam, licet ſpontaneum per ſe non ſit, pecuniae vel libertatis facere jacturam; quisquis tamen in illam adducitur neceſſitatem, tunc ſaltem ſponte & libere mortem potius, quam ſervitutem, vel paupertatem, vitandam ſibi cenſet. Quamobrem non prohibentur quidem fortes & conſtantes viri mortem pertimeſcere, atque ejus metu ea polliceri, quae vitae eorum tunc Dominus ab eis exigit: ex iis tamen, quae diximus, ſatis patet, metum illum, ad omnino violentam, atque ideo invalidam, promiſſionem efficiendam, non ſufficere. Sola forte tormentorum magnitudo, quae mentem nimis percellunt, & veluti ſuo loco movent, non injuſtam afferre poſſet non ſervatae fidei excuſationem; & tamen tantam in nobis eſſe oporteret Dei Opt. Max. in teſtem appellati reverentiam,

ut

Digitized by Google

ut hoc etiam caſu metuendum nobis eſſet aliud facere, quam quod lingua, veluti praeſente Domino, quomodocumque pronunciavit. Sunt etiam alii, his etiam in ſpeciem honeſtiores, fidei violandae praetextus, ad quos inveniendos & approbandos, vehemens illa propriae utilitatis cupiditas numquam nos impellere deſinet. Quidam enim omnem praecedentis jurisjurandi obligationem ſublatam eſſe judicant, quia datam nobis fidem priores adverſarii violarint; vel quod aliquid ſaltem poſtea acciderit, quod natam ex juramento obligationem ſuo loco manere prohibeat: fatemur quidem, has cauſas ſatis eſſe juſtas, ſi modo verae ſint: quisquis tamen eam, quam debet, gerit conſcientiae ſuae curam; quisquis perjurii ſcelus eo, quo par eſt, modo deteſtatur, & exhorreſcit, non modo cauſas illas, verae ne ſint, necne, ſepoſitis affectibus, diligentiſſime examinare, verum etiam ſuos ea in re affectus tam ſuſpectos habere debet, ut, niſi conſultis prudentibus & bonis viris, ac, ſuo quoque judicio, ab omni adulatione alieniſſimis, illis cauſis numquam moveri ſeſe permittat. Nam ita demum ſibi vere & ſancte perſuadere poterit, non quaeſitam *ſibi* a foedere atque juramento diſcedendi *occaſionem*, ſed ipſi revera ab adverſario datam, vel ab ipſis rebus ſubminiſtratam, quae eum in locum rem omnem certo revocaverit, in quo ante foedus & jusjurandum fuerat. Sequitur nunc poſtremus atque omnium ſpecioſiſſimus perjurii praetextus, cum promiſſum ipſum absque peccato ſervari non poſſe negatur, atque, ne in violanda fide crimen ullum agnoſcatur, illud potius in turpi & injuſto promiſſo interveniſſe cenſetur. Inter hos porro impudentiores ſunt, qui licere ſibi negant ejusmodi

modi ſervare promiſſum, quo ſe, verbi gratia, vel libertate ſua privarent, quae patriae & ſuis poſſit eſſe utilis; vel bonis ſpoliarent, quae filiis ipſorum ſeu propinquis jure deberentur. Alii paulo honeſtius, vel certe ſubtilius, non ſuae ſed adverſariorum conſcientiae curam ſuſcipere videntur, atque ea de cauſa injuſtam eſſe datae fidei obſervationem cauſantur; quod latrones, vel foeneratores, vel injuſti hoſtes, quibus eam adſtrinxerunt, quae ſua non ſunt accipientes graviſſime Deum offenderent. Alii omnino, ut videtur, honeſtiſſime, ſancte & pie ab eo, quod imprudenter polliciti ſunt, ſe reſilire poſſe ſibi perſuadent, quia vel patriae libertatem, vel, quod majus eſt, Chriſtianae ſeu Orthodoxae fidei veritatem in manifeſtum vocarunt periculum: atque ideo ſe graviſſime peccaturos credunt, ſi majorem promiſſionis ſuae, quam patriae ſuae libertatis, vel animarum ſalutis ac divini honoris, rationem habendam eſſe cenſerent. Has certe cauſas, & potiſſimum hanc poſtremam, magnam ad pia quoque ingenia permovenda, ne perjurii metu magnum aliquod patriae vel fidei incommodum afferant, non levem habere vim, nos quoque confitemur. Ex his enim cauſis omnes illae Theologorum noſtrorum, ut audivi, de juramento latronibus praeſtito, de promiſſis uſuris exſolvendis, ac de ſervanda vel hoſtibus vel infidelibus & haereticis fide, natae ſunt diſputationes. Inter ipſos porro Theologos alii praeſentem potius atque ante oculos, ſi juramentum non ſervaretur, poſitam ſpectarunt utilitatem, atque ideo, ne quiſquam vel rebus ſuis incommodare, vel proximo peccati cauſam praebere, vel patriae ſive Religioni periculum aliquod creare cogeretur, frequentius forte, quam par erat,



Digitized by Google

hominum conſcientias Religione hac in parte liberandas cenſuerunt. Alii potius, communem & perpetuam generis humani in ſervandis foederibus utilitatem & cauſam, cur omnium hominum mentibus doctrinam hanc Dominus tam alte infixerit, intuentes, longe cautius & majori cum difficultate, ad relaxandam, vel inanem judicandam talium quoque Sacramentorum obligationem, progreſſi ſunt: nos primum paucis quibusdam exemplis has quoque cauſas ad datam fidem violandam non ſufficere Majeſtati tuae demonſtrare, deinde, hoc quoque oſtendere conabimur, quo pacto quam tutiſſime utrumque ſcopulum, hoc eſt, turpem & impudentem promiſſionem, & turpiorem promiſſi violationem, evitare poſſimus; videor enim mihi, poſteaquam hiſce diebus virum illum diligenter audivi, in hoc ſaltem argumento quadam ex parte factus eſſe Theologus. Pollicitus igitur aliquando fuit M. Attilius Regulus Carthaginenſibus, a quibus ad tranſigendum cum Romanis de redimendis ultro citroque captivis Romam mittebatur, ſe ad eos Carthaginem reverſurum, ſi propoſitae Romanis ab ipſis conditiones non reciperentur: Cum is non ignoraret omni adverſus ipſum crudelitatis genere per ſummum ſcelus Barbaros illos uſuros, ad eos nihilominus, acerbiſſimos cruciatus paſſurus, quos etiam conſtantiſſime pertulit, redire non dubitavit. Cum igitur factum hoc non ſolum Ethnici, verum etiam omnes noſtri Theologi, perpetuis laudibus in coelum extollere non ceſſent, facile colligi poteſt, neque magnitudinem alicujus incommodi, quamvis is, qui juravit, eo ſit indigniſſimus, neque ſcelus ab eo, qui juramentum exegit, committendum in cauſa eſſe debere, ut data per juramen-

Digitized by Google

mentum fides violetur. Quod ad tertium illum honeſtiorem praetextum attinet, alio non habemus opus exemplo, quam invictiſſimi, immortalis memoriae, tui Parentis atque Imperatoris Caroli Quinti. Vocaverat is, ante annos fere ſexaginta, ad conventum Wormacienſem, haereſiarcham Lutherum, quia expedire tunc Ordines Imperii judicabant, ut coram Caeſare, atque aliis Principibus, audiretur; fidem igitur illi dedit impune eum Wormaciam accedere, ac domum redire poſſe; nullus autem, quod ſciam, hactenus exſtitit, qui, ob hanc ſancte illi ſervatam fidem, Chriſtianiſſimum Imperatorem reprehenderit. Atqui nemo ignorat, cum quanta totius Eccleſiae utilitate vir ille, in robore aetatis adhuc conſtitutus, quique unius tantum quadriennii ſpatio tantam in Eccleſia ſtragem ediderat, ac tot poſtea libellis editis hujus miſerabilis ſchismatis origo, fax, auctor, ſignifer, & promotor fuit, e medio tolli potuiſſet. Quotquot igitur invictiſſimi Imperatoris factum probant, ne in uno quidem homine violando a data fide diſcedendum eſſe confitentur; tametſi totam Eccleſiam gravibus propterea periculis liberari poſſe ſperarent. Juravit poſtremo Joſue, fortiſſimus Iſraëlitici populi Dux, Gabaonitis, ſe vitam eis ſervaturum. Erat hoc jusjurandum fraude & mendacio Gabaonitarum, qui ſe fingebant non eſſe Chananeos, expreſſum, atque ideo duplici nomine jurantem nullo vinculo adſtringebat. Nam & praeſtitum illis erat tamquam externis, non veluti indigenis; & Domini praecepto palam adverſabatur, qui, ut nulli Chananeorum parceretur, ſeveriſſime edixerat. Quis igitur hic quoque non videat, quantam habere nos oporteat divino Nomini,

mini, quomodocumque in teſtem vocato, reverentiam, quamque graves & evidentes ad fidem non ſervandam cauſae requirantur, cum ejusmodi quoque jusjurandum ratum habere Dominus voluerit, in quo ſine ulla fraude, lingua tantum jurante, mens injurata permanſit; & illud praeterea promiſſum fuerat, quod ipſe fieri vetuerat, neque aliud quippiam, cur ſervari oporteret, cernebatur, quam quod naturali ſaltem jure ſervari poterat.

REX. Nihil horum, ut verum fatear, ſententiam hanc mihi perſuadere omnino poteſt: cum enim ex multis frequenter audiverim, numquam eſſe cuiquam ſervandam, quantumvis juramento confirmatam, fidem, ſi quippiam pollicitus ſit, quod divina lege interdicitur, non facile videre poſſum, quo pacto contra legem divinam non ſit, promiſſam latroni pecuniam mittere, atque ipſi quidem latroni novi in accipienda aliena pecunia ſceleris occaſionem ea ratione praebere, proprios vero filios vel propinquos hac ipſis debita utilitate privare. Ut autem hoc tolerabile ſit, quo pacto tandem ferri poterit, haereticum quoque, tot animarum millia in aeternum exitium pertractaturum, dimittere liberum? quamobrem ne Patrem quidem meum culpa hac in parte abſolvere poſſem, quod tantum Haereſiarcham, caſſibus ſuis jam irretitum, ad ſuos confirmandos, & univerſam Eccleſiam pervertendam, abire permiſerit.

DUX. Etſi cauſam, juſtiſſime Rex, non probes, quam, felicis memoriae, Pater tuus ſecutus, Lutherum inviolatum abire paſſus eſt; non ideo tamen negas intervenire aliquam poſſe cauſam, cur fides haeretico ſit ſervanda, quamvis aliquod praeterea Catholicae Religioni ſit metuendum incom-

Digitized by Google

commodum. Nam aliquam certe in ſentiendo ſaltem libertatem multis Belgarum millibus permittere non recuſas, quam ſi in Hiſpania vel uni tantum concederes, grave te peccatum admittere judicares. Satis ergo intelligitur, quamvis id, quod per ſe crimen eſt, ne propter totius quidem orbis ſalutem ullo modo ſit committendum, aliquid tamen absque peccato permitti & tolerari poſſe, quod peccati occaſionem aliis praebeat, quodque in non leve Religionis incommodum redundaturum veriſimile ſit, ſi modo juſta quaedam (quod fieri non raro poteſt) permittendi cauſa ſubſit; quoniam tunc duntaxat ejusmodi permiſſio culpae rationem habet, cum juſtam ejus rationem afferre non poſſumus.

REX. Quam ergo regulam mihi affers, quae, cauſae alicujus aequitatem mihi demonſtrans, ea, quae ſunt hujus generis, ſine culpa polliceri & praeſtare patiatur?

DUX. Nulla quidem, ad aequitatem ejusmodi inveniendam, mihi tradita eſt regula; quoniam nulla quoque, ut opinor, talis eſt, per quam omnes hujus argumenti quaeſtiones diſſolvi vel definiri poſſint. Saluberrimum tamen interim, meo judicio, ab erudito illo Viro mihi commonſtratum Majeſtati tuae indicabo conſilium. Nam id tale mihi videtur, ut, ſi quis illi ſerio obtemperet, neque temere ſit umquam juraturus, neque deteſtabile perjurii crimen umquam facile commiſſurus. Atque hoc potiſſimum eſt, quod praeſens diſputatio a nobis requirit, Sciendum igitur eſt, omnem noſtram circa jurisjurandi Religionem, diligentiam praecedere potius, quam ſequi jusjurandum debere, ne neceſſe poſtea ſit, utrum fides ſervanda ſit, nec ne, in dubium revocare.

N 3 In

In eo namque graviſſime peccari videmus, quod ab initio, utilitatis alicujus ſpe, vel periculi metu, Deum teſtem facillime, atque absque matura deliberatione, invocantes, poſtea eadem impulſi utilitate, quae nobis ex foederis violatione oſtenditur, de juſtitia jurisjurandi inquirere incipimus. Itaque frequenter uſu venit, ut, qui non ſine juſtitia, ſed ſine judicio, jurantes peccavimus, graviore poſtea ſcelere jusjurandum, quod turpe revera non fuerat, juſtiſſime violemus. Haec igitur nobis ſervanda eſt regula, ut, privatim quippiam vel publice interpoſito juramento promiſſuri, diligentiſſime, & per nos, &, ſi res patitur, per bonos quoque & prudentes viros, honeſtumne an turpe, ac divinae legi contrarium ſit, quod promittendum eſt, inquiramus: quod ſi, poſt hanc diligentiam, & poſſe nos fidem noſtram aliis obligare judicemus, eamque deinde revera obligemus, ejusmodi nos vinculo conſtrictos in poſterum eſſe cenſebimus, ut, niſi turpe eſſe promiſſum evidentiſſimis, & luce meridiana clarioribus, nobis conſtet rationibus, nullo modo absque perjurii ſcelere datam fidem nos violare poſſe, credamus. Quaecumque porro rationes poſtea nobis occurrent, quae turpe & injuſtum fuiſſe promiſſum perſuadere nitantur, vehementer nobis debent eſſe ſuſpectae, tamquam a furioſo illo utilitatis noſtrae amore miſerae rationi ſuggeſtae, atque ad frangendam fidem nos impellentes. Veriſimile namque prorſus eſt, eas, vel nobis, vel bonis illis viris, quorum conſilio ſumus uſi, cum tam diligenter jurandi cauſas examinabamus, in mentem fuiſſe venturas; quod ſi ab initio eadem illa conſequendae alicujus utilitatis cupiditas in cauſa fuit, ut hanc, quam diximus, diligentiam non adhiberemus, tunc etiam,

Digitized by Google

etiam, ſi poſt praeceps noſtrum & inconſultum juramentum, quod tutiſſimum eſt, eligere volumus, omnes contrariae rationes ſcrupuloſa cura a nobis examinandae, neque ſine ſententia incorruptorum judicum approbandae: quia ſemper metuere nos oportet, ne improbus potius affectus aliquis, quamvis earum pro veris habendas eſſe, nobis perſuadeat: ſed & propterea ſuſpectus nobis affectus noſter eſſe debet, quod cum tanta facilitate parati ſimus turpis & injuſti promiſſi crimen agnoſcere; quia juſte non poſſumus a data fide diſcedere, niſi eam turpiter & injuſte datam prius confiteamur. Alia tamen ex parte, neque graviſſimum apud Deum perjurii ſcelus, neque ſummam apud homines pertimeſcimus infamiam, ſi falſis rationibus, turpe fuiſſe promiſſum, quod revera turpitudine carebat, demonſtrantibus, temere aſſentiamus. Adhaec ut aliquando turpe fuiſſe, atque ideo omnino reſcindi debere, vere nobis perſuadeamus: danda tamen hoc caſu ſedula eſt opera, ne juramentum ipſum cauſam noſtram meliorem, adverſariorum reddat deteriorem. Nam cum id accidit, in eum locum, in quo ante juramentum noſtrum fuit, adverſarium nos ſemper reſtituere oportet. Si Galliae namque Rex Galliae regnum & ſubditos ſuos injuſte gravari ſentiebat illis conditionibus, propter quas ab inviſtiſſimo tuo Parente dimiſſus fuit, captivum ſe rurſum illi ſiſtere debuit, neque id ex juramento percipere emolumentum, ut ejus beneficio eas provincias retineret, quas omnino reddere cogebatur, ni perpetuo vellet manere in captivitate. Poſtremo, quoad eas rationes, quae promiſſum noſtrum fuiſſe juſtum, ac propterea jusjurandum quoque noſtrum eſſe ſervandum,



Digitized by Google

quam ad contrarias, quae jusjurandum turpitudinis arguunt, probandas ſimus perpetuo procliviores, pulcherrimas illas & humano generi maxime neceſſarias utilitates, quarum gratia, ſicuti ſupra breviter monuimus, nos jurare Dominus vel permiſit vel inſtituit, ante oculos nos habere oportet, & eas illi, quae ad reſcindendum promiſſum nos invitat, longe anteponere. Nam quia ab omnibus intelligitur, tantam eſſe majoris hominum partis imbecillitatem, ut ſtolidum eſſe videatur, fidem habere ſimplici viri alicujus promiſſioni, in quo ſingularis quaedam non creditur eſſe ſanctitas: & quia in omnibus noſtris contractibus vel foederibus ea pignora vel cautiones paratas habere non poſſumus, quae ſupervacuum efficerent juramentum; viſum divinae Sapientiae eſt, omnium mortalium mentibus, atque ipſis adeo barbariſſimis nationibus, hanc imprimere ſententiam, ut, exacto ab iis, cum quibus contractum vel foedus ineunt, jurejurando, conſecuturos ſe, quod ipſis hoc modo promittitur, non diffidant. Cum igitur homines vident hujusmodi pacta, & jurejurando confirmata foedera aliquoties violari, quotidie minus illis fidere incipiunt, ac, niſi pignoribus atque aliis cautionibus ſibi conſuli poſſe animadvertant, ab ipſis quoque contractibus & foederibus, ſine quibus humana vita prope conſiſtere nequit, abſtinendum ſibi eſſe ducunt. Ob eamdem quoque cauſam, affirmare non injuria poſſumus, nullum eſſe crimen, quod vel in univerſum Dei reverentiam ex hominum animis aeque ac perjurium paulatim eximat, vel ſingulorum Religionem apud diverſum ſentientes magis reddat ſuſpectam: quicumque enim Deum in teſtem atque ſeveriſſimum perjurii ultorem teme-

re

Digitized by Google

re aliquoties appellari, ac ludibrio quodammodo haberi intelligit, vel, non ſine aliquo fidei ac reverentiae erga Deum ſuae offendiculo, terram perjuris illis non dehiſcere admiratur; vel, ſi alterius ſit Religionis, eos verum Deum non colere arbitratur, cujus nomine toties eos per ludibrium uti deprehendunt. Quamobrem, hujus tam gravis ſcandali vitandi gratia, multi ſancti & pii viri apud nos leguntur, cum apud infideles injuſte eſſent captivi, ad eos cum mortis quoque periculo, quia ſe id facturos juraverant, fuiſſe reverſos, quamvis ob dignitatem, ſanctimoniam, & doctrinam ſuam, Eccleſiae eſſent utiliſſimi; ne ipſa Eccleſia, & verus, qui in ea colitur, Deus, in contemptum hac de cauſa apud infideles adduceretur. Poſtremo, quod ad ipſos pejerantes attinet, nihil magis indubitatum, nihil magis privatis ac publicis exemplis confirmatum, quam eos, qui ſemel fidem fefellerunt, praeter eam, quam hoc nomine ſibi pepererunt apud adverſarios, infamiam, ipſam etiam apud illos in poſterum amittere fidem, atque hoc ſuo perjurio meritiſſimo conſequi, ut accepti ſaltem non modo numquam illis fidem amplius habeant; verum etiam quibuscumque poſſunt fraudibus ipſos viciſſim circumvenire conentur. Et, quoniam in eum locum hi perfidi adduci ſaepenumero posſunt, ut cum quibusdam paciſci, vel foedus aliquod inire, vehementer ipſis expediat, neque tamen alias praeter juramentum cautiones praeſtare poſſunt, coguntur miſeri in ea manere conditione, quam foederis beneficio mutare vel meliorem reddere cupiebant, quia jusjurandum ſuum omni fide cariturum non ignorant. Haec igitur tam gravia & tam pernicioſa mala ex deteſta-



Digitized by Google

bili perjurii crimine procul dubio oriuntur. Quamobrem certum etiam eſt, tria ipſis oppoſita commoda, quae partim humano generi, partim ſingulis noſtrum tam neceſſaria ſunt, ex fide ſervata naſcitura. Nam & frequentius homines inter ſe, cum neceſſitas poſtulat, neque aliae cautiones adſunt, ſolo contenti mutuo juramento foedera inibunt, & divinum Nomen, in ea, qua debet, veneratione habitum, ipſi etiam Religioni majorem addet auctoritatem; & ſingulis noſtrum paulatim eam conciliabit fidem, ut tandem, injuratis quoque absque periculo credi poſſe, alii paulatim judicaturi ſint. Quando igitur cum his tantis bonis comparanda non eſt praeſentis illa temporis utilitas, ſive ea privata, ſive publica, atque ad Religionem quoque pertinens fuerit, quae nos ad violandum promiſſum ſollicitat, merito ſane diximus, nos propter hanc etiam cauſam procliviores eſſe debere, ad illas potius probandas rationes, quibus adducti, juſtitiam non defuiſſe juramento noſtro, credidimus, quam contrariis: quamvis hae diligenter & ſincere a nobis examinatae, vel par, vel etiam aliquanto majus, robur habere videantur. Nam ad illas tantas utilitates hoc etiam accedit, quod aequum admodum ſit, divini Nominis invocationem ipſis etiam rationibus, ut majoris ponderis haberi debeant, aliquid adjicere momenti. Atque hoc quidem eſt, clementiſſime Rex, ſaluberrimum illud, meo judicio, tum ad cavendum omne temerarium juramentum, tum etiam ad vitandam cujuscumque juramenti, quomodocumque praeſtiti, violationem, eruditi illius viri conſilium. Quod ſi tamen illum, quem deſcripſi, animum ad fidem ſervandam afferentes, turpe nihilominus & improbum fuiſſe pro-

promiſſum noſtrum, vel longe quam oportuit leviorem, nos deprehendimus, cauſam eſſe ſecutos, quam ut ejus gratia, vel fortunas noſtras, vel alienam conſcientiam, vel etiam Religionem in non contemnendum aliquod periculum vocare par fuerit; non eſt quod ullum metuamus in turpi promiſſo reſcindendo, quod ejus obſervatione potius committeretur, flagitium, praeſertim ſi fraudibus etiam & mendaciis adverſariorum ad jurandum ſimus illecti. Itaque, ſi, praemiſſa illa, de qua diſſeruimus, deliberatione, a data fide diſcedimus, neque jurando peccavimus, cum ejusmodi error excuſatione ſit dignus, neque in ullum incidimus crimen, cum tale promiſſum non ſervamus; quia tale fuiſſe evidentiſſimis rationibus comperimus, quod absque peccato ſervari non potuiſſet. Quamvis autem in praecipiti & temerario juramento, quod vel ſpes alicujus utilitatis, vel graviſſimi periculi metus, ante examinatam, ut par erat, ipſius iniquitatem, a nobis expreſſit, graviter nos peccaſſe confiteri debeamus; in ejus tamen violatione nullam agnoſcere debemus culpam, ſi hic etiam certae & perſpicuae rationes, rem nobis, ſepoſitis affectibus, examinantibus, injuſtum fuiſſe promiſſum oſtenderent. Videmus igitur, ut eo, unde me Majeſtatis tuae interrogatio deduxerat, redeamus, & ſummam hujus criminis atrocitatem, atque adhaerentis ipſi infamiae, & tam publicorum quam privatorum, quae ipſum conſequuntur, incommodorum magnitudinem. At e diverſo experientia docet, tantam in miſero noſtro genere, quodque magis dolendum, in ipſa Dei Orthodoxa Eccleſia eſſe imbecillitatem, ut in majore hominum parte plus ſemper valuerit, atque in poſterum plus valitura ſit, ad

per-

Digitized by Google

perjurium inſana illa praeſentis utilitatis vel vindictae cupiditas, quae, magno noſtro malo, aliquem ſemper, ad lucem in tenebras convertendam, colorem invenire ſolet, quam tot pulcherrimae illae & graviſſimae cauſae ad ſervandam fidem. Itaque ſuadente, impellente, atque ipſam tandem rationem dementante, hac omnium malorum cauſa, ſine ullo diſcrimine Principes, privati, nobiles, ignobiles, Eccleſiaſtici, Seculares, aliquem praeſertim nacti excuſandi criminis colorem, nihil criminis ipſius magnitudinem, nihil infamiam, & alia memorata incommoda, metuentes, toties fidem ſolenni juramento ſancte confirmatam fefelliſſe, ac, quantum in ipſis fuit, hanc tam neceſſariam humanae inter ſe ſocietatis conſervandae rationem ſuſtuliſſe leguntur. Tunc autem praecipue ſe juſtam habere fidei violandae cauſam homines ſibi perſuadent, cum, ad reliquas, quas ſibi pollicentur, commoditates, Religionis quoque conſervandae zelus accedit. Nam hac de cauſa infida prope ſunt omnia inter diverſae Religionis cultores foedera: hinc neque nos haereticis fidimus, neque haeretici nobis, quos pro talibus etiam habent, fidendum eſſe judicant: hinc violatis foederibus injuſtiſſima bella ſuſcipientes; hinc juramento, veluti reti quodam, miſeros homines in poteſtatem ſuam redigentes, atque illos poſtea graviter affligentes, non modo nullam in hujusmodi factis culpam agnoſcunt, verum etiam ſummae pietatis & ſanctiſſimi in religionem zeli laudem ſibi tribuere non verentur, atqui, ante datam fidem, tantam hanc diligentiam in examinandis jurandi cauſis, atque in omnem partem verſandis utriusque partis rationibus, adhiberi oportuit: poſt datam vero fidem, ac poſt divini Nominis

minis in juramento invocationem, niſi evidentiſſimis, ut dixi, rationibus de turpitudine ejus nobis conſtaret, omnes, quae ad promiſſa non ſervanda nos impellunt, cogitationes, tamquam a peſſimis conſultoribus, ira, odio, ambitione, atque avaritia proficiſcentes, atque illis honeſtatis praetextibus vere abutentes, ſuſpectas nos ſemper habere, vel potius plane contemnere deberemus. At, quoniam experientia docet, id a nobis non fieri, ſed memoratos illos affectus, ſpecioſis illis coloribus, praeſertim ſi ad totius Reipublicae utilitatem vel ad Religionem pertineant, velatos in nobis fore, ſemper eſſe potentiores, neceſſario quoque, ſicuti diximus, luere cogimur acerbas hujus noſtrae imbecillitatis poenas: multa namque utiliſſima nobis futura pacta, multae afflictiſſimis populis plane neceſſariae paces conciliari, atque iniri nequeunt; quoniam frequentia illa fidei violatae exempla illam, quam Dominus inſtituit, nobis eripiunt utilitatem, ut, quoties aliae nobis deſunt cautiones, ipſo in teſtem & ultorem perjurii appellato, controverſiis, contentionibus, & bellis noſtris finem imponere, ac foedus, pacem, & concordiam inire poſſimus. Propter hanc ergo, tot experimentis comprobatam, humanam imbecillitatem, pulcherrima illa, barbariſſimorum quoque mentibus impreſſa, de ſervanda jurisjurandi Religione, doctrina vim ſuam paulatim apud omnes amiſit, neque ullum amplius ſacroſanctum creditur juramentum, praeterquam id, quod, ſicuti apud nos dicitur, ex auro conflatum eſt; neque ulla cum ſanctis quoque Principibus foedera concludi poſſunt, praeter ea, quibus, pignoribus vel aliis cautionibus datis; contrahentium ſecuritati conſulitur: quamvis autem

tem illis ipſis ſanctis & piis Principibus injuria fieri videatur, quod ipſorum quoque fides in ſuſpicionem vocetur, atque ipſi quoque propterea ſupra jusjurandum cautiones alias praeſtare coguntur, id ipſum tamen aegre ferre non debent, cum, aliorum toties exploratam improbitatem non injuſtam huic timori cauſam praebere, intelligant. Tunc vero minus eos hac de cauſa indignari oportet, cum, vel occupatas ab aliis provincias ſuas non repetere, vel auctoritatem & poteſtatem divinitus ſibi in alios conceſſam imminuere, vel graves ſuo judicio ſibi illatas, a quibus minime decebat, injurias inultas relinquere, vel non contemnendum aliquod ſanctae Religionis periculum metuere, coguntur. Quodſi hae omnes ad non ſervanda promiſſa cauſae forte concurrerent, inuſitatae prorſus atque heroicae virtutis eſſet, vel ſincere haec quempiam promittere, vel, occaſione poſtea data animo ſuo tot modis ſatisfaciendi, promiſſorum memoria retardari, vel promiſſa ipſa, priore mutata ſententia, turpitudinis, ſocordiae, atque impietatis non damnare. Quamobrem neminem mirari decet, cum adverſarius ejus vitam ſive fortunas ſuas in manifeſtum recuſat conjicere periculum, quod profecto ſe ſubiturum novit, ſi tam excellens & heroica in ipſo forte non inveniretur virtus. His autem ita ſeſe habentibus, Majeſtas tua boni conſulet, quod ſubditi quoque tui, ſupra praeſtandum a te jusjurandum, aliis quoque rationibus de ſervandis Pacis conditionibus ſibi caveri poſtulent. Conſcii namque ſibi ſunt, quibus ipſorum factis patientiam contra illos tuam exacerbarint. Non ignorant, unicum fere vitae tuae eſſe ſcopum, ut Catholicam Religionem, ſi fieri queat, in eum ſtatum,

in

Digitized by Google

in quo Parens tuus ipſam, Luthero jam incipiente, accepit; vel in eum potius, in quo ante natum Lutherum fuit, reſtituere aliquando poſſis. Itaque propter has & alias cauſas, quas etiam tuorum plurimi tragice apud te amplificare non dubitant, quamvis & virtus tua ſatis ſit ipſis nota, & fides ex ullo tuo facto ſuſpecta non ſit, non diſſimulantes, non poſſe ſe, ſolius juramenti interventu, metu malorum illorum, quae, Majeſtate tua rerum abſolute potiente, metuenda ſibi perſuadent, liberari, de aliis quoque, quibus timori ſuo medeantur, cautionibus ſe ſollicitos eſſe profitentur. Tua vero Majeſtas eas, quae tuae tamen viciſſim de ipſis ſecuritati non valde officiant, vel ob id facilius praeſtare ipſis non gravabitur; quod, ſicuti apud nos dicitur, bonae fidei debitores, ac libenter ſolventes, pignora quoque a ſe exigi non aegre patiantur.

REX. Non ſine magna profecto voluptate, quae in hoc argumento a te diſputata ſunt, audidiviſſe me confiteor; nam & cauſas omnes eleganter explicaſti, cur jurejurando quoque confirmata foedera & promiſſiones toties violatae ſint, tametſi nullum prope inter omnia ſcelera vel natura ſua gravius ſit, vel humano generi magis pernicioſum. Deinde illis etiam praeclariſſimis cauſis commemoratis, propter quas humani generis perpetuo tantopere interſit, hanc jurisjurandi fidem ab omnibus ſemper haberi maxime ſacroſanctam, fidem ipſam & veritatem, atque in ſervandis promiſſis conſtantiam, quae natura ſua mihi chariſſima ſemper fuerunt, oratione tua longe reddidiſti chariora; atque e contrario effeciſti, ut ipſa etiam mendacii, fraudis, atque impoſturae, nomina longe apud me in poſte-

Digitized by Google

poſterum ſint magis abominanda. Et, quoniam, ſpecioſis illis frangendae fidei praetextibus, ſancta etiam, & excelſa, ac generoſa ingenia vehementer ſollicitari, ac ſaepenumero quoque perverti oſtendiſti, mihi quoque, cui juſtiſſimis, ni fallor, affectibus, atque omnium honeſtiſſimo zelo, propter allatas prius a te cauſas, repugnandum eſt, orationem tuam neque ſupervacuam, neque infrugiferam fuiſſe confiteri cogor, atque ideo pulcherrimam illam rationem, per quam & omne temerarium promiſſum, & cujuscumque promiſſionis violatio facile vitari poteſt, cum ſumma quoque voluptate cognovi, atque eam tam in hoc, quam in alio quovis ſanciendo foedere, veluti Cynoſuram quamdam, Deo duce, perpetuo ſecuturus ſum. Poſtremo, quamvis & natura mihi veritas ſit chara, & nullam hactenus ipſe ullo meo facto cauſam ſubditis meis praebuerim, cur me quoque non debeant in album illorum referre Principum, qui omnibus ſuis affectibus & emolumentis fidem & veritatem antéponunt; omnes tamen metuendi cauſas, quas non improbabiles illos habere inficiari non poſſum, animis ipſorum eximere decrevi, ac juxta conſilium tuum aequiſſimo patiar animo, eos non ſolum jurisjurandi noſtri Religione, verum etiam aliis honeſtis conditionibus, ſecuritati ſuae in hac Pacificatione conſulere. Itaque, quod ad juramentum attinet, diligenter prius, ſicuti ſancte mones, promittenda examinabo; promiſſa vero per Dei gratiam fideliter obſervabo: circa cautiones autem, eas illis praeſtare non gravabor, quas Principes iſti praeſtari a me debere judicabunt. Verum enim vero, quod ad has a nobis praeſtandas attinet, una tantum eſſe videtur, quae illos omni metu liberare ac plane ſecu-

Digitized by Google

ſecuros reddere poterit, quaeque ſtatim, poſt Pacem, Deo bene fortunante, compoſitam, exſecutioni mandabitur; neque enim video, quid a me praeter juramentum requiri poſſit, niſi, ut quam primum omnes externi milites ex omnibus his inferioribus Ditionibus diſcedant, quod absque dubio fiet intra illud tempus, quod a Principibus iſtis poſt Pacem conciliatam conſtituetur. Nam & idem quamprimum ante biennium factum eſt, Fratre, felicis memoriae, non prius in Gubernatorem recepto, quam externus miles iſtarum regionum finibus exceſſiſſet. Nihil igitur relinqui videtur, quod a nobis ſubditi noſtri metuere poſſint, tametſi juramentum a nobis noſtrum non interponeretur. Quo vero pacto mihi ab illis caveri debeat, univerſa provincia in ipſorum poteſtate relicta, & meis omnibus praeſidiis & copiis nudata, quibusque cautionibus fidere debeam, ac poſſim, neque Calvinianos ultra praeſcriptos ſibi in hac Pacificatione, libertas in Religione, limites transgreſſuros, neque Catholicos eadem, quam hactenus oſtenderunt, flagitioſa ſocordia, audaciam & ſocordiam ipſorum, ſi forte quid novare velint, toleraturos; neque hos, vel illos, ſtabilitam hujus iterum Pacis conditionibus meam in ipſos legitimam authoritatem, & imperium tot modis, quos etiam meminiſſe ac referre piget, imminuturos, ex te cognoſcere cupio.

DUX. Veriſſime haec a Majeſtate tua dicuntur, itaque de illis legibus, quibus ſubditos tuos, ſecuritatis noſtrae gratia, a nobis ſubjici oportet, paulo poſt agemus. Nunc ad illam, quam Majeſtas tua retulit, cautionem, duas alias aut tres, quas non immerito a nobis exigere poſſe videntur, adjiciamus, vel potius omnes ordine brevi-



Digitized by Google

ter recenſeamus, ut ita demum ad eas, quae ab Ordinibus praeſtandae ſunt, veniamus. Prima itaque cautio Majeſtati tuae cum ſubditis communis ſit, ipſum utrimque praeſtandum jusjurandum, cujus formulam vel rationem paulo poſt tradituri ſumus. Secunda eſt, omnium militarium copiarum exauctoratio, & totius exercitus dimiſſio, &, intra conſtitutum in Pacis conditionibus tempus, ex harum Ditionum finibus abitio. Tertia, ut talis in his Ditionibus relinquatur ſupremus Gubernator, & generalis Majeſtatis tuae Vicarius, qui propter tuam quidem ſecuritatem, ſit vere atque ex animo Catholicus, propter ſubditos autem ejusmodi, qui non poſſit ab ipſis, tamquam ſibi ſuſpectus, vel tamquam novas res adverſus ipſos moliturus, merito recuſari. Quarta, ut Hollandia & Zelandia ſuum in poſterum nominent Gubernatorem, quem Majeſtas tua confirmare debeat, rejicere non poſſit, ſi modo is ſit adminiſtrationis illius, juxta vetera Provinciarum illarum privilegia capax, utque in reliquis Provinciis nulli aut amoveri per Majeſtatem tuam Gubernatores poſſint, quomodocumque arma contra te geſſerint, ſi modo legitime fuerint aliquando electi; quid vero de iis ſtatuendum ſit, qui ipſis Ordinibus poſſint eſſe ſuſpecti, paulo poſt intelligemus. Quinta ac poſtrema cautio ſit, quia liberae futurae ſunt & in Hollandia & Zelandia Catholicorum & in aliis Provinciis Proteſtantium conſcientiae, hoc eſt, quia omnes ubique tuto profiteri poterunt, cujus ſint Religionis, ut nemo Religionis nomine, vel in his, vel in illis Provinciis, inidoneus ad Senatoris vel Conſiliarii, vel cujuscumque alterius Magiſtratus munus gerendum, repelli queat. Quoniam autem veriſimile eſt, neque in Hollandia facile aſſu-

Digitized by Google

aſſumendos Catholicos, neque in aliis Provinciis Proteſtantes, inveniatur aliqua commoda ratio, per quam pauci ſaltem alterius ſententiae, cum longe majore aliorum numero, conjungantur, ne alii penitus excluſi novationem aliquam in ſuae partis perniciem merito pertimeſcant. Has tres poſteriores conditiones jure adjiciendas, etſi hae vel his ſimiles a nobis exigantur, propter ſcopum nobis in hac Pacificatione propoſitum, admittendas exiſtimo. Certum eſt hunc nobis & ipſis propoſitum eſſe ſcopum, ut ſtabilem & diuturnam, & quantum in tam longa atque acerba animorum diſſenſione fieri poteſt, nullis vel paucis ſuſpicionibus obnoxiam, Pacem conſtituamus. Atqui dubium non eſt, quin nihil magis huic ſcopo adverſetur, quam nimia partis alicujus potentia, quam pars adverſa veriſimiliter creditura eſt, ad ipſos, veluti imbecilliores, cum volent, opprimendos, omni ſtudio ab adverſariis ſuis quaeri & deſiderari. Si igitur optimo jure illorum potentia mediocritatem nimis exſuperare credenda eſt, qui omnes ex ſuo tantum corpore, atque adverſariis etiam ſuſpectos Provinciarum Gubernatores, & Magiſtratus, & Conſiliarios & Conſiliorum Praeſides haberet, aequitas & ratio profecto nos jubet, ut huic periculo, quoad ejus fieri poterit, utrimque occurramus, ſi eam quam par eſt, non de Pace ſolum, verum etiam de ipſius ſtabilitate ac duratione, gerere cupimus ſollicitudinem.

REX. Poſſum & has quoque Pacis leges mihi impoſitas tolerare: ſi modo Principibus iſtis probentur. Quamobrem tempus eſt, ut, quibus viciſſim legibus adverſarios adſtringendos cenſeas, quae mihi quoque Pacem noſtram per illos ſalvam



Digitized by Google

& diuturnam fore merito polliceri poſſe cenſendae ſint, explicare aggrediaris.

DUX. Fatendum nobis eſt, clementiſſime Rex, ad alias incommoditates, atque, ut ita loquar, indignitates, quas, propter optatam hanc & miſeris populis tam neceſſariam Pacem, ſubire nos Chriſtiana manſuetudo jubet, hoc etiam accedere, quod adverſarii de nobis ſecuri eſſe poſſunt, per eas, quas ipſis offerre parati ſumus, cautiones, nos ab illis eandem ſecuritatem, nudata, ſicuti paulo ante dicebas, praeſidiis & militibus tuis univerſa Provincia tua, accipere non poſſumus. Itaque, quod ad Majeſtatem tuam attinet, vix opus erat ullo jurejurando, nos vero non exiguam duraturae Pacis ſpem in illorum fide, & jurejurando collocare oportet, paucas tamen ſupra jusjurandum ipſum leges, ad majorem noſtram ſecuritatem, illis adjiciemus, quas ſi ſuſcipere gravabuntur, manifeſtiſſimo argumento latentia ſua conſilia, & quam parum nobis vel cuiquam de fide ipſorum ſit ſperandum, palam facient, ac Majeſtati tuae juſtiſſimam cauſam praebebunt, ut, his quoque tam aequis, vel potius tibi tam iniquis, conditionibus indignos eos judicans, animum adjicias ad continuandum funeſtiſſimum bellum, cujus calamitates tanta facilitate avertere potuiſſent, quodque propterea in ipſorum ceſſurum perniciem, Deo tantam inſolentiam vindicante, non immerito ſperabimus. Sed his dimiſſis, prima, ſicuti dixi, cautio ſit, ipſorum jusjurandum; in eo vero non modo non pollicebuntur, ſe conſtitutae Pacis capita ſancte ſervaturos, verum etiam affirmabunt, ſuo poſt maturam deliberationem, & poſt commodorum & incommodorum Pacis illius conſiderationem judicio, eadem illa capita, ſalva

Digitized by Google

ſalva conſcientia, ſervari, neque, abſque ſcelere & perjurio, violari poſſe. Operae pretium forte foret, in omnibus cujuscumque foederis promiſſionibus, quamdam hujus generis adjici affirmationem, in qua, promiſſionem ſuam juſtam ſibi videri jurantes, aſſeverarent. Quicumque enim, cum ipſis commodum eſt, ob unam vel plures ex commemoratis cauſis, promiſſa ſua rata non eſſe cupiunt, frequentiſſime hac abutuntur violatae fidei excuſatione, quod, vel metu, vel injuria quadam, praeſens aliquod incommodum evadendi cupiditate oppreſſi, non ſatis animadverterent, ea fuiſſe injuſta. Nam hac fere ſemper ex cauſa, tum priorem ſuam ignorantiam venia fuiſſe dignam, tum poſterius hoc conſilium, quo impium promiſſum reſcinditur, Deo fore gratum ſibi perſuadent. Futurum igitur videtur, ut ex horum numero non pauci, propter illud ſaltem de promiſſionis ſuae juſtitia maturo judicio probatum, ac chirographo ſuo confirmatum, teſtimonium, ne manifeſte perjurii convincantur, a data fide, quam alioquin violaſſent, diſcedere non audeant. Quamvis autem idem hoc jusjurandum utrique parti futurum ſit commune, certum tamen eſt, noſtra magis quam illorum intereſſe, id in eum, quem dixi, modum concipi. Cum enim in ipſorum magis, poſtquam noſtrarum copiarum metu liberatos ſe ſentient, quam in noſtra poteſtate, futurum ſit Pacem violare, ejusmodi nobis expedit inveniri jurisjurandi formulam, quae non obſervata, manifeſtius oſtendens perjurium, arctiore illos vinculo ad fidem ſervandam adſtringat. Quam ob cauſam Miniſtros potiſſimum novae ipſorum Religionis, huic formulae ſubſcribere, oportebit. Nam & illorum, ni fallor, intereſt, rationem inveniri, quae ve-

hementiſſimum ipſorum, quem tam multis & tam ſeditioſis concionibus, atque aliis modis, declararunt, contra ſacra noſtra, non dicam zelum, ſed furorem, aliqua ex parte temperet, & moderetur. Hi ergo praecipue tum polliceri & jurare cogantur, ſeſe contra Papiſticam, ut ipſi vocant, Religionem, & contra Papiſtarum ſacra, nihil in his Provinciis molituros aliud, quam quod hujus Foederis conditionibus illis permittitur: tum etiam affirmare, hanc ipſam promiſſionem, jurejurando confirmatam, juſtam & ſanctam, & Deo gratam ſuo judicio, quod maturam ſecutum ſit deliberationem, videri. Quod, ſi in hunc modum formulam hanc vel Miniſtri vel etiam ii, qui imperare ipſis poſſunt, probare recuſarent, ob hanc etiam cauſam cogent nos a Pace eſſe alienos, cum hoc argumento manifeſte oſtenderent, quid Catholicae Religioni, poſt militum noſtrorum diſceſſum, ab ipſis ſit metuendum. Secunda cautio eſt, ut, quotquot omnibus hiſce bellis tuas partes ſecuti ſunt, harum Ditionum Proceres, Nobiles, vel cujuscumque alterius conditionis indigenae, tam civiles quam Eccleſiaſtici, non bona tantum ſua hoc bello ipſis erepta, ſi reddi queant, recuperent, verum etiam honoribus, dignitatibus, praefecturis, magiſtratibus, atque officiis, quibus hactenus caruerunt, reſtituantur. Hanc porro conditionem tam juſtam & neceſſariam eſſe arbitramur, ut ne ventura quidem nobis fuiſſet in mentem, ni voces quorumdam ſpargerentur, hoc etiam inter alia capita adverſarios poſtulaturos, ut hi omnes fideliſſimi tui ſubditi ab omnibus in poſterum magiſtratibus & dignitatibus ſubmoveantur. Quae certe poſtulatio & per ſe injuſtiſſima, & in Majeſtatem tuam, ſupra

ſupra modum, eſt contumelioſa. Statuetur utrimque omnium geſtorum atque hoc bello innovatorum oblivio, atque ideo tacite & a Majeſtate tua ſcelere & culpa liberabuntur, quotquot arma contra te geſſerunt, & ab Ordinibus abſolventur, quotquot non tuas, ut ipſi loquuntur, ſed Hiſpanorum partes, ſecuti ſunt. Quod ſi ipſi ergo veram, quod ad ipſos attinet, hanc geſtorum omnium negarent eſſe oblivionem, & ſceleris alicujus poenam eſſe interpretarentur, ſi quisquam eorum ab honoribus & dignitatibus excluderetur, noſtros quoque, per ejusmodi interpretationem, ab omni ſimili incommodo tutos eſſe omnino oportebit: quid igitur injuſtius fingi poſſit, quam, ſancita illa utrisque communi amneſtia, tam gravem & contumelioſam poenam noſtris irrogari; apud adverſarios vero, neque nomen, neque ullius peccati memoriam, neque poenae ullius ſignum eſſe reliquum, noſtrosque omnibus honoribus dignitatibusque privatos, veluti ſub imperio hoſtium vivere, adverſarios vero, illis praelatos, triumphum quodammodo agere de ipſis? Hinc autem apparet, nihil in Majeſtatem quoque tuam indignius vel magis contumelioſum poſſe ſtatui: hoc quippe diſcrimine approbato, hos quidem, qui, tuendae Catholicae Religionis & tuae Dignitatis gratia, libenter bonorum & dignitatum ſuarum jacturam paſſi ſunt, ac non unam tantum pro te vitam, ſed plures, ſi potuiſſent, impendere ſe paratos oſtenderunt, veluti lata contra ipſos ſententia pronunciares, non patriae ſolum, ut adverſarii loquuntur, ſed etiam tuos fuiſſe hoſtes; illos vero, contra quos, tamquam veros hoſtes, hactenus pugnaſti, eadem ſententia confitereris, vere fuiſſe aliquando gloriatos, ſeſe



Digitized by Google

*pro Lege*, *Grege*, *&* *Rege*, hoc eſt, pro Religione, pro Republica, & pro Principe, arma perpetuo geſſiſſe. Hanc certe unam ob cauſam, omnem Pacis ſpem merito illis abrumpere, atque omnes etiam ſecuturi belli clades eisdem imputare poſſemus. Sed excipient forſan adverſarii, non eſſe ſibi propoſitam ullam in hac poſtulatione iſtorum contumeliam, & propterea dominia, proventus, & opes omnes illis libenter relinquere incolumes, ab imperiis vero & magiſtratibus, ſi non juſta, at neceſſaria ſaltem ex cauſa, arcendos judicare. Nam, quia certo ſciunt, quam acerbo illi proſequantur omnes odio, qui ſeſe contra Hiſpanorum & aliorum militum, ut ipſi vocant, tyrannidem oppoſuerunt, quanta vindictae cupiditate flagrent in eos, a quibus ſe graviſſimis damnis & injuriis affectos fuiſſe ſibi perſuadent, ſimul etiam credunt, omnem illorum potentiam merito ſibi eſſe poſſe ſuſpectam, ne, hac ad nocendi voluntatem accedente, Clementiam tuam ad bellum revocandum pelliciant; & miſeram patriam in eas, quas hactenus perpeſſa eſt, calamitates, privatis illis indulgentes affectibus, conjiciant. Nos ad haec illis reſpondemus, non diſſimulari quidem a nobis, quod non ſolum vehementer cupiamus, tam bonos & fideles tuos ſubditos hac tanta contumelia, qua indigniſſimi ſunt, non affici, verum, ad augendum partium noſtrarum in his Ditionibus robur, eosdem etiam velimus in praefecturis, ſenatibus, & magiſtratibns conſpici. Adeo vero adverſariis id gratum eſſe oporteret, ut ipſi etiam, tum Pacem hanc ſtabilem potius & diuturnam, quam dubiam, ſuſpectam & incertam hac de cauſa, futuram exiſtimare, tum hoc modo tam longo inter ſe tempore diffidentes animos, ſeneſcenti-

bus

bus veteribus odiis, in perpetuam concordiam firmius coalituros, ſperare deberent. Nihil enim, ut ſupra diximus, Pacis concordiae & diuturnitati magis adverſatur; quam nimia unius partis potentia, & propterea Majeſtatem tuam tanta facilitate in dimittendis Hiſpanis, in ſupremo Gubernatore, qui ipſis probetur, conſtituendo, atque in conſervandis a te in dignitatibus ac honoribus ſuis praecipuis hujus belli contra te ducibus, morem ipſis geſturum diximus. Itaque tale utriusque partis potentiae temperamentum utile Paci eſſe credimus, ut adverſarii in his ditionibus maneant quidem, & ſint paulo potentiores iis, qui nobis magis addicti videntur, ut propterea nobis ſit difficilius & periculoſius, funeſtum, ſi maxime velimus, renovare bellum; ſed interim tamen aliquo metu & ipſi contineantur, ne absque aliquo periculo quicquam novare, vel licentiae populari, tot jam modis ad omnem moderationem & reverentiam erga ſuos Magiſtratus exuendam asſuefactae, & propemodum efferatae, & quorumdam Concionatorum turbulentis concionibus, indulgere ſe poſſe ſentiant. Ejusmodi temperamentum in his cautionibus nobis eſſe quaeſitum, res ipſa demonſtrat; nam quis dubitare poſſet, nullo apud ipſos manente externo milite, atque e diverſo manentibus per munitiſſimas Provincias, Hollandiam & Zelandiam, prioribus ipſorum Gubernatoribus & Magiſtratibus, manentibus in aliis etiam Provinciis iis, quos ipſi ſibi propoſuerunt, Praefectis, ac poſtremo manente in tot civitatibus, extra ipſam quoque Hollandiam & Zelandiam, tanto numero, Calvinianorum longe majorem, quam noſtram, in his ditionibus futuram potentiam.

tiam. Quamobrem veriſimile prorſus eſſe omnes facile videre poſſunt, neque Majeſtatem tuam adverſus ipſos quippiam molituram, quoniam ipſi, quotquot ſibi ſuſpectos arbitrantur, celerius opprimere, & vires ſuas prius conſtabilire, poterunt, quam novae atque externae copiae ipſos invadere, vel cum ſociis noſtris hic ſeſe conjungere queant: neque ipſos etiam, quos ſuſpectos habent, quippiam auſuros, ne talia conſilia, cum manifeſto eorum exitio, detegantur, vel etiam ad effectum, antequam pares adverſariis eſſe queant, non perducantur. E diverſo vero, quamdiu noſtros quietos eſſe adverſarii animadverterint, quaſi freno quodam, praeſertim novitatis ſtudioſi, coërcebuntur, ne facile Pacem turbare audeant, ſi viderint, non penitus eſſe abjectos vel imbecilles, quotquot ſe ſtrenuo conatibus illorum oppoſituri ſunt, praeſertim cum, orta ab ipſis injuria, dubitaturi non ſint, Catholicos omnes, ubicumque locorum ſint, tuis ſe partibus conjuncturos, tametſi rurſus Hiſpanorum jugum, quod omnium malorum nunc illis ſummum videtur, ſubeundum ſibi eſſe intelligerent; nam certo certius tunc eſſe deprehenderent, nihil aliud Calvinianos moliri, *quam* eorum exitium, qui ne talem quidem, & tam aequam illis, Pacis conditionem incolumem manere ſinant; expedit etiam plurimum ad benevolentiam animorum diffidentium ſtabiliendam, hos, quos diximus, fidiſſimos tibi Proceres, & alios Nobiles, & cives, in priſtinam ſuam dignitatem plene reſtitui, quando illud ipſum odium, quo prius adverſarios proſequebantur, longe majus & implacabilius procul dubio in ipſis exiſteret, ſi per illos factum eſſe viderent, ut, qui potiſſimum ſeſe omni favo-

Digitized by Google

favore & benevolentia Majeſtatis tuae digniſſimos non immerito judicant, ne ad veteres quidem ſuas dignitates & magiſtratus admittantur. Itaque hujus odii acrioribus incitati ſtimulis, tametſi alioquin viribus imbecilliores, numquam aliquid moliri, numquam aures Majeſtatis obtundere ad nova conſilia ſuſcipienda, vel cum manifeſto rurſus, & fortunarum, & vitae ſuae, periculo ceſſarent. Sicuti ergo, retinere ipſos omnes ſuas dignitates, & aliarum quarumcumque eſſe capaces, ex uſu Pacis eſt, ne iis, qui illis male volunt, vel natura ad res turbandas rapiuntur, tam facile tentare quippiam liceat: ita etiam ad hoc procul dubio prodeſt, ut hi, prioribus ſuis ornamentis reſtituti, & hac tanta injuria non irritati, Pacem ipſam ſalvam eſſe cupiant, &, ut dixi, veteribus odiis magis ac magis remiſſis, benevolentiam quoque paulatim (quod per Dei gratiam, repetita priore conſuetudine, futurum ſpero) erga hoſtes induere incipiant. Quas ob cauſas, quotquot inter ipſos etiam Calvinianos ſunt moderatiores, atque haec funeſta arma magis deteſtantur, hoc Pacis veluti firmamentum libentiſſime ſuſcepturos credimus, imo potius indigne laturos arbitramur, quod aliqui ex ſuis vel auſi fuerint proponere contrarium. Nam & ipſi facile perſpicient, iniquiſſimam illam poſtulationem & Pacis ſtabilitati adverſari, & odia partium reddere acerbiora, & cum ſumma tot Procerum & aliorum, ac tuae praeterea Majeſtatis, contumelia conjungi. Cum itaque ipſis etiam judicibus aequiſſimum ſit, honoribus & magiſtratibus ſuis noſtros reſtitui, nemo, ut opinor, negabit, quoties id fieri non poterit, niſi iidem honores & magiſtratus ab aliis deponentur, ab eadem poſtulari aequitate vel neceſſitate,

tate, ut eos obtinentes huic juſtiſſimae conditioni pareant, atque ea, quae absque manifeſta injuria retinere non poterunt, libenter deſerant: poſſunt tamen interim aliquid retinere praerogativae, ut, data occaſione, ipſorum potius in honoris alicujus collatione, reliquis paribus, quam aliorum ratio habeatur. Quodſi ad conſiliarii forte munus, vel hujus generis aliud, reſtitui quempiam oporteat, ſine ullo quidem impedimento recipi poterit, ſi plenus non fuerit conſiliariorum numerus, ſed & unum tamen atque alterum, ne quisquam loco ſuo pellatur, juſto numero adjici, omnes, ut arbitror, aequum eſſe cenſebunt. Tertia pro Majeſtate tua cautio eſt, ut plene tibi reddatur omnis tua prior authoritas, atque omne jus (quod tamen veteribus harum Ditionum privilegiis non adverſetur) in nominandis in poſterum & creandis ſingularum Provinciarum Gubernatoribus, atque in conferendis omnibus & quibuscumque dignitatibus & officiis, quod, ante hoc bellum & ante ſuſceptum ab ipſis novum Gubernatorem, a te obtinebatur. Ita porro, quicquid hac in parte legitimae tuae auctoritati & dignitati ademptum eſt, prorſus aboleri & abrogari neceſſe erit; ut, ſive Ordines interim novo aliquo decreto priorem auctoritatem, vel potentiam ſuam auxerint, ſive Conſiliarii, ſeu alterius cujuscumque Magiſtratus munus novas aliquas leges, quae tuae Majeſtatis veterem auctoritatem aliqua ex parte imminuant, ſimili decreto acceperint, id in poſterum irritum ad priora jura revocetur, nam illa ſolum tibi detracta manſuetudo tua patienter ferre debebit, quae ſupra memoravimus, cum de praeſtandis a te cautionibus, hoc eſt, de ſupremo Gubernatore atque aliis tam per Hollan-

diam,

Digitized by Google

diam, quam per alias Provincias Praefectis & Magiſtratibus, ageremus. Cum his & aliis modis ipſis tam benigne caveatur, cum alia inſuper ab ipſis novata, quae memorari non attinet, non ſine magna prioris auctoritatis tuae diminutione te rata habere oporteat, indigniſſimum profecto fuerit, haec quoque, quae nunc in hac tertia cautione addidimus, tibi non integra & inviolata permanere, & Majeſtatem tuam ad eas adſtringi leges, quae nudum fere imperii nomen absque re tibi relinquerent. Sicuti autem tua Majeſtas, tam pudendas conditiones, ſalva tua dignitate, recipere prohibetur, ita ipſi etiam eas, ſalvo ſuo pudore, tibi proponere nequeunt. Facile autem perſpicere poſſunt, hanc conditionem illis non debere eſſe ſuſpectam, cum illae, quibus ipſis tam abunde proſpectum eſt, memoratae ante cautiones ſatis aperte prohibeant, id, de quo egimus, temperamentum ad eam pervenire inaequalitatem, propter quam vel metuere debeant, hanc tibi integram ſervari auctoritatem, vel potius non metuant, hac tanta Majeſtatem tuam afficere contumelia. In quarta & poſtrema cautione, & de nominibus & numero agetur illarum urbium, in quibus, extra Hollandiam & Zelandiam, conciones & ſacra Calviniana celebrabuntur, & duae illae in Hollandia & Zelandia, in quibus ſuae quoque Religionis exercitium habituri Catholici ſunt, nominabuntur. Nam hic aequiſſimum profecto fuerit, ſi aliquando tandem aliquam erga te reverentiam ſubditi oſtendere volent, ſi Catholici Calvinianis conjuncti, qui toties, & tam multis in rebus, Calvinianis non ſatis honeſte ceſſerunt, ſi Catholico ac ſuo Principi gratificari cupiunt, ſi omnes ex animo tibi reconciliari, ac tuam ſaltem aequi-

Digitized by Google

aequitatem imitari, non dedignabuntur, aequiſſimum, inquam, fuerit, juſtiſſimis tuis poſtulatis obſequi. Impetrarunt illi a te, ut in tota Hollandia & Zelandia, duabus illis urbibus exceptis, nullum habeatur publicum Catholicae Religionis exercitium. Impetrarunt, ut per alias ditiones non libera ſolum eſſet alterius, quam Catholicae Religionis, profeſſio, verum etiam, ut quaedam eſſent Civitates, in quibus ipſi quoque ſuas conciones, ceremonias & ſacramenta publice celebrare poſſent. Ab illis igitur viciſſim Majeſtas tua impetret, ut & hae Civitates ſint numero pauciſſimae, ut tales non ſint Civitates, in quibus minus tibi decorum ſit, hoc alterius Religionis exercitium permittere, utque in iisdem Civitatibus, & plura, quam neceſſitas exigit, templa ipſis non concedantur, &, in iis concedendis, vel nulla vel minima Catholicorum templis fiat injuria. Compertum illi habent tuum erga Catholicorum Religionem zelum, non ignorant, quam aegre tibi perſuaderi poſſit, ut, vel nihil in hac parte dignitati & exiſtimationi tuae decedere, neque ullam revera per hanc Pacem fieri Catholicae Religioni injuriam, exiſtimes. Dent igitur hoc juſtiſſimis tuis affectibus, dent illi, quam tibi debent, obedientiae, ut difficiles ſeſe in hac poſtulatione non praebeant, utque hac aequitate declarent, ſe non minus in eo, quod aliqua ratione haec tempora ferunt, tibi velle parere, quam a te ſtuduiſſe impetrare, quod illa neceſſario requirunt, quaeque ſi non impetraſſent, Pacem ipſam ſperare non poſſent fore diuturnam. Si hunc erga Majeſtatem tuam animum, tam in his quam in aliis, de quibus egimus, poſtulatis, non declarabunt, mirari etiam non debebunt, ſi Majeſtas tua, de veteri

teri erga te fide, benevolentia, & obſequio recuperandis, deque Pacis ullius, quaecumque ſtatuetur, duratione deſperans, quia bellandum ſibi eſſe videat, nunc potius funeſtum bellum continuandum, quam incommodiore tempore repetendum, cenſeat. Sed Deus Opt. Max.. qui animum Majeſtatis tuae, ad has tam graves affectibus tuis, qui tamen gravioribus cauſis cedere debuerunt, conditiones ſuſcipiendas, emollivit, tuis etiam, ut ſpero, ſubditis eam mentem, quae tibi in tam aequis poſtulatis obtemperet, miſericordia ſua inſpirare dignabitur. Caeterum, quaenam illae futurae ſint civitates, & quaenam in illis templa ſacris illorum ſint deſignanda, Principes iſti maturo conſilio, tum nobis, tum Ordinum legatis auditis, cum alias quoque levioris momenti, hinc inde propoſitas, conditiones examinabunt, pie & ſancte definire conabuntur. Inter alia vero, de quibus apud ipſos agetur, illud etiam in quaeſtionem venire neceſſe erit, utrum ea, quae de Religionis libertate in hac Pacificatione conſtituentur, perpetua eſſe debeant, an, juxta, ſuperioris cum D. Auſtriaco Pacis formulam, ſubjicienda ſint Generalium Ordinum, in proximo eorum conventu, definitioni. Nam, licet noſtra poſtulatio futura ſit, ut hac in parte ab illius Pacis formula non diſcedatur, non deſunt tamen, ni fallor, cauſae, propter quas aequum eſſe videtur, ne valde nos praebeamus difficiles, ſi contraria potius ſententia his Principibus probetur. Hollandi quippe forſan & Zelandi primum excipient, ſe ejuſmodi conditionem numquam admiſiſſe, atque ideo, ne nunc quidem, ea ſe gravari poſſe contendent: confiteri deinde nos etiam cogimur, res in eum locum adductas eſſe, ut plane impoſſibile ſit, vel

vel Hollandis & Zelandis adimi ſuae Religionis exercitium, vel in aliis Provinciis eripi tot hominum millibus conſcientiarum libertatem. Quod ſi hoc tempore neque in Ordinum, neque in Catholicorum, poteſtate ſitum fuit, ut has, de quibus egimus, conditiones, ſi bellandi neceſſitatem effugere velint, non admittant, quo pacto tandem merito quis dubitet, nos quam primum civile bellum renovaturos, ſi ejusmodi quippiam Proteſtantibus per Generales Ordines imperaretur? Nulla certe jurisjurandi Religio, nullae cautiones eos inhiberent, quo minus poſt talis edicti promulgationem confeſtim ad arma redirent: quam ob cauſam dubitandum etiam non eſt, eo potiſſimum tempore, quo tantum, proh dolor! incrementum Proteſtantium Religio accepit, Ordines non auſuros, imo ne cogitaturos quidem, conſtitutam & promiſſam hanc libertatem ipſis eripere. Sed, ne ante biennium quidem, ut diximus, vel Hollandi ac Zelandi id in ſuis exercitiis toleraſſent, vel aliarum Provinciarum cives ſe rurſus, legibus contra haereticos latis, coërceri permiſiſſent: itaque tunc etiam nobis hic ipſe articulus, quam, in Majeſtatis tuae, & Fratris gratiam, adjectum credimus, non magnam nobis attuliſſet utilitatem. Poſtremo, haec ipſa conditio eo ipſo, quod Ordinibus ſancire & definire non interdicitur, quaecumque tam ad Religionem & debitam Majeſtati tuae obedientiam, quam ad Rempublicam pertinentia, utilia eſſe judicabunt, & in hac & in alia quavis concordia tacite contineri intelligitur. Quod ſi in proximo Ordinum conventu ejusmodi quippiam expediri, & obtineri poſſe credatur, nihilominus id Ordines decreturi ſunt, quam ſi nunc talis ferendae legis poteſta-

tem

Digitized by Google

tem acciperent. Quod ſi alia quaedam majora & efficaciora remedia, ad reſtituendam ex ſententia noſtra Catholicam in his regionibus doctrinam, Catholicis occurrent; vel ſi nobis ſimul & Proteſtantibus commodas hujus in Religione diſſidii, in his ſaltem Ditionibus, componendi rationes Deus ſuggeſſerit, tantae profecto rei eam, quam debent, tam noſtri quam ipſi curam ſuſcepturi ſunt; ſive illis haec de rebus ſtatuendi poteſtas permiſſa, ſive permiſſa non fuerit. Ad haec omnia, quod ad priſtinam de Religionis libertate conditionem attinet, & illud etiam Principes inquirent, utrum expediat eam potius in Religione Pacis ſancire formulam, quam peculiari germanico nomine Religions-frid appellant: ea vero talis eſſe dicitur, ut Proteſtantibus quidem in omnibus totius Belgii Civitatibus templum aliquod non denegetur, ſi modo, qui Religionem illam aliqua in urbe profitentur, ad eum numerum pervenerint, quem illa formula exprimit: ſed viciſſim etiam per omnes Hollandiae & Zelandiae urbes Catholicis ſua templa reſtituantur, ubicumque par Catholicorum numerus, id poſtulantium, reperietur. Hanc Pacis rationem, quamvis prima fronte, quod ubique Proteſtantium ſacra recipiantur, rejicienda videatur, multi tamen nobis judicant utiliorem. Nam miſereri nos aequiſſimum cenſent innumerabilium Catholicorum, qui & nunc, deteriore, quam ſi apud Turcas agerent, conditione, concionibus, ſacrificiis & propemodum ipſis ſacramentis cum ſummo moerore in tot urbibus carere coguntur: & in poſterum in magnum vocantur periculum, ne & ipſi paulatim ad eam Religionem tranſeant, cujus unius ſacra apud ſe celebrari conſpiciunt.



Digitized by Google

Praeterea, ſi talis Pax conſtituatur, multorum opinione majorem ad Catholica ſacra concurſum futurum multi augurantur: Nam multis in locis pauci admodum cernuntur Calvinianorum concionum auditores, & in Miniſtris eorum omnia, quae in noſtris ipſi tam acriter accuſant, vitia deprehenduntur, & poſt mutatam Religionem mores etiam ſectariorum incredibiliter depravati, & prope efferati, eſſe intelliguntur. Itaque propter haec, etiam minus noxium nobis futurum, veriſimile eſt, illud, de quo tot argumentis ſupra diſputavimus, ejusdem doctrinae in quibusdam extra Hollandiam civitatibus exercitium, quoniam & nunc in Hollandia & Zelandia, & ſuperioribus annis in Gallia, experientia docuit, interdicto potius quam admiſſo hoc exercitio, ſectas iſtas majores quotidie vires capere.

REX. Non habeo quid ad haec reſpondeam, chariſſime Dux, niſi quod his piis Principibus, qui ſuis ſanctis laboribus tantum Deo obſequium praeſtant, ac de nobis, deque miſeris illis Ditionibus, ac de tota Eccleſia, tam bene merentur, id ſtatuere permitto, quod ipſorum judicio Catholicae Eccleſiae magis expedire videbitur. Interim Deum Opt. Max. ſupplex oro, ut non Pacem nobis tantum ſtabilem & diuturnam, ſed ejusmodi, quae gloriae ipſius & Catholicae Eccleſiae ſit utilis, atque afflictiſſimae Reipublicae noſtrae Belgicae, quoad ejus fieri poterit, priſtinam tranquillitatem, modeſtiam, ac felicitatem paulatim reducat, eorum & veſtra opera largiri dignetur.

DUX. Duo ſunt, clementiſſime Rex, quae, in hoc tuo ſanctiſſimo voto, Majeſtas tua a Deo Opt. Max.

Max. poſtulat: alterum ad Pacis ſtabilitatem, alterum ad Catholicae Religionis utilitatem, pertinet: non ſancta autem ſolum, verum etiam magis, quam umquam, neceſſaria hoc tempore haec poſtulatio eſt. Egemus enim prorſus peculiari quadam & extraordinaria Dei miſericordia, per quam potenti ſua dextra, ut haec aliquando conſequamur, atque ipſimet noſtri miſereamur, animos noſtros emolliat. Nam, quod ad nos quidem attinet, duo profecto nobiſcum afferimus validiſſima contra utrumque bonum impedimenta: contra Pacis quidem diuturnitatem, truculentiſſimum utrimque in adverſarios odium; contra Catholicae vero Religionis reſtitutionem, omnium eorum remediorum, quibus ad Eccleſiam haeretici revocandi eſſent, nimis altam oblivionem. Solus ergo Dominus eſt, qui, peculiari ſua, ut diximus, miſericordia, & conjunctas in Pacem dextras noſtras ſtabili vinculo retinere, atque, excuſſo tam profundo lethargo, Catholicos ad ſerias aliquando de ſalutaribus illis remediis ſuſcipiendis cogitationes excitare debet. Sed, quoniam, ſicuti proverbio dicitur, noſtra quoque cum Deo movenda eſt manus, noſtrarum viciſſim partium fuerit, ut, cum cauſas malorum non ignoramus, quaecumque nobis vel Catholici prophanique libri, vel noſtra divinitus adjuta ingenia, ad eas cauſas removendas arma ſuppeditare poterunt, ea, omni noſtra diligentia ac cura conquiſita, ad ipſa mala, quae tam immedicabilia videntur, tollenda accommodemus. Primum igitur, ſi Pacem firmam eſſe cupimus, operam nos dare oportet, ut atrociſſimum illud odium, quo nos mutuo, propter adverſas noſtras, tam in Republica quam in Religio-



Digitized by Google

ligione, ſententias, hactenus proſecuti ſumus; ſi prorſus exuere ac deponere non poſſumus, magna ſaltem ex parte moderemur ac minuamus. Ac meo quidem judicio numquam id faciemus, niſi mitius & moderatius, & noſtri de adverſariis, & ipſi viciſſim de noſtris, ſentire incipiant. Quo vero mitius utrique de adverſariis noſtris ſentiamus, primum danda nobis opera eſt, ut, quibuscumque nobis licebit rationibus, facta eorum excuſare atque extenuare conemur, ne, nobis etiam judicibus, graviter contra nos peccaſſe videantur. Turpe enim fuerit, nos in longe levioribus peccatis non imitari Chriſti atque Apoſtolorum aequitatem, qui omnium, quotquot Sol umquam vidit, teterrimi criminis in Filio Dei crucifigendo auctores, quia per ignorantiam commiſſum eſſet, excuſare, atque venia aliquo modo dignos profiteri, non dubitarunt. Secundo, quamvis Dei vel praeſcientia vel providentia peccati culpam non imminuit, permittente ejus benignitate, poſſumus, &, quia propterea hoſtibus noſtris facilius ignoſcere ſolemus, debemus etiam, graviſſima quoque crimina ad ipſius referre conſilium, atque ordinationem; atque ea ratione aliquam videri factis eorum tribuere neceſſitatem, ne illud ipſum conſilium Domini, qui toties inſignem aliquam ex peccatis noſtris utilitatem elicere ſolet, ſuo fraudari cogatur effectu. Habemus autem hujus aequitatis pulcherrima in ſacris litteris exempla. Sanctus enim Patriarcha Joſeph, cum fratribus ſuis ignoſcere, atque eos in gratiam recipere, vellet, ſceleſtiſſimum factum eorum divinae tribuit providentiae, quae, propter ipſorum & totius familiae ſalutem, ipſum in Aegyptum praemittere ſta-

Digitized by Google

ſtatuiſſet: iidem etiam Apoſtoli, ad poenitentiam Domini interfectores invitantes, quo faciliorem ipſis impetrandae veniae rationem oſtenderent, non per ignorantiam ſolum ipſorum, verum etiam per definitum Dei conſilium de Filio ſuo in mortem tradendo, eaedem illam contigiſſe teſtabantur. Sed & prophani quoque ſcriptores eadem hac iratum hoſtem placandi ratione ſunt uſi, tamquam aliquid ſemper fatum, ut ipſi vocant, vel, ut nos, divina providentia, conſtituerit, quod non patiatur nos iis eſſe implacabiles, qui, per voluntarium quoque ſcelus, cauſam vel occaſionem fatis ad deſtinata perficienda praebuerit. Hoc namque modo a Cicerone apud Caeſarem, in Oratione pro Ligario, eos, qui Pompeji partes ſecuti fuerant, atque his elegantiſſimis verſibus, quos propterea adſcripſimus, excuſatos eſſe legimus:
„ Quod multi, inquit, o Caeſar, contra te arma
„ geſſerint, alii errorem, alii timorem; qui durius,
„ ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui
„ graviſſime, temeritatem; nemo hactenus ſcelus
„ vocavit." Ac mihi quidem, ſi proprium & verum nomen noſtri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidiſſe videtur, & improvidas hominum mentes occupaviſſe, ut nemo mirari debeat, humana conſilia divina neceſſitate eſſe ſuperata. Poſtremo, magna diligentia curandum eſt, ut, quas nos etiam praebuimus, belli vel diſſenſionis alicujus cauſas, quaeque, bello durante, poſtea per nos vel noſtros peccata ſunt, ante oculos etiam habeamus. Nam, tametſi certo nobis perſuadeatur, graviorem in utroque adverſariorum eſſe culpam, quam noſtram, meminiſſe tamen debemus, per ea, quae a nobis contra jus geſta ſunt, culpam

eam extenuari; quoque haec plura vel majora fuiſſe deprehendemus, tanto ſemper eorum cauſam habendam eſſe juſtiorem. Cum vero in omnibus fere civilibus longi temporis diſſidiis Pax fieri non ſoleat, niſi prius omnium utrimque geſtorum oblivio ſive amneſtia ſanciatur, eo certo ipſo omnes non obſcure confitemur, nullum eſſe hujus generis bellum, in quo non ſemper, ſicuti dicitur, Iliacos intra muros peccatur & extra. His itaque rationibus nos etiam uti oportet, quo cauſam habeamus tam acerbe de adverſariis non ſentiendi, ſi modo odii quoque, quo nos hactenus proſecuti ſumus, acerbitatem lenire, ac propterea, vere Chriſtiana inter nos inita concordia, diuturnam, ut dixi, vel potius perpetuam, hanc fore concordiam ſperare volumus. Quod ad Reipublicae igitur cauſam pertinet, noſtri quidem credant, adverſarios, nimio quodam libertatis ac veterum conſervandorum Privilegiorum amore, ac nimia praeterea injuriarum quarumdam impatientia, non odio Principis, vel ſtudio rebellandi, accenſos, non ſatis animadvertiſſe, non fuiſſe ſibi vel arma haec contra Principem ſuum ſumenda, vel Patriam his malis involvendam, atque in longe majus gravioris ſervitutis periculum adducendam. Illi viciſſim de noſtris ſentiant, honeſtiſſimam hanc legitimo Principi parendi ſpeciem ipſis impoſuiſſe, tum quo minus & contumelias *illas* liberis hominibus non ferendas, & libertatem ſibi una cum privilegiis eripi cernerent, tum ut hac de cauſa ſeſe cum iis, a quibus durior illa ſervitus timeri poterat, magis quid Principi, quam quid Patriae, deberent, memores, conjungerent. Secundo, quid, quaeſo, prohibet, quo minus credamus,

Deum

Digitized by Google

Deum Opt. Max. avaritia, luxu, faſtu, atque aliis plurimis horum miſerorum populorum flagitiis, offenſum, atque ideo graviter in eos pro meritis animadvertere ſtatuentem, permittendum ſibi eſſe judicaſſe, ut & mitiſſimus alioquin Princeps praefectorum & militum ſuorum peccata diſſimularet, & ſubditorum querelas negligeret; utque ipſi Gubernatores & milites, juſto inſolentius, avarius, & crudelius, in ſubditos graſſarentur: atque humaniſſimi denique natura, ac modeſtiſſimi populi, injuriis illis exacerbati, ultra prioris manſuetudinis, modeſtiae, ac reverentiae ſuae erga Principes ſuos, fines, aequo longius progrederentur: atque ita, creſcentibus gravioris ſimultatis cauſis, florentiſſimas Provincias, mutuis vulneribus confectas, in hunc, quem cernimus, calamitoſum ſtatum conjicerent, & priorum peccatorum per juſtiſſimam Domini indignationem poenas darent. Poſtremo, ſingulos noſtrum utrimque meminiſſe oportet, ſuum quoque in bello ſuſcipiendo ſcopum aliquo vitio fuiſſe contaminatum, ſuasque in bello gerendo actiones multis in rebus a culpa non fuiſſe immunes, ac per ſe quoque, vel per ſuos, non leves hoſtibus fuiſſe datas ad arma ſumenda & continuanda occaſiones. Quod ſi igitur ingenitum nobis illud philautiae vitium, quod omnia adverſariorum facta pro injuſtis & nefariis, noſtra vero omnia pro ſanctis & juſtis, habere nos cogit, diligenter, ut oportet, vitare, atque ea, qua par eſt, ſinceritate, noſtra quoque conſilia & facta excutere, ſtuderemus; multa profecto inveniremus, quae hoſtes, factis illis irritatos, excuſatione digniores efficere, ac nos ideo, ad priora noſtra odia vel exuenda, vel mitiganda,

 lon-

Digitized by Google

longe proniores reddere deberent. Eodem quoque modo mitiores de adverſariis ferendas opiniones, in iis, quae ad Religionem pertinent, induemus, ſi memoratis remediis, ac praeſertim primo ac tertio, pari aequitate uti non pigebit. Nam, ut illa primum, quae ad noſtrum de adverſariis judicium emolliendum ſpectant, recenſeamus, hic quoque meminiſſe nos oportet, nos veros Chriſti diſcipulos hac in parte non futuros, ſi, magnae adverſariorum parti non ſimplicem tantum errorem tribuiſſe contenti, improbam quoque illis pertinaciam objicere non vereamur. Nam, ſi Chriſtus, in illo omnium teterrimo, ſicuti diximus, facinore, talem agnoſcere non dubitavit crucifigentium ipſum ignorantiam, quae peccatum eorum imminuere, quaeque proinde, veluti cauſa quaedam, cur venia digniores eſſent, Patri coeleſti proponi poſſet: ſi idem, in omnibus Apoſtolorum & fidelium perſecutoribus, quod obſequium ſe Deo praeſtare arbitrantur, teſtimonium praebere non gravatur: ſi Paulus Judaeorum quoque, in Chriſti odio, & fidelium perſecutione, zelum commendare non dubitat, nihil certe nos amplius prohibere poteſt, quin clementiſſime de plerisque Calvinianis & Lutheranis ſentiamus, ſi Chriſti, inquam, & Apoſtolorum imitatores eſſe volumus. Nam, illos ſaltem omnes, de quorum pertinacia ſpecialiter nobis conſtat, judicare poſſumus, & debemus, in errore ſuo amplectendo, non opes, honores, vel carnis libertatem, ſed ſalutem animarum ſuarum quaerere, atque ad illa ipſa, quae contra nos moliuntur, zelo Dei, cui obſequium ſe praeſtare credunt, inflammari: ac eos denique, ſicuti Auguſtinus

nus ait, errare quidem poſſe, haereticos, niſi ulterius progrediantur, eſſe non poſſe. Nam, ſi Judaei, poſt evidentiſſimas illas & luce clariores probationes, quod Dominus Jeſus promiſſus & exſpectatus ipſorum eſſet Meſſias, ipſum crucifigentes in ejusmodi errore, qui peccatum imminuit, verſari judicati ſunt; noſtros certe adverſarios, non majore veritatis luce erroris convictos, ac per errorem ad tam deteſtabile ſcelus non progreſſos, longe levius in errando peccare, & longe veriore Dei zelo moveri, vel ſaltem a pertinacia, quae peccatum augere, non extenuare, ſolet, magis immunes habere nos oportebit: atque ideo, quoad de ſingulorum nobis pertinacia non conſtat, in haereticorum album eos recenſere non licebit. Si qui autem inter illos ſunt ſimpliciores, modeſtiores, & probiores, eos etiam in illis ipſis erroribus Dei quoque filios, & aeternae vitae haeredes, exiſtimare non prohibemur, praeſertim cum videamus, eosdem Symbolum Apoſtolorum, quod Religionis noſtrae articulos complectitur, eodem modo, quo in Niceni & Athanaſii Symbolis, per omnes ejus partes, explicatur, inviolatum nobiſcum retinere. Iniquiſſimum ergo videtur, ſimpliciores ſaltem & probiores viros, aeternis ob hujusmodi errores ſuppliciis dignos, judicare; cum, doctiſſimis & ſanctiſſimis Patribus, qui diligentius veritatem & Eccleſiae doctrinam examinare debuiſſent, ſatis etiam graves errores, quo minus inter praecipua Chriſti membra habeantur, non obſtitiſſe, apud omnes ſit indubitatum. Eadem autem aequitate tertium quoque remedium, in iis, quae nobis non omnino falſo objiciuntur, aliqua ſaltem ex parte

 agno-

Digitized by Google

agnoſcendis, ad odia noſtra mitiganda accommodare nos oportet. Videmus ac legimus nobis objici corruptiſſimos Eccleſiae mores, luxum, ambitionem, avaritiam ac libidinem ſacerdotum, multiplicem ubique ſimoniam, turpem indulgentiarum atque aliorum ſacrorum quaeſtum, ſupinam Paſtorum in regendis Eccleſiis ſuis negligentiam, parem eorum in examinandis ſanctorum Hiſtoriis & reliquiis ſocordiam, populi ſaltem aequo craſſiores in colendis ſtatuis & imaginibus errores, atque alias omnis generis non paucas forte ſuperſtitiones. Quamvis autem, inter haec mala, ſana & Orthodoxae Romanae Eccleſiae doctrina, & fundatiſſima, per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem, ejus veritas perpetuo manſerit incolumis, atque ideo fas nobis non eſſe merito judicemus, vel leviter ſemel de Catholica Eccleſia relinquenda cogitare: pleraque tamen horum veriora, quam expediat, eſſe habenda, inficiari non poſſumus. Pro veris autem agnoſcere non licet, niſi propter haec etiam minorem in adverſariis culpam eſſe ſentiamus, quos memorata ſcandala, quae tantam in multorum, neque ingenio, neque probitate carentium, animis vim habere perſpicimus, a nobis alienarunt. In eo vero potiſſimum graviſſimum, ut in haereſi permaneant, offendiculum a nobis praeberi, animadvertere deberemus, quod, tam miſerabile ſchiſma & interitum prope Eccleſiae noſtrae intuentes, & veterem noſtram in maculis illis detergendis retinemus negligentiam, & acerbiſſimis haereticos, cum poteſtas datur, ſuppliciis afficere non deſinimus: & ut hoc tam late omnia vaſtans incendium, quantum in nobis eſt, reſtinguamus, ne in leviſſimo quidem illorum errore

rore

Digitized by Google

pore connivendum aut diſſimulandum nobis eſſe cenſemus. Hoc ergo modo cum nos erga adverſarios affectos eſſe oporteat, ipſi viciſſim Calviniani ſive Proteſtantes, tum etiam cum in ſententia ſua permanent, minus nobis ſuccenſere deberent, quod ab hujus, in qua nati ſumus, Eccleſiae fide diſcedendum nobis non eſſe credimus: quia & ipſi negare nullo modo poſſunt, nos non improbabiles ſaltem habere hujus conſtantiae noſtrae cauſas. Tenuit enim olim Catholicos omnes in hac Eccleſia, ut Auguſtinus ait, & nunc nos multo magis tenere debet, conſenſio populorum & gentium: tenet authoritas, tot ſeculorum vetuſtate confirmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas ſuas oves poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, usque ad praeſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. Tenet poſtremo ipſum Catholici nomen, quod non ſine cauſa inter multas haereſes ſola obtinuit. Hoc porro tempore nos tenent graviſſima & intoleranda quaedam incommoda, in quae procul dubio incideremus, ſi vel noſtra non eſſet vera Eccleſia, vel, ſingulorum fidelium judicium definitionibus illius non eſſe ſubjiciendum, crederemus. Si haec, quam colimus, non eſt vera Chriſti Eccleſia, ſi tam gravibus, ut adverſarii contendunt, erroribus eſt inquinata, vel caecis apparere poteſt, eam nusquam prorſus, hisce mille ſaltem annis, exſtitiſſe; atque ideo, quaecumque in ſcripturis de perpetua Spiritus Sancti in Eccleſia praeſentia, ac de perpetua ipſius Eccleſiae contra Inferorum portas victoria, ac de jugi portarum ipſius die ac nocte apertione, exſtant teſtimonia, vera judicari non poſſe: quando omnes ubique Chriſtiani, tam

Laici

Laici quam Eccleſiaſtici, tam paſtores quam oves maxima ſaltem errorum illorum parte infectos fuiſſe dubium non eſt. Si haec non eſt Eccleſia, a mille quoque annis oſtendi non potuit vel Civitas illa ſupra montem collocata, vel mons ille, cujus Eſaias meminit, in vertice montium poſitus, ad quem alias gentes, veram ſalutis petituras doctrinam, confluxuras fuiſſe legimus: ſi privatorum omnium in Chriſtiana Eccleſia judicium ſubjici non deberet, univerſali totius Eccleſiae definitioni, fruſtra nobis Eccleſia, niſi in Publicanorum numero haberi velimus, proponeretur, audienda: fruſtra nominaretur columna & firmamentum veritatis, quia nullus in univerſo orbe coetus eſſet, cujus auctoritatem, ſi noſtro quoque judicio decreta ejus non ſatisfacerent, ſequi nos oporteret: fruſtra eumdem in Eccleſia fidei ſpiritum umquam futurum ſperaremus: fruſtra denique per totius Eccleſiae Synodos haereſibus mederi ſtuderemus, ſi a Synodo definita imperitiſſimi quoque Chriſtiani, ſi modo ſacris literis conſona ipſis non viderentur, rejicere poſſent, ac tenerentur. Quamvis igitur Proteſtantes ſibi perſuadeant, poſſe ſe, manifeſtis & perſpicuis rationibus, doctrinam noſtram falſitatis convincere, in quo tamen graviſſime falluntur, ſumma nihilominus aequitate erga noſtros uti, ac de ſalute eorum bene ſperare, deberent: quos enim tam efficaces & illuſtres rationes, quarum ſplendore, ut ipſimet aliquando teſtantur, piorum & doctorum oculi ſaepe perſtringuntur, ad aliam ſe Eccleſiam transferri non permittant, ut eos, tametſi graviter errantes, venia judicemus apud Deum dignos, ac numero filiorum Dei non eximi, ratio & aequitas

tas poſtulat. Eo vero leviorem in erroribus noſtrorum culpam agnoſcere ipſos oporteret: quoniam & illud non ignorant, non paucos ex Patribus, quos ipſi nobiſcum, veluti praecipua Eccleſiae lumina, venerantur, ab illis, quos in nobis deteſtantur, erroribus non fuiſſe alienos: quicumque enim errantes Patres abſolvunt, nullo certe jure poſteros eorum, tantam ſecutos, & quidem poſt tot ſecula, authoritatem, damnare permittuntur. Ad haec meminiſſe debent, ſe quoque nobis quibusdam ſuis factis ejusmodi praebere ſcandala, ut, neque mirari, neque ſuccenſere, nobis merito queant, nos, a doctrina ipſorum propter haec quoque alienatos, in veteris Eccleſiae fide perſeverare. Proponant enim ſibi, quaeſo, ante oculos, tot ſectarum, in quas diſſecti ſunt, qui Romanam Eccleſiam reliquerunt, multitudinem, & mirari deſinent, ſi plurimis noſtrum non perſuadeatur, ſpiritum illum unitatis & pacis non eſſe hujus defectionis auctorem; praeſertim, cum & hoc etiam impedimentum, noſtram Eccleſiam deſerere cupientibus, haec ſententiarum multitudo afferat, ut, vel temere unam ex illis approbare, vel ſingulas ſeorſum examinare, omnes cogantur; quod certe ſupra populi captum poſitum eſſe, nemo eſt, qui non intelligat. Proponant praeterea ſibi tot conviciorum, & tot ſcurrilium ſcommatum plauſtra, quibus coryphaeorum ipſorum libri ſcatent, & minus etiam indignabuntur, quibusdam parum credibile videri, per tales Apoſtolos, tametſi nihil aliud in vita ipſorum poſſit reprehendi, ſepultam tot ſeculis Euangelii lucem orbi fuiſſe reſtitutam. Jam vero iniquam illam atque omni jure carentem conſiderent ſacerdotum & monachorum

in

Digitized by Google

in tot locis expulſionem, & bonorum ipſorum direptionem, vel publicationem, vel in alios uſus converſionem. Nam hanc quoqûe non levem eſſe cauſam intelligent, cur doctrinam ipſorum, aliis potius, quam veritatis, illecebris, tanta ab initio incrementa accepiſſe ſentiamus. Quod ſi praeterea ante oculos habeant tot funeſtiſſimorum bellorum plusquam Schyticam immanitatem, tot Provinciarum inauditas calamitates, ac tantum ſcelerum numerum, quibus haec doctrinae novitas potiſſimam forte praebuit cauſam, aequiore ſaltem laturi ſunt animo, ſi quidam ex noſtris non modo tales exiſtere non poſſe credant veri Euangelii fructus; verum etiam ad ſolam hujus doctrinae, quae tantum ſecum malorum traxerit, mentionem, quodammodo, contremiſcant. Conjungant deinde, cum illa, quam diximus, ſectarum multitudine, non civitatum ſolum inter ſe, vel civium in una civitate, ſed unius familiae, in Religione diſſenſiones. Conjungant infinitam quamdam imperitiſſimi quoque vulgi, in ſentiendo & judicando de graviſſimis rebus, atque in damnando alios, licentiam: quam cum ad ipſum etiam atheismum per deſperationem quamdam inveniendae veritatis in plurimis pertractam videant, mirandum eſſe non credent, ſimplices & bonos viros, ſi in aliquem incidant, qui eos a Catholica Religione abducere velit, vel aures illi confeſtim obturare, vel etiam cum convicio ipſum a ſe, quam primum, abigere. Intueantur denique, praeter haec omnia, tum populi ſui mores, plurimis in locis per hanc doctrinam adeo depravatos, ut Lutherus ipſe prae dolore non ſemel, ſe Papatus per Germaniam reſtitutionem optare, publice ſit profeſſus; tum, quod majo-

Digitized by Google

majore admiratione dignum eſt, ipſorum etiam Miniſtrorum & Superintendentium ſuorum vitam. Nam, ſi in his etiam eamdem invenient ambitionem, ſuperbiam, crudelitatem, avaritiam, atque idem civilia atque adeo bellica negotia adminiſtrandum alieniſſimum a munere ipſorum ſtudium, atque alia praeterea mala, tam tragice ab ipſis ubique, cum in noſtros ſacerdotes invehuntur, amplificata, & ipſi facile deprehendent, immerito noſtros accuſari, quod haec majorem vim, ad Lutheri doctrinam ſuſpectam in eorum animis reddendam, habeant, quam hactenus, ipſorum contra nos declamationes, ad noſtrae doctrinae contemtum, & odium apud noſtros conciliandum, habuiſſe, tanto Eccleſiae malo ſumus experti. Noſtrorum enim Eccleſiaſticorum vitiis opponimus veterum Epiſcoporum ac ſacerdotum ſanctitatem, qui ſummae vitae integritate ac ſanguine frequenter ſuo doctrinae coeleſtis veritatem confirmarunt. Deinde, quod tantopere, a multis jam ſeculis, maxima noſtrorum ſacerdotum pars a veteribus illis degenerat, dolemus quidem, ſicuti par eſt, ſed non adeo miramur, cum omnium ſeculorum hiſtoriae nos doceant, ſanctiſſimas etiam Reſpublicas, amiſſa illa, quae ſanctitatem illam conſervabat, diſciplina, corruptas, atque in peregrinos mores, longitudine temporis, degeneraſſe. Quamvis itaque, confirmatam & fundatam majorum ſanctitate doctrinam, per improbam poſterorum vitam, authoritatem ſuam amittere non debere, merito ſentiamus; merito tamen nullam novam doctrinam, tamquam a Deo profectam, facile admittere poſſumus, cujus doctores, inter ipſa ſuae praedicationis initia, non modo nulla ſanctitate inſignes, ſed gravibus ap-

pa-

Digitized by Google

parent obnoxii vitiis: atque hanc inſuper addere non verentur impudentiam, quod tanta auctoritate & ſupercilio reprehendere audent, quae ſibi cum iis, quos reprehendunt, negare non poſſunt eſſe communia. Haec itaque ſunt, propter quae tam noſtri de haereticis, quam de noſtris haeretici, mitius & clementius ſentire oporteret. Nam & erroris ea natura eſt, praeſertim ubi ex non penitus improbabilibus naſcitur cauſis, ut maxima quoque crimina per eum extenuentur, & ea, quae in noſtris factis adverſarii merito culpare poſſunt, jure a nobis exigunt, ut nos ipſorum peccatis facilius ignoſcamus, & illa viciſſim ipſorum, quae nos optimo jure offendunt, eos etiam admonent, ut nobis quoque facilior apud illos parata debeat eſſe venia. Non debent quidem illa eſſe in cauſa, ut ſuam quisque Religionem ideo ſegnius tueri, colere, vel promovere, curet; hactenus tamen valere aequum fuerit, ut errantes ipſos minus & ſceleratos & impios, & aliqua ſaltem venia non indignos, exiſtimemus. Hoc ergo ſi praedictae rationes, tam in Republica, quam in Religione, a nobis impetrabunt, quis, quaeſo, non videat, quantam illa vim habitura ſint, ad hanc, quam quaerimus, Pacem ſtabilem & perpetuam, per Dei gratiam, efficiendam? Nam, ubi primum mitius de nobis mutuo ſentire incipimus, teterrima quoque illa, quibus nos hactenus proſcidimus, convicia audiri deſinent: deinde acerbiſſima, quae ſummam eorum, quos odimus, ſemper praetexunt improbitatem, odia quotidie remittentur, & ea, quae inter nos revocatur familiaritas & conſuetudo, ſincerior & fidelior efficietur: atque ita tandem Pax ipſa, coaleſcentibus vel propinquioribus

faſ-

Digitized by Google

ſaltem animis magis ac magis ſtabilietur. Per haec igitur ſatis mihi declaraſſe videor, Clementiſſime Rex, quid a nobis fieri debeat, ne, implorata a Majeſtate tua ope, divinae miſericordiae ſimus impedimento, quo minus conſtituta Pax ſtabilis, diuturna, vel potius perpetua, eſſe queat. Reliquum ergo nunc duntaxat eſſet, ut, quo pacto cum Deo noſtra movenda ſit manus, ad Pacem hanc Catholicae quoque Religioni in his Ditionibus utilem reddendam, Majeſtati tuae vel explicare vel indicare conarer. Hic quippe & praecipuus & nobiliſſimus Majeſtati tuae, & his Principibus, & nobis omnibus, debet eſſe propoſitus laboris noſtri ſcopus, praeſertim, cum haec, per Catholicae Religionis reſtitutionem omnium piorum votis & ſuſpiriis jam integro prope ſeculo exoptata, concordia ipſam quoque Reip. Pacem non ſolum in his Ditionibus, verum etiam in omnibus Chriſtiani orbis provinciis, usque adeo juvare & conſtabilire poſſit; ut quibuscumque inter nos legibus conveniamus, quibuscumque nos cautionibus muniamus, numquam defutura ſint peſtifera novorum diſſidiorum ſemina, vel eruptura aliquando in ſimiles tragoedias, vel non paſſura nos metu ſaltem harum ſeditionum ac dimicationum aliquando liberari. Sed, quoniam tantis de rebus agere longe ſupra hujus colloquii argumentum & multo magis ſupra meam poſitum eſt conditionem, nulla cauſa videtur, cur Majeſtatem tuam diutius hac ipſa collatione detinere debeam. Satis autem eſt, ſupra nos breviter admonuiſſe, id, quod apud omnes proh dolor! nimis manifeſtum eſt impedimentum, quod à nobis ad hanc Eccleſiae



Digitized by Google

concordiam recuperandam affertur, nihil eſſe aliud, quam ſummam, in neceſſariis ad eam rem adhibendis remediis, omnium ordinum negligentiam: ſive autem negligentia noſtra in eo ſita ſit, quod corruptiſſimos Chriſtianorum omnium, & potiſſimum ſacerdotum, mores, veteris Eccleſiaſticae diſciplinae reſtitutione, non emendamus: ſive in eo, quod nonnullos ſuperſtitionum abuſus Chriſtiana libertate, gravitate & ſapientia non tollimus: ſive etiam in eo, quod duriores & iniquiores interdum ſumus in quibusdam concedendis, vel diſſimulandis ac tolerandis, quae non ſolum Catholicam Religionem conceſſa non laederent, verum etiam plurimos forte & in Catholica Eccleſia retinerent, & ab ea alienatos revocarent: ſive poſtremo in eo peccavimus, quod tam validas hactenus non oppoſuimus haereticis confutationes, quae, vel ipſis judicibus, improbatae & impiae doctrinae ipſorum falſitatem demonſtrarent, & illis reluctantes veriſſime probarent eſſe haereticos, hoc eſt, ut Apoſtolus éos vocat, proprio judicio condemnatos. De his aliquando tandem ſeriam cogitationem ſuſcipere, ſatis conſtat ad primorum Eccleſiae Principum, hoc eſt, Pontificum & Regum, curam pertinere. Sive autem rurſus haec praeſtanda ſunt, per univerſale Concilium, ſive per liberum quoddam inter noſtros & adverſarios colloquium, ſive per ſingulares cum ipſis in quibusdam provinciis congreſſus, ſive exacta quadam privatorum ſcriptorum opera, ſive potius his modis omnibus, certum eſt nihilominus, ea ratione (quod hactenus forte a nobis factum non eſt) haec omnia inſtituenda, quae magna probabilitate,

Deum

Digitized by Google

Deum nobis affuturum, & felicem conatibus noſtris ſucceſſum largiturum, polliceri queat. Nam ea fortaſſe de cauſa, quidquid à nobis hactenus tentatum eſt, optato ſucceſſu, Deo disponente, caruit, quod neque ad nos emendandos eum, quem oportuit, pietatis affectum umquam attulerimus, neque ad haereticos nobis reconciliandos ſatis aptas & proprias & ſatis efficaces rationes invenerimus. Sed quoniam haec, ſicuti diximus, hujus colloquii argumentum ſuperant, finem aliquando illi inponens Deum Opt. Max. precabor, ut tuae Majeſtati (quam eminentiſſimum iſtum in Chriſtiana Republica locum Deus obtinere voluit, quamque jam a ſuſceptis tot regnorum gubernaculis ardentiſſimo in Catholicam Religionem zelo donavit) atque aliis utriusque Ordinis Chriſtianis Principibus eam mentem largiri dignetur, ut haec, quam primum fieri poterit, ad nominis ipſius gloriam, & ad tam neceſſariam Eccleſiae tranquillitatem, veſtris auſpiciis feliciter inchoata, ac felicius perfecta videre queamus: quod, ſi, peccatis noſtris promerentibus, nondum tantam totius Eccleſiae felicitatis ſpem haec tempora nobis praebere poſſunt, in his ſaltem provinciis, quantum cura & diligentia Majeſtatis tuae praeſtari poterit, & Eccleſiaſticorum mores emendari, & ſuperſtitiones tolli, & adverſariis nonnulla concedi, & validiſſime contra haereticos disputari, ob eam, quam diximus, Religionis utilitatem, & Pacis ſtabilitatem, vel omnino neceſſarium, vel utiliſſimum ſaltem futurum, & ille, quem dixi, Theologus mihi perſuaſit, & res ipſa, ni fallor, cuilibet perſuadere debet. Quamobrem, ſi



Digitized by Google

eas divino beneficio rationes inveneris, per quas tanti voti compos aliquando efficiaris; primum iſtae tuae miſerrimae, poſtea vero beatiſſimae futurae, Ditiones non ſolum Patrem Patriae, ob redditam ipſis Pacem, verum etiam plus quam Parentem, ob reſtitutam eis Catholicam Religionem, perpetuo agnoſcere & praedicare non deſinent: & tua praeterea Majeſtas, promota Dei gloria, & conſtabilita debita tibi a ſubditis obedientia, & maximo veluti gradu facto ad recuperandam integram totius Eccleſiae concordiam, eum capiet in hac quoque vita, ut futurae praemia non commemorem, ex puriſſimae conſcientiae gaudio fructum, cum quo nulli Principum de ſuperatis bello hoſtibus triumphi comparari, ni fallor, potuerunt.

F I N I S.

Digitized by Google

# HELII EOBANI HESSI,

# ET

# CASPARIS SCHETI, CORVINI,

## CARMINA ELEGIACA.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD HVMANISSIMVM

ATQVE

ORNATISSIMVM

VIRVM,

DOMINVM

CASPAREM SCHETVM, CORVINVM,

PATRICIVM ANTVERPIANVM, AMICVM CARISSIMVM SVVM,

HELII EOBANI HESSI,

IN

HOMERI ILIADA

A SE

LATINO CARMINE REDDITAM,

# PRAEFATIO.

In varias quondam partes diſtractus Homerus,
  Et lacer ingrato ſparſus in orbe fuit.
Reddidit e toto Piſiſtratus orbe reductum,
  Sicut ab exilio, Graecia docta, tibi.
Sed, velut adſertum ſibi Graecia ſola legebat,
  Expers Maeonidae lingua Latina fuit.



Digitized by Google

Quamvis & legerent ſummum Romana poëtam
Ingenia, & tantas aſſequerentur opes:
Nemo tamen Latiae conatus tradere linguae,
Carmine qui vellet reddere, nemo fuit.
Nam quid pauca morer, quae tamquam vana jacebant
Fragmina, vix aliquo lumine digna legi?
Quid loquar, ut numeris, & Graeca luce carentem
Deſierint homines vatis habere loco?
Adde, quod eximium divini carmen Homeri
Nituit hac multo conditione magis.
Donec in haec etiam loca migraretis Athenae,
Noſtraque facta fere, Cecropi lingua, fores.
Tum docti agricolae noſtros ſparſere per agros,
Sed tantum partes meſſis, Homere, tuae.
Ipſe quoque in partes auſus veniſſe, ferebam
Pauca laboranti farra reſecta manu.
Territus inde gravi ſubeundi mole laboris,
Abjeci irata pondera vaſta manu.
Jam ſecurus eram, jam liber, & otia ſpectans,
Ditia Maeonidae rurſus in arva vocor.
Et jam ter duo tranſierant ſine meſſibus anni,
Tam neglecta diu cum ſeges iſta foret.
Cum ſubito aggreſſi me non paterentur amici,
Otia ſecura libera mente ſequi.

Quos

Quos inter primus cum noſter Oporinus eſſet,
Contendens noſtri hoc eſſe laboris opus:
Cur non ingenue fatear, tibi Oporine ſoli,
Deberi Latio carmina verſa pede?
Is tibi Maeoniden Romana voce loquentem
Per nos, quale vides, munus habere dedit.
Huic etiam, quod prodit opus ſine crimine mendae,
Eſt opus acceptum Teutoni fama feras.
Si quoque curae aliquid verſi debetur Homeri,
Hunc tu Chimerinon dixeris eſſe, licet.
Tertia debetur tibi laus, cariſſime Caspar
Sehete, domus merito gloria prima tuae.
Nam cum ſis opibus pollens, & divite cenſu,
Et ſtudia ad tantas accumularis opes,
Major ab ingenii te gloria laude ſequetur,
Quam quae divitiis poſſet ineſſe tuis.
Divitias ſiquidem comitatur ſaepe voluptas,
Artibus ingenuis noxia mille modis.
Vera tamen pariunt ſtudiorum gaudia Muſae,
Summa voluptatis non habet iſta modum.
Adde, quod illecebrae, quae ſcrinia plena ſequuntur,
Momento veniunt intereuntque brevi;
Muſa voluptates quas parturit inclyta, vivunt,
Et ſolidae duro ſtant adamante magis.

Non opus exemplis, quorum tot millia nemo,
    Qui memorata aliis neſciat, eſſe poteſt.
Hoc tamen eximium: niſi Muſa fuiſſet Homeri,
    Tempore perpetuo Troja ſepulta foret.
Nec modo magnanimum quisquam meminiſſet Achillem,
    Nec labor extaret, fortis Ulyſſe, tuus.
Muſa dat aeternos veris cultoribus annos,
    Quam patiuntur opes, carmina morte carent.
Tu quoque non opibus tantum confiſe ſuperbis,
    Longe alia famam conditione paras.
Sic etenim doctas ſequeris, Corvine, Sorores,
    (Conjunctum hoc Scheto jam tibi nomen erit)
Sic colis Aonidum ſacri pia numina fontis,
    Ut credi poſſis progenuiſſe domi.
Nec minus accedunt tibi turba domeſtica Muſae,
    Quam quota quae moeſtas gaza tuetur opes.
Tam tenerum docta modularis arundine carmen,
    Quam quod Pierides vix ceciniſſe queant,
Idque aetate virens, & adhuc juvenilibus annis,
    Atque haec prima tui munera veris habes.
Floret in aeſtatem tibi meſſis amoena futuram,
    Fructibus autumni vix habitura locum.
Nec tibi Divitiae plus tempora ſera levabunt,
    Quam quae te ſtudiis aucta videbit hiems.

Felix,

Digitized by Google

Felix, qui vitae totum digeſſerit annum,
  Hoc quo tu veris tempora more locas.
Non illum temere robuſta fefellerit aetas,
  Illi quo ſenium triſte levetur erit.
Non illum veniens mors opprimet atra timentem,
  In ſua ſemper enim fata paratus erit.
Quin etiam poſt fata manens erit ille ſuperſtes,
  Qui ſic & Charitas Pieridasque colit.
Quare age, macte nova virtute, atque indole tali,
  Caspar, in aeternos hinc abiture dies.
Jam tibi grande tua nomen virtute paratum eſt:
  Nec dubita, noſtro carmine majus erit.
Nec tamen e noſtro tibi tanta labore futura eſt,
  Quanta e Maeonidae gloria divitiis.
Quas tibi nunc, Latiae donatas munere linguae,
  Inſcriptas, utinam munera grata, damus.
Accipe digna tuis virtutibus omina tantis,
  Quae facilem ſternant ad meliora viam.
Accipe Maeonidae divinum carmen Homeri,
  Expreſſam Latiis verſibus Iliada.
Se tibi Romanus debere fatebitur, orbis
  Qui Danao totus noluit ore loqui.
Non quia jam Graiae ſint jura incognita linguae,
  Et tantis careat noſtra juventa bonis;

Sed

Sed quia ab exemplo pulchrum eſt prodeſſe, nec ulla
Conſulitur ſtudiis conditione magis.
Adde, quod Argivo quicumque erit ore diſertus,
Illius & linguae compos & hujus erit.
Maeoniden proprio mavult legere ore loquentem,
Quam dantem externis commata fracta modis.
Et venerabilior ſuus eſt & major Homerus,
Da veniam, vitiis obruor ipſe meis.
Graia magis penetrant animos, & pectora mulcent,
Neſcio quid pejus lingua Latina ſonat.
Grande operae pretium tamen hoc, me judice, viſum eſt,
Graeca prius, pueris facta Latina legi.
Inde ut ab exemplo veluti majora ſequuti,
Propoſita inciperent currere velle via.
Noſtraque fonte ſuo ceu derivata videntes,
De proprio mallent hauſta bibiſſe lacu.
Nec tantum pueris, quibus inſerviſſe decorum eſt,
Haec data, per Muſas, ut legerentur, erant:
Quin etiam doctis, ſpes eſt bona, poſſe probari
Carmina non caeci facta Latina ſenis.
Nam bona ſi, Graecis quae ſunt, bene vertere laus eſt,
Inde mihi laudis ſpes aliquanta fuit.
Quamvis ô utinam tam temporis iſta fuiſſet,
Quam fuit eventus cauſa probata mihi.

Nam

Digitized by Google

Nam nimis ad metam feſtinavere jugales,
Queis nimium currus creditus iſte fuit.
Si qua leges igitur properae neglecta Thaliae,
Da veniam: lapſus impetus omnis habet.
Caetera quid referam, quae me potuere morari,
Difficile e Graiis reddita mille locis?
Nam quis id aſſequier ſe ſperet poſſe, Latinis
Ut numeris numeros exprimat Argolicos?
Quos dum circuitu verborum expendere conor,
In brevis immenſum pagina creſcit opus.
Quo circa moveare nihil, ſi grandior exit
Ilias, in patria quam fuit ante ſua.
Hujus cauſa fuit Latii ſermonis egeſtas,
Si linguae ſpectes uberioris opes,
Si qua novata etiam patrio de more legentur,
Scito ea verſa aliter non potuiſſe dari.
Quamquam & pauca eadem, ceu ſparſa parerga videbis,
Et venia dices digna fuiſſe ſua.
Quin etiam ornatum quemdam traxiſſe putantur,
Quae peregrina aliqua parte figura novat.
Auribus & quaedam quia ſint inſueta Latinis,
Hoc nova ſunt, ſpeciem quod novitatis habent.
Nec metuo invidiam, nec me ulla calumnia terret,
Non his ipſe malis liber Homerus erat.

Haec

Digitized by Google

Haec ego jamdudum videor ſpreviſſe, nec ullum,
  Quisquis es, e nobis, Zoile, nomen habes.
Ergo nec invidiae mihi reſpondere neceſſe eſt,
  Quae me ſi qua manet, jam quoque ſpreta jacet.
Ad te iterum redeo, cui noſtri ſumma laboris,
  Et nova, ſic merito, cura dicanda fuit.
Adſere Maeoniden Caſpar tibi Schete dicatum,
  Haec eſt officii cura futura tui.
Adſerere ut poſſis, per nos tibi ſtrata palaeſtra eſt,
  Hoc quod de vatum principe carmen habes.
Nec te commoveant, quos linguae cura Latinae
  In diverſa nocens devia paene rapit.
Quos ſua delectant nimium, dum ſcripta Maronis
  Maeonidae magno praepoſuiſſe ſtudent.
Eſt Maro (confiteor) cui par non poſſit haberi:
  Sed quantus tamen eſt, tantus, Homere, tibi eſt.
Congreſſum ſtolido culpant Diomedea Glauco,
  In verbis aliquem non habuiſſe modum.
Ajacem collatum aſino, Troum agmina muſcis,
  Quaeque eadem toties ſit repetiſſe nefas.
Plurima praeterea doctis cenſenda relinqui
  Judicio, malim, quam ſtatuiſſe meo.
Aptius iſta licet cuncta expreſſiſſe Maronem
  Sit verum, & vero judice, nemo neget:

Non

Digitized by Google

Non tamen hinc magno ſua laus aufertur Homero,
Et magis haec ipſum qualiacumque decent.
Sicut in antiquis delectant plurima templis,
Suſpenſosque oculos, ſigna, videntis habent.
Sic, quae ſimpliciter toties repetivit Homerus,
Admiranda magis, quam jugulanda, puta.
Iſta vetuſtatem puriſſima forma decebat,
Poſteritas facta eſt ingenioſa magis.
Quamvis ingeniis fuerit fons primus Homerus,
Ex quo non ſolus laverit ora Maro.
In reliquis quanta eſt facundia, quanta poteſtas,
Cogere quos animos, in ſua vota, volet?
Quod mare, quis torrens, quis lapſus ab aethere nimbus
Omnia proſternens, fortior eſſe queat?
Non tamen hic animus laudes deſcribere Homeri,
Virtutesve omnes enumerare, fuit.
Nunc igitur calamum reprimens, te, Schete, precabor,
Quantum ſuſtineas emediteris onus.
Quanta tibi incumbat tantarum ſarcina rerum,
Qua levius coelum ſuſtinuiſſet Atlas.
Si tamen in clypeo, terras, mare, ſidera Achilles
Pertulit, hoc pondus tu quoque forte feres.
Namque, quid addubites validos aptare lacertos?
Quae ſublata juvant pondera, ferre leve eſt.

Pon-

Digitized by Google

Ponderis haec tibi erit moles, ea cura ferendi,
  Noſtra patrocinio ſcripta levare tuo.
Si quis, ut eſt vulgi petulans furor, iſta laceſſat,
  Non mea, ſed Scheti Caſparis eſſe ſciat.
Hic quoque Corvini memor ut cognominis eſſes,
  Hiſtoriae ratio te monuiſſe poteſt.
Quamquam cura nihil nos debuit iſta morari:
  Omnia, vaticinor, ſpe meliora cadent.
Accipiet placido Latiam Germania vultu
  Iliada, & laudes credet habere ſuas.
Forſitan & quas noſtra videt vicinia, gentes
  Noſtra, nec averſo lumine, ſcripta legent.
Tu quoque non alia melius ratione fereris
  Inclytus, & famae laetus honore novae.
Cujus, quae leget hoc in magnum carmen Homerum,
  Poſteritas omnis teſtis & auctor erit.

MARNBURGI, XV. Martii,
M. D. XL.

CAS-

Digitized by Google

# CASPAR SCHETVS, CORVINVS,

## MERCATOR ANTVERPIANUS,

## HELIO EOBANO HESSO.

Musae, quae liquidis tranſcenditis aëra pennis,
O ſemper faciles in mea vota Deae!
Scrupea Parnaſſi ſeu vos, Pindive crepido,
Seu vos Dircei fluminis unda tenet.
Et Faunos, Satyrosque juvat, Dryadasque puellas
Viſere, & agreſtum numina ſenta Deûm.
Ite procul montes, ubi ſe fert Heſſia in altos;
Quae ſunt ſilvicolis jugera plena Deis.
Viſite, quae lambit ſinuoſo vortice Lanus,
Quaeque feri nomen moenia Martis habent.
Illic de notis compellite vatibus illum,
Prae cujus ſcribi nomine Phoebus amat.
Illeque ter Scheti per te mihi nomine Clio,
Salveto, Heſſiaci gloria prima ſoli.
Vivere (ſi ſacris pia numina vatibus eſtis)
Nunc mihi perpetua poſſe ſalute voles.
Sique quid ad ſalſi mercator flumina Scaldis
Sedulus incipiam, conficiamve roget,
Vivere me dices, ſed ſic ut vivere nolim,
Non eſt in tantis vivere vita malis.
Heſſe, hoc arentis ſi umquam molimina febris
Senſiſti, ſicco gutture longa, ſcies,



Digitized by Google

Me miſerum nuper violenti vulnere triſtes
  Praecipitem in thalamos impetus ille dedit.
Saevaque contractas populata eſt flamma medullas,
  Qua non deterior dicier ulla poteſt.
Ignibus immiſcens quae incerto turbine frigus,
  Alterno titubans itque reditque die.
Jamque parans abitum conſuetas negligit horas,
  Sed levibus cauſis mox revocata redit.
Hinc ego Paeoniae jaceo male ſubditus arti,
  Hei miſeri quibus hoc vita tuenda modo eſt!
Pharmaca nunc taceo, & pilarum mille figuras,
  Quaeque importunis ſtant aconita cadis.
Vix poſſum Medico niſi praelibante ſevero
  Diluta ex tepido ſugere vina ſcypho.
Et niſi depoſitum quadra licet eſſe notata,
  Eſtque manum in patinas inſeruiſſe nefas.
Scilicet iſta ſolent pueros vexare, ferenda
  Quae mihi ſunt victo per mala fata viro.
Vivo tamen, mecum & melius mea Pontia vivit,
  Quam mihi perpetuo foedere junxit Hymen.
Illa licet noſtrum queritetur pallida morbum,
  In viduo poſtquam eſt ſola relicta thoro:
Et melius quanquam valeat me, blanda ſuſurrat
  Me ſalvo melius poſſe valere tamen.
Si non tarda fluant inamoenae tempora noctis,
  Simque ego perpetuus nocte dieque comes.
Nempe Machaonii nimis hoc vetuere magiſtri,
  Turba Dionaeis invidioſa jocis.
Sed jam prima aderunt reſoluti tempora veris,
  Quique piae matris nomina menſis habet.

Ille

Digitized by Google

Ille favillatos jecori reparabit amores,
  Atque novo vacuos inſtruet igne ſinus.
Tunc tua connexis volvar per colla lacertis,
  Nulla viro fuerit nox ſine, nulla dies.
Interea priſcas reddant bona tempora vires,
  Lethargo vegetent & fugiente latus.
Debito ut accipias maturos tempore fructus,
  Quae nova nunc herba eſt cum tibi meſſis erit.
Qui prius autumnum quam Pleias orta reduxit,
  Poma legit, fructus diſſipat ipſe ſuos.
Pontia, ſed tecum ſatis eſt nimiumque jocatum,
  Non tibi, verum Heſſo ſcribimus iſta meo.
Ille malis Schetum tantum non perdier horis,
  Quaeque ſit imbelli lucta obeunda videt.
Jam caſus, Eobane, doles, melioraque divos,
  Ni fallor, multa religione rogas.
Nec te tam juſtis inamoena ſilentia cauſis
  Tempore jam longo continuata movent.
Non promiſſorum malefida oblivio, quamvis
  Debita vix habeat vel ferat arma latus.
Pugio, nam memini, datus eſt tibi tempore ab illo,
  Quo mihi Martburgi eſt viſa corona tui.
Sed qui tum datus eſt, longo poſt tempore miſſus
  Vix deſiderio par fuit ille tuo.
Da veniam faſſo, ſtupuit mens percita morbo,
  Ipſa ſui in tantis neſcia facta malis.
Nulla veternoſo ſubiere, Eobane, ſuique
  Immemor atque tui, atque immemor ipſe mei.
Nunc primum laſſo diſcedo victor ab hoſte,
  Atque recens ſpolium de pereunte fero,



Digitized by Google

Vix modo languentes reparatis viribus artus
 Incipiens tremulo in publica ferre pede.
Urget adhuc multa tamen hic me parte moleſtus
 Dum ſanum aegroti vivere more facit.
Defunctumque jubet ſaevus renovare dolorem,
 Dum premor invitas huic facere inferias.
Scilicet eſt certo ſudandum tempore, certis
 Nique horis juſſas non licet eſſe dapes.
Ni faciam, ſubito veluti redivivus oberret
 Vanus, & infuſo territet oſſa gelu.
Horrorque ex humeris calces decurrat ad imos,
 Frigidaque exſangui palleat ungue manus.
Sic mihi in hoſtiles vano conamine lucta,
 Quod mirere, umbras, Heſſe, gerenda fuit.
Non aliter taciturus eram, non te, Heſſe, relictum
 Inque ſalutatum praeteriturus eram.
Namque bonos non eſt (fidos licet inter amicos)
 Servandi cuſtos foederis Harpocrates.
Mutua diſſociat conjunctaque corda, ſitumque
 Obdit amicitiis, conticuiſſe diu.
Ergo te miſſa rupiſſe ſilentia charta
 Juvit, & ingratam praeſecuiſſe moram.
Hei mihi laetitiae quantos ſimul intulit aeſtus,
 Inque animum fudit gaudia quanta meum,
Litera, quae Aonidum celebri comitante caterva
 In mediis fulſit limpida turbinibus?
Non aliter, quam ſi, nebula fumante, coruſcum
 Phoebus inaurato proferat ore jubar.
Nam te nulla quidem dimittere carmina certum eſt,
 Quae non permultis ſint comitata Deis.

Per

Digitized by Google

Per medium Jani tunc cum data charta ferebar,
Triſtis & amuſae pars quota plebis eram,
Protinus ut legi, turbatum numine pectus
Horruit, & triſtes erubuere genae.
Parce Panompheo ſoboles jucunda parenti,
Turba juventutis tempore culta mihi.
Cum vaga ſubmiſſis crocitarem carmina cannis,
Et canerem indocta ruſtica verba lyra.
Parce precor, fugiatque novus de pectore terror,
Non ego deſerui numina veſtra lubens.
Tractavi citharas quondam, dum fata ſinebant,
Pluraque jam nota doctius arte canam,
Ni ſtudia, in primis florentia gnaviter annis,
Interrupta gravi de Genitore forent.
Cum juſſit ſpretis mercatorem eſſe Camoenis,
Meque novas docuit ſedulus ipſe vias.
Saepius ingeminans, ſtudium ſine fruge relinque,
Impendeque horas in meliora bonas.
Moeonides vatum caput hoc de munere nullas
Collucratus opes, Virgiliusve fuit.
Fac, tibi pſallatur, magis hoc te namque decebit,
Quam olim mendica concinuiſſe lyra.
Pluraque commota titubans per jurgia lingua,
Quae cholera & bilis fingere flava ſolet.
Forſan & hoc fuerat tamen a Genitore ferendum,
Namque voluntatis jus habet ille meae:
Quod ſpiro, illius eſt, quod vivo, quod valeoque,
Ille fuit ſtudii cura, caputque mei.
Noſtra niſi inſultetque in carmina garrula Mater,
Neſcio quae blaterans in mala verba Deas.

Sed taceo, divos ne verba procacia tangant,
  Neve traham turpi ex impietate notam.
Tu fuge & obſcuras procul hinc pete Naevia ſylvas,
  Non ea turbanda eſt hoc Camarina loco.
Nunc mea quo poſſum, non quo volo, carmine teſter
  Gaudia, perpetuis aequiparanda bonis.
Gaudia per noſtram non enarranda Camoenam,
  Centeno quanquam gutture & ore boet.
Namque ego ſi cupiam verna inconſtantius aura
  Pectus, & inſtabilis dicere mentis opus,
Ut nova diverſum per gaudia mille volutet
  Spes animum, & tanti nominis, Heſſe, decus,
Urceus inſtitui coeptus porro amphora fiat,
  Litera & ingentem creſcat in hiſtoriam.
At ſatis eſt dixiſſe tibi, qui gaudia vatum
  Noſcis, nil donis gratius eſſe tuis.
Diva poëtarum, & paucis bene nota voluptas
  Scilicet eſt cunctis anteferenda bonis.
Quem placido recreat ſecretum lumine Clio,
  Hoc nihil in terris laetius eſſe poteſt.
Haec animos ſolvit curis, & in aethera tollit,
  Vivere mortales haec ſine morte facit.
Certe ego (ni veterum fallant praeſagia vatum)
  Effugiam flammas funeris, Heſſe, mei.
Atque tuo vivam defunctus carmine, fama
  Conſpicuus calami non moriente tui.
Qui modo ſi arenti cecidiſſem victima febri,
  Jam fueram obſcuri caſſa favilla rogi.
Nomina nec cuiquam patuiſſent noſtra nepotum,
  Nomina viſceribus contumulata ſuis.

Sed

Digitized by Google

Sed mea me famae ſervarunt fata ſuperbae,
Juſſere Heſſiacis & ſupereſſe modis.
Nam modo (me vatis ſi non data dextera fallit,
Ullaque ſit Muſis carminibusque fides)
Cuditur, & Scheti ſub nomine magnus Homerus
Romano tandem ſub ditione venit.
Quem non ulla queat carioſa abolere vetuſtas,
Dum titulum imperii Roma ſuperba feret.
Dum Germana colet Muſarum ſacra juventus,
Dum crepet Auſonia Saxonis ora lyra.
Non poterit ferrum, non ulla injuria divae,
Quae furit inſtabili lumine caſſa rota,
Perdere opus tantum, mundi niſi tempore moles
Vaſta ſimul claudo quo ruet eſca Deo.
Et tu dum medio pendebit in aëre tellus,
Ponderibus tantum conſtabilita ſuis,
Heſſe, eris Italiae Romanus vindice nullo,
Plurima poſt primus ſecula Moeonides.
Ille licet priſcis Latiali Mincius ore
Iliacam Oenotriis ſcripſerit hiſtoriam.
Dum vafri Aeneae docta ſub imagine adumbrat,
Plurima Ulyſſeae paſſa pericla rati,
Tu tamen iſta canis fida magis, Heſſe, Camoena,
Ordine traducens non variante librum.
Garrula quo vanas arrexit Graecia criſtas,
Hactenus inſultans terra Latina tibi.
Inclyta quod nullum nutriſſet Roma poëtam,
Qui non Auſoniam hoc fonte petiſſet aquam.
Sed nunc & criſtas & inania murmura pone,
Graecia, jactandi te omnis adempta via eſt.

Smyrna, Rhodos, Colophon, uni jam cedite Romae;
Sufficit, & ſatis eſt Romula lingua ſibi.
Moeonii poſtquam fontes & flumina vatis
In Latium larga tranſtulit Heſſus aqua.
Nam (me ni cupidae fallant praeſagia mentis)
Fonte ſuo rivus ditior iſte fluet,
Atque vehet meriti tibi carbaſa plena triumphi,
Et vaga nominibus lintea picta tuis.
Cetera magnanimos & quae decuere triumphos,
Stabunt ſigna altis conſpicienda foris.
Fallorque, aut Muſae & clarae circumflua claſſi
Turba natatricum vitrea Naïadum,
Et Satyri, vel quos umbroſa habet Heſſia Faunos,
(Sylvanos capiat ſi tamen unda Deos)
Heſſe, caput vatum vivas, Heſſe, Heſſe, ſonabunt,
Summum Romani nominis, Heſſe, decus.
Forſitan & moeſtum demittens Graecia vultum, &
Lumine Smyrnaeus deficiente Senex.
Tu quoque, Munichiis quondam tutela carinis,
Purpureis Pallas jam pudefacta genis,
Ante triumphales ignoto in flumine proras
Ibitis, exigua praevia turba ſcapha.
Et modo contemptae dabitis ſpectacula Romae,
Cum vos attoniti Tybridis unda feret.
Ille Cayſtraeo ſaliens de gurgite rivus,
Tybride collectas exonerabit aquas.
Cuncta ſimul recto devolvens tramite in urbem,
Olim quae armigeri eſt ſemine nata Dei.
Celſus at ante omnes aurata in puppe poëta
Ibit ovans, libros & feret ipſe novos.

Pur-

Digitized by Google

Purpureo tectos villo, bulliſque ſuperbos
Auratis, Graio compoſitosque modo.
Circumfuſa vehent navim, mirabile, olorum
Agmina, Sithonia candidiora nive.
Porrectisque gerent aurata monilia collis,
Queis puppim tenui ferre rudente queant.
Non ſecus aurata Magnus Pompëius axe,
Invectus niveis turgidus ibat equis,
Tenderet Eoo quondam dum victor ab orbe,
Ad Capitolini tecta ſuperba jugi.
Porro Palatinus pompam exſpectabit Apollo,
Et ſua Romuleis inſtruet óra modis.
Ipſe ſuum celebri cantans Paeana coronae,
Verba Quirinali per numeroſa lyra,
Heſſe, feret victor petulantum magne Pelasgum,
Macte animo, noſtrae es urbis & orbis honos.
Ornabitque ſimul victrici tempora lauro,
Suſpendetque ſuis Graia tropaea tholis.
Cetera quid referam, quae tactum numine pectus
Fingit, & a ſuperis ſomnia miſſa Deis?
Somnia non vana Lacheſi conſpecta ſub ulmo,
Sed quibus indulſit cornea porta viam.
Dicere plura queam, ſed dicere plura decebit,
Ordine cum fuerit pompa peracta ſuo.
Ordine tum liceat viſo memorare triumpho,
Heſſia quanta ſit hic gloria parta tibi.
Namque (tuo ſi eadem ſit adhuc ſententia vati)
Ipſe triumphantis pars quota puppis ero.
Hei mihi, quo trepidum ducis me, Eobane? verebor
Pannoſus Clarii viſere templa Dei.



Digitized by Google

Inque tuo ignavus procul apparere triumpho,
　Et miſero miles dirutus aere velut,
Diſcolor albentes ſi anſer natet inter olores,
　Neſcio quid rauci murmuris ore rotans.
Candidulove indignâ magis pulla agmine carmen
　Ipſa ſuum in medio forte tetrinet anas.
Nonne ferat frontem rebus Melicerta periſſe,
　Cygneum impediat ſi improba turba melos?
Tuque cupis niveae corvum immiſcere catervae,
　Accrocitet χαῖρε ut ſcilicet ille ſuum.
Crede mihi, ſolvent paſſim Neptunia riſum,
　Omnia quae vaſtus numina pontus habet.
Illaque littoribus modo circumfuſa cachinnos
　Monticolum tollet turba petulca Deum.
Forſitan & rerum hac facie turbatus Apollo,
　Et reliquus divûm Pieridumque chorus.
Queis corvus, corvique novo ſub nomine Schetus,
　Cognitus a teneris unguibus iſte fuit.
Non feret, averſo demittens lumina vultu,
　Corvini tantum nominis, Heſſe, decus.
Inter aves albas vetuit conſiſtere Corvum,
　Damnoſa offenſus garrulitate Deus.
Viſoque hic rurſum, pallente Coronida vultu
　Ploret, praecipites increpitetque manus,
Phoebe pater, vereor ne ſint tibi noſtra dolori
　Nomina, neu gemitus ſint tibi cauſa novi.
Nam deſertorem noſcet prodetque Thalia,
　Purpuream quaſſans torva minaxque manum.
Ipſe licet multa velatus tempora lauro,
　Adnitar claſſis me ſimulare tuae.



Digitized by Google

Ut miſer auriculis Cumis deprenſus aſellus,
Dum regem aſſumpta pelle leonis agit.
Inveniar cultu vel moribus eſſe profanus,
Arte ſit ingenium deficiente palam.
Emeritus fateor Muſas Phoebumque reliqui,
Mercator multa ſedulitate novus.
Ire tamen (quamquam fuero tibi forte pudori)
Audebo, quo me cumque, Eobane, voles.
Ultro & delatos non averſabor honores,
Ruſticus ut magnos pallidus ante viros.
Affectata nimis forſan ſit gloria crimen,
Atque trahat ſtulta de levitate notam.
Ipſa eadem neglecta nimis (me judice) majus
Crimen, & inſulſae ruſticitatis erit.
Nam quicumque ſuae ſpernit praeconia famae,
Quercubus Alpinis adnumerandus erit.
Nil moror ergo, ſequar, quo me vis ire paratus,
Quid deceat ſcire eſt muneris, Heſſe, tui.
Si dignus mercator homo eſt, opifexque profanus,
Qui ſit in Auſonio duxve comesve choro:
Qui ſua divino praemittat nomina libro,
Cuique dabunt Latio ſaecula nulla parem.
Si tibi ſum tanti, tantum mihi me eſſe jubebo,
Judicioque tuo quoslibet ante ferar.
Forſitan & Muſae, nec iniquae mentis Apollo,
Si memores priſcae ſedulitatis erunt,
Non pavidum explodent, coeptusque, Eobane, triumphus
Non minus admiſſo Caſpare divus erit.
Namque olim niveis ales Phoebeïa pennis,
Tale feret nudam non meruiſſe fidem.

Sic-

Digitized by Google

Sitque licet nigras verſus modo corvus in alas,
Laurigeri jactat ſe tamen eſſe Dei.
Nec fore perpetuas ſperat ſibi numinis iras,
Neſcius in culpa criminis ipſe ſua.
Ergo ſequor, nec ero poſthaec tibi pompa pudori,
Turbabunt nullos nomina noſtra Deos.
Nec tamen inficiar bene te monuiſſe ſodales,
Eſſe haec herois attribuenda viris.
Tali équidem fateor debebas Caeſara dono,
Saxoniumve tibi demeruiſſe Ducem.
Quemve habet Auſtriacum nemoroſa Boëmia regem,
Quemve colit variis Heſſia picta jugis.
Seu quos antiquo veterum de ſtemmate regum,
Suppeditat juvenes Teutonis ora tibi.
Qui poterant larga diffundere munera dextra,
Praemiaque invicto digna labore dare.
Ipſe tamen vereor (liceat modo vera fateri)
Ne nimium herois eſſe putemus opus:
Purpura, & auratis circumdata colla catenis,
Et dare quae fallax curia verba ſolet,
Scilicet ignaro poſſint imponere vulgo,
Sed nos hunc fucum novimus eſſe nihil.
Credo equidem, poterant, ſed quid potuiſſe juvabit,
Tantundem nequeas cum voluiſſe juvet?
Scimus obaeratos auro ſplendeſcere, & amplos
Pollicitis duci velle, nec eſſe viros.
Crede mihi, invenies amuſos omnibus aulis
Vivida coeleſtis ſpernere dona lyrae.
Nobiliumque animos ſimul experiëre profanos,
Ingratos Muſis carminibusque tuis.

Plum-

Digitized by Google

Plumbea nunc duro ſubierunt ſecula ferro,
Vel ſi quid plumbo vilius eſſe poteſt.
Nobilibus poſtquam periit ſua gloria factis,
Et manet in ſolo nomine nobilitas.
Nil niſi divitiae, & regnandi dira libido,
Nomen apud noſtros nobilitatis habet.
Omnis ubi tanti eſt, quantum corraſit in arca,
Nullus ab ingenio dicitur eſſe aliquid.
Hei mihi, ſervandis quo tempore digna Poetis,
Priſca heu quo virtus nobilitasque ruunt?
Dicere relligio eſt, tamen eſt dixiſſe neceſſe,
Dicere ne haec aliqua me levitate putes.
Nobilium hoc fuerat forſan de plebe ferendum,
Extra ſe ſtupidi qui didicere nihil.
Nulla ſed in ſummis ſtudia eſſe, Eobane, Monarchis
Muſarum in Myſtas Pieridasque vides.
Vatibus imperio, cujus vaga machina Mundi
Subjacet, Auſtriaci Principis aula vacat.
Doctorumque altrix neſcit tamen illa Maronem,
Regia Liligeri Principis ampla ſuum.
Ut reliquos taceam, quorum te turba fatiget,
Omnes verboſus ſi memorare velim.
Qui Muſas Phoebumque ut inania numina rident,
Deliramenta & carmina noſtra vocant.
Crede mihi, monſtrum ſit noſtri temporis aulae,
Ingenio Muſas qui meliore colet.
Occidit Auguſtus, noſtro irreparabilis aevo,
Nulla eſt Maecenas in regione vetus.
Ipſe licet venias magno comitatus Homero,
Nulla feres Reges qualia dona decent.

Ut

Digitized by Google

Ut multum accipias, vix hoc tamen evenit ipſum,
(Talis in amuſo eſt agmine barbaries)
Applaudent forſan doctoque novoque labori,
Atque euge & pulchre, ſed ſine mente, ferent.
Scilicet, hic ille eſt Eobanus, muneris inſtar,
Exertum & digitum praetereundo feres.
Nam laudant, redduntque viri bona verba potentes,
Sed bene laudato nil datur ingenio.
I nunc, cumque tuo dono quaere atria regum,
Perdere ſi cupias, Heſſe, oleum atque operam.
At quo lingua ruis, cunctis quaſi libera vinclis?
Quid labra aut dentes hic habuiſſe juvat?
Altitonans queis te muris compeſcuit heros,
Nimirum ut tarda & praemeditata fores.
Et ſi tarda fores, ſi non temeraria, Regum
Conſcia debueras diſſimulaſſe mala.
Ne mihi famoſo parias de crimine nomen,
Neu gravis ingenio ſit data culpa meo.
Naſonem imprudens adverſus Caeſara lingua,
Extorrem Scythicis compulit eſſe Getis,
His ego debebam monitis celaſſe, profanae
Quidquid nobilitas ruſticitatis habet.
Aut ſaltem, innexis obſcuro aenigmate ſpiris,
Prodere ſimplicibus non capienda viris.
Sic quod non dixem, poteram dixiſſe videri,
Scilicet edoctum paucula verba docent.
Ah nimium evomui, neſcit vox miſſa reverti,
Sed volat haud ullo reſtituenda modo.
Jamque velim claras me haec non poſuiſſe ſub auras,
Ni tua ſoletur nos, Eobane, fides.

Quo-

Digitized by Google

Quoque mihi, quoque ipſe tibi conjungor amore,
  Dicta ſatis tutis auribus iſta putet.
Certe ego quae toti tam ſunt bene cognita mundo,
  Crediderim tecum diſſimulaſſe nefas.
Ipſae Pegaſides non me reticente ſilebunt,
  Talia at ad ſatrapas te properante ferent.
Heſſe, tuone petis cum carmine neſcius aulam?
  Hei mihi quantum olim non petiiſſe voles.
Arcadicis fruſtra citharae pulſantur aſellis,
  Quis violis turpem ſternere quaerat haram?
Fruſtra pompoſis decantes carmina bardis,
  Non intellectos extulerisque modos.
Quaere aliquem cui ſint Muſarum numina cordi,
  Quique ſagax tantae ſentiat artis opus.
Et poteras, Eobane, alios, nam vera fatebor,
  Quam nos in proprio reperiiſſe ſolo.
Nam poteras vates donare hoc munere vatem,
  Averſae excipient nomina noſtra Deae.
Sed ne te toties eadem repetita moleſtent,
  Nec tollam, nec humi me amplius ipſe premam.
Forſan Achemeniis quamquam nec ſcrinia gazis,
  Ampla nec aurifero diffluat amne domus:
Unus at è multis, populi pars ſimque latentis,
  Et nullo veterum ſtemmate natus eques:
Gratior inveniar, quam ſi Jonckherus oberrem,
  Aulicus aurato conſpiciendus equo.
Magnificusque alta de illuſtri nomine cunctos
  Pendere attonitos ambitione putem,
Me propter me digna ferens quaecumque potenti
  Inferior noſtra conditione daret.

Sci-

Digitized by Google

Scilicet aut patriae es nimium excaecatus amore, aut
  Faſtum hunc Teutonica in nobilitate vides,
Heſſe: at ſi patriae quatiat te injuria laeſae,
  Talibus obtures obvius ora mihi.
Nil vaga ab occiduis qua lux demittitur undis.
  Tithoni roſeam conjugis usque domum,
Eſſe Brabantiaca Burſa inconcinnius usquam,
  Mercatorum uncto barbariusve choro.
Hei mihi, difficile eſt notam defendere culpam,
  Do gemitum, vera haec quod nimis eſſe ſciam,
Barbara ſecta hominum, Sophiae contraria caſtae,
  Fortunae praeter numina nulla colit.
Quaeve jubet multo Regina pecunia luxu,
  Et vigil aſſiduo cura labore ſtupens.
Cura Cyheriadum peſtis manifeſta ſororum,
  Auri praecipue quae ſitibunda gemit.
Scilicet egregium ponunt ſuper omnia nummum,
  Nil reliquum Muſis carminibusve loci.
Turba ſibi authorem ſtatuit tamen improba divum,
  Barbariemque ſuam quo tueatur habet.
Oſtendiſſe viam technis, ſtudiisque profanis,
  Mercurium dicunt; non tamen ipſe puto.
Talem etenim nec nos: quid enim magis ἄθεον ἐϛὶ,
  Mercurium nec nos credimus esſe Deum.
Talene Di monſtrum ſancto dignentur Olympo?
  Siccine deliret Regia ſumma Deum?
Talem equidem magni credam Jovis eſſe miniſtrum?
  Moroſum, ignavum, difficilemque ſenem?
Crediderim potius Stygii Plutonis alumnum,
  Quique fatigato nauta Charonte foret.

Nam

Digitized by Google

Nam video geminos ſub eodem nomine divos,
Mercuriumque ſuum regia Ditis habet.
Ut foveat Muſas, & numina culta Dearum,
Semper Apollineae deditus ille lyrae.
Impediat cupidos ſacro de fonte poëtas,
Nympharum inſenſus barbarus ille choro.
Et ferus Eumenidum trahat agmina dira ſororum,
Craſſaque Cocyti pocula prompta vado.
Hunc veſtrae authorem fraudis finxiſſe licebat,
Vos hic Tartareis detinet in tenebris,
O mercatores, melioris neſcia vitae
Pectora, & indoctis prodigioſa viris,
Eſſe quid hoc dicam? propriam mihi vellere barbam,
Neſcio qua jubeor praecipitante Dea.
Parcite Burſales, tanta eſt violentia Divae,
Quae nudae curam ſimplicitatis habet.
Non equidem potui divos compeſcere motos,
Haerens in ſimili quamlibet ipſe luto.
Haereo, nam fateor: fatear ni; haerere videbor,
Culpaque deprenſo crimine major erit,
Quottidie ad medium rugoſus inambulo Jani,
Sollicitique vagor pars miſeranda gregis.
Sed non ſola animos urget mihi cura lucelli,
Quaeve movet reliquos, me quoque cauſa movet.
Eloquar an taceam, poterit quod credere nemo,
Muſarum in turba hac numina mente colo.
Nam quanquam videar jam dedidiciſſe Latine,
Nil niſi materna aut Gallica verba ſonans,
Non tamen (ipſe vides) Latiali Muſa teneri
A componendo carmine noſtra poteſt.



Digitized by Google

Difficile eſſe feres, ſed tendit in ardua virtus,
Quaerens difficili majus ab arte decus.
Nil tam difficile eſt, quod non, Eobane, voluntas,
Et facile & poſſit reddere prona leve.
Adde quod & ſtimulos addit ſublata facultas,
Ingenium in vetitum pronius omne ruit.
Nam coelum & vaſti teſtor tibi numina mundi,
Quod mihi ſunt Stygii numina dura ſenis.
Dicere vix auſim, quae ſtet ſententia menti,
Ne ſidus patri judicer eſſe parum.
Dicere ſed certum eſt, fugiam quo nomen inertis,
Et poterit dicti neſcius eſſe pater.
Vel ſi reſcierit, non ſunt mihi jurgia tanti,
Ut magis amuſi nomen habere velim.
Quod niſi me impediant adamanti juſſa *parentis*,
Oſtendam Burſae terga, Eobane, meae.
Hoc tibi credibile eſt, vatum cui nota voluptas,
Quae dare Muſarum turba novena ſolet.
Nomine cenſere hoc tibi me prohibebit eodem,
Vis cum Mercurio quo agmina barda ſuo.
Namque vides ſupereſſe imis mihi ſemina fibris,
Calliopes quondam ſemina ſparſa manu.
Quaſſa etenim noſtra eſt navis, non obruta ponte,
Et tantum portu flatibus acta caret.
Ergo licet longo nunc torpeat obſita muſco,
Muſa veternoſo languida Mercurio;
Carmina nos, Eobane, tamen legiſſe juvabit,
Quae tu Parnaſſi culmine lecta canes.
Promptave Hyanteis ſacrisque Aganippidos undis,
Quasve fovet divo Graecia tota ſinu.

Scrip-

Scriptaque nunc primum numeris donata Latinis,
Et de Smyrnei fonte petita ſenis.
Nam mihi laetitia trepidant tum corda, triumphos
Intus et ingenii vis juvenilis agit,
Cum feror in magni numeros & carmina Phoebi,
Carmina judicio ſemper amata meo.
Non aliter, quam qui peregrino captus in orbe,
Exul & obſcuro carcere vinctus erat,
Si tandem patriae & charis reddatur amicis,
Geſtit, vixque animum continet ipſe ſuum.
Cumque ſuis iterat largo convivia vino,
Penſat & inſolito taedia longa joco.
Sic ego commota volvam tua carmina mente,
Impediet curſum non pater ipſe meum.
Ipſa Deo plenas mulcebunt numina fibras,
Et rapiar, gaudes quo tu, Eobane, rapi.
Hei mihi! cede aurum, & magni tu cauſa furoris
Gaza, malum domino pondus onusque tuo.
Quae non ſollicitas potis eſt componere mentes,
Semina ſed curis colligit ipſa ſuis.
Quaerere nam cura eſt, cura eſt quaeſita tueri,
Finemque hunc noſtri ſumma laboris habet.
Vilia miretur vulgus licet illa profanum,
Divitis ad digiti turba movenda ſonum.
Vilia vilis amat: ſed ſplendida pectora natum,
Non populi ingenium judiciumque movet.
Olli felicem, placidam cui nulla quietem
Turbabit mentis ſollicitudo, ferent:
Muſarumque chorus cui, luctus neſcius omnis,
Pocula Caſtalia plena miniſtrat aqua.



Digitized by Google

Cedere carminibus reges, regumque triumphos,
  Cedere & e Phariis marmora caeſa jugis.
Quasque legit rubro felix in littore gemmas
  Medus, & a ſicco ſidere fuſcus Arabs.
Quaeque ſub adductis argenti pondera ſylvis
  Viſceribus nutrit Teutonis ora ſuis.
Queis equidem adſtipulor, quamvis pejora ſecutus:
  Scilicet atra ſequor, candidiora probo.
Teque ego felicem prae cunctis vivere credo,
  O vatum noſtri temporis, Heſſe, caput.
Cujus ab extremis ſpatiatur fama Britannis,
  Qua fert rugoſum terra peruſta piper.
Qui nos e tacitis evellis ſponte tenebris,
  Et notum externis gentibus eſſe facis:
Nunc etenim aut fallor, magno aut ditatus Homero eſt,
  Deque tuo Schetus nomine nomen habet.
Ah peream, tantum ſi compenſare recuſem,
  Noſtrique aeternum ſanguinis, Heſſe, decus.
Dî nobis tribuêre ſatis, liceatque fateri,
  Arte etiam deceat qua docuere frui.
Talia nos gratos, veterum majora triumphis,
  Exſpectare animos novimus officia.
Quid magis in terris optandum, dicite porro,
  Si quibus ingenii vis melioris ineſt:
Mortali quam ſi mortalia vincere fata,
  Grandius humana conditione queas.
Quod mihi praeſagium pectus te vindice ſpondet,
  Jamque facit pulli ſpernere jura coli.
Charta tamen Scheti quondam quae nomen habebit,
  (Quod tua quo cupiam litera fine rogat.)

Lim-

Limpida Dyrcaeo madefactis gurgite cannis,
Verba ferat certo continuata pede.
Inſurgat numeris, & tollat ad aethera criſtas,
Olim nobilior Schetus equeſtris erit,
Depreſſus jaceat quam ſi ſermone pedeſtri,
Vix ulli antiquo conſpiciendus avo.
Crede mihi, latices Grajo de fonte petitos,
Qui ſitiet lymphas protinus ille petet.
Nec tardum in ſicca ſpatiare juvabit arena,
Dum novus albenti labitur amnis aqua.
Quique novi properat commotus nomine vatis,
Lecturum primo libera verba putes?
Nauſeët ille prius, cum libera verba videbit,
Nec cupido injiciet ruſtica proſa moram.
Quam mox indignans, merito carbone notarit,
Cum noſtro explodens nomine poſteritas:
Non ſecus, arentes quam verno tempore ramos,
Arboribus curva ruſtice falce putas.
Interea, caſſa verborum, vixque legenda
Obductus ſerie, Schetus honore vacet.
Quemque tui jactas victurum nomine libri,
In tenebras preſſus concidet ante diem.
Contemptusve ruet praebens ludibria vulgo,
Ut vetus everſa divus in aede ſolet:
Ni ſint Auſonia bene conſervata Camoena
Nomina, cumque ſuo continuata libro.
Maecenas lateat: neque enim, hoc ſub nomine laetas
Quid faciat ſegetes, me dediciſſe ſciam:
Hunc niſi feciſſet ſtudio prudente Poëtae
Principium incoepti carminis Andiades.

Adde, quod abſurdum poterit fortaſſe videri,
Carmina carminibus non phalerata ſuis.
Praecipue vates quae mittit munera vati;
(Si mihi das hujus nominis, Heſſe, decus.)
Namque ego queis cupiam decorari munera verbis,
Doctus ab ingenio ſcis, Eobane, meo.
Cum me verba juvent numeros diſpoſta per aptos,
Dulcius inque aures quae modulata fluunt.
Quam vaga quae hac illac prorſus ſine lege feruntur,
Quaeque movent nullo tempora docta ſono.
Talia, de blanda ſemotus ruſticus aula,
Incultus potius fuderit ingenio.
Talia patronus, numeroſae neſcius artis,
Pro triſti amuſo digerat ore reo.
Te majora quidem, Regem, cui pulchra triumphis
Pimplaeis ſemper fulgeat aula, decent.
Nam regem, regesque omnes ſuperare fatemur,
Fortunae tantum quos comitatur honos.
Ille etiam, quo ſe nunc Hessia jactat alumno,
Magnanimus quanquam, cedere jure valet.
Olim qui ignota forſan recubabit in urna,
Regia miratur dum tua facta nepos.
Tantum non humili calamum ſubmittere proſae,
Devotum Muſis carminibusque velis.
Illa ſcholis etenim & ſacris linquenda magiſtris,
Tantum ſollicito eſt Diva creata foro.
Sponte tibi laetum cadit in ſua tempora carmen,
Inque laboratum manat ab ore melos.
Sit pudor inſolitas animum demittere in artes,
Affectaſſe tibi eſt libera verba pudor.

Vi-

Digitized by Google

Victuris quae vis praeſertim innectere chartis,
Ut laudem a priſca poſteritate ferant.
At quo diverſum rapit indignatio? quove
Moeſta trahit fuſis nos elegia comis?
Nam fuerat dixiſſe ſatis, me carmina malle,
Quam laxa & Clario ſcripta inimica Deo.
Perdere quae ſubito valeat carioſa vetuſtas,
Non condita velut marcida facta ſale.
Non tulit indignans tantum Jove nata Thalia,
Diva juventutis tempore culta mihi.
Nam ſcripturus eram verbis de more ſolutis,
Artis & ingenii conſcius ipſe mei.
Spiritus ille etenim eſt tenues reſolutus in auras,
Quem dederat puero turba novena mihi.
Et, poſtquam amuſi jam ſector munia Pluti,
Carmina non meus eſt compoſuiſſe labor.
Numine corripuit ſed nos Dea protinus, atque
Impulit in triſtes verba coacta pedes.
Hemque ait, indignum te, Eobane, carmine ducat?
Scribere Caſtalio non volet ore tibi?
Ipſa tuo vidi gaudentem carmine Phoebum,
Primitiasque tui ſpiritus aether habet.
Macte animo, priſcis reparatis viribus inſta,
Et qui ſis Heſſus vir ſciat, inquit, age.
Et ſimul invaſit ſubitus vaga pectora, ſummo
Demiſſus coelo, Pieriusque furor.
Et feror in numeros, ceciditque in tempora carmen,
Quae velut ἀπνευστὶ coutinuata vides.
Namque Cytheriadum labor hic, mihi crede, Sororum,
Non Mercatoris, Mercuriive fuit.

 Spi-

Spiritus aetherio mentem delapſus Olympo
Implicuit miris explicuitque modis,
At nunc terribili vocat atra taberna tumultu,
Et cogit ſolitum continuare jugum.
Forſitan & genitor tardum increpitabit, & arcti
Carmina jacturam temporis eſſe feret.
Ergo fatigatum furor, o furor alme, relinquis?
O furor, ingenio dulcis alumne meo!
Nunc demum ſacro turbatum numine pectus
Concidit; & nullo garrula lingua ſono.
Et jaceo contemptus humi, qui celſa petebam
Sidera, Divorum ſummaque templa modo.
Nec ſecus, Herculea quam qui jacuere ruina,
Deprendo morbo diffugiente malum.
Et gemo divino ſedato pectoris aeſtu,
Redditus ingenio deficiente mihi.
Cum mihi jam nullas ſupereſſe in carmine vires,
Et videam reliquum gutturis eſſe nihil.
Ergo mihi ne ſim diſcordi ſine pudori, &
Ora rubor lingua deblaterante notet,
Neu nimius videar, feraque coronide longus,
Offendantque animum taedia longa tuum,
Heſſe, Cytheriadum decus immortale Sororum,
Praeſtiterit filum praeſecuiſſe. Vale.

*Tuus ex animo*
CASPAR SCHETVS CORVINVS,
MERCATOR ANTVERPIANVS.

EOBA-

# EOBANVS HESSVS

## VIRO

OMNIBVS BONIS REBVS ORNATISSIMO

# CASPARI SCHETO,

## ANTVERPIANO,

AMICO SVO SVAVISSIMO. (*)

Pura, Schete, fide nuper mihi cognite Caſpar,
  Dum noſter vultus vidit Hiera tuos.
Dum velut Aonidum coetu comitante ſubiſti
  Moenia Thuringi non bene culta ſoli.
Non tamen ex illa hanc tibi mittimus urbe ſalutem,
  Quae tibi vix bidui tempore culta fuit.
Sed qua monte ſitam celſo vagus alluit urbem
  Qui vix nota tibi nomina Lanus habet.

Nunc

(*) Ex Eobani Heſſi Poëmatibus ed. Francof. 1564. Lib. VII, Sylv. 1. p. 298.



Digitized by Google

Nunc ſiquidem noſtris Martburgum nobile Muſis
Gaudet, & hoc aliquid nomine laudis habet.
Ex illa hanc igitur tibi mittimus urbe ſalutem,
Quae ſpacio junctos nos breviore facit.
Te tamen ad parvi notum mihi flumen Hierae
Fecit amicitiae non violanda fides.
Haeret ab hoc animo noſtro tua tempore virtus,
Quae tibi per Muſas contigit ante diem.
Nam licet in primo vernet tua flore juventus,
Jam tamen ingenii dona virilis habet.
Et quum divitiis valeas, quum rebus abundes,
Qualibus eſt omni vita colenda modo.
Non tamen ulla tuam ventoſa ſuperbia mentem,
Non animos tollit gloria vana tuos.
Macte animo; famam paries virtutibus iſtis,
Quae tibi non falſa laude perennis eat.
Scribis ut eximii commotus laude Philippi,
Frigida Saxonidos veneris arva plagae,
Scribis & ut noſtrae commotus nomine famae,
Liqueris Antverpi moenia culta tui.

Hoc

Digitized by Google

Hoc verae virtutis opus, non teſte, nec ullis
  Exemplis, quorum voce probetur, eget.
Ut veteres taceam, quorum ſunt nomina coelo
  Proxima; habent etiam tempora noſtra fidem.
Ipſe ego ſuaviloqui miratus nomen Erasmi,
  Millibus excurri bis quater usque decem.
Temporis in mentem quoties venit illius, optem
  Tam me retrogrados non habuiſſe pedes.
Inclyta namque mihi neque tunc Antverpia viſa eſt,
  Cum tamen a tanta proximus urbe forem.
Et mihi nunc animum toties dolor intimus angit,
  Deſidiae quoties ſum memor ipſe meae.
Atque utinam coepto e curſu me cura meorum,
  Et nimius patriae non revocaſſet amor,
Omnia vidiſſem tantam ſpectanda per urbem,
  Vidiſſem patriae moenia clara tuae.
Forſitan & meritae de me bene pulchra dediſſem
  Nomina, poſtremum non habitura decus.
Poenitet his etiam non me propioribus uſum
  Ingeniis, quibus urbs nobilis iſta viget.

Sed

Digitized by Google

Sed tamen iſte dolor decrevit tempore ab illo,
Quo mihi amicitia junctus es, ipſe tibi.
Gratulor uxoremque tibi cum dote pudicam,
Quam forma Venerem vincere poſſe ferunt.
Gratulor inde & opes, quibus es digniſſimus, iſtas,
Quas tibi perpetuo creſcere fata velint.
Nunc tibi longa vetant ceſſantes carmina Muſae
Scribere, ſcripturae ſplendidiora brevi.
Vive memor noſtri plures, mi Caſpar, in annos,
Quam fuerint Pylii ſaecula tota ſenis.
Vive tui, ſicut debes, non immemor Heſſi,
Qui tibi fraterno eſt junctus amore. Vale.

CASPA-

Digitized by Google

# CASPARIS SCHETI

## IN

# LVDOVICI GVICCIARDINI

## BELGICAE DESCRIPTIONEM. (*)

Cognita vix ullis Romanae gloria gentis
  Jam foret, & tenebris obruta paene ſuis:
Scriptorum niſi turba ſacris facta inclyta libris
  Mandaſſet, nullo contemeranda die,
Tantum eſt tam fecunda viris ea ſaecula magnis
  Facundos vates tunc habuiſſe ſuos.
Scilicet ut multum vel debet Roma Maroni,
  Vel ſua vivaci Graecia Maeonidae;
Sic bene jam merito debes Antverpia alumno,
  Sic Guicciardino Belgica tota ſuo.
Belgica, quae totum magno ſplendore per orbem
  Coepit conſpicuum ad ſidera ferre caput,

Hacte-

(*) Ex Guicciardini editione Antverp. typis Guil. Sylvii 1567. fol. & Chriſtoph. Plantini 1588.

Digitized by Google

Hactenus ad ſummum ſic tendere viſa, laboret
  Ipſa ſibi ut nimia proſperitate gravis:
Supplicibus pariter cui, Guicciardine, precemur
  Votis in patriam, & qua pietate decet.
Ut qualis depicta modo populisque videnda
  Praebetur ſcriptis nobilitata tuis,
Talis longa queat durare in ſecula, nec ſe
  Creſcendo dum vult vincere, forte cadat.
Proſperitas, luxus, quaeque inde licentia magnis
  Exitii regnis cauſa fuere ſui.
Dî melius! Videant hac te ſine labe nepotes,
  Magna es, &, ut maneas Belgica magna, precor.

COPIE

Digitized by Google

# COPIE D'VNE LETTRE DV SEIGNEVR DE GROBBENDONCK, AV CARDINAL DE GRANVELLES.

Monſeigneur, Combien que n'ay preſentement lettre de V. S. Illme. à laquelle je doibve reſponce, ains que moy-meſmes la ſuis attendant ſur celles qu'ay eſcrit: ſi eſt-ce que s'offrant choſe importante au ſervice de ſa Majeſté, ne me ſçay contenir d'eſcrire; & par ce, comme j'ay depuis ma derniere de plus pres penſé au contenu de la derniere de V. Seig. par laquelle icelle me diſcourre que l'exercice de deux differentes religions (*a*), ne ſe peuvent comporter où l'on pretend avoir l'union & repos, s'en rapportant à la remonſtrance (*b*) en faite par les Eſtats de la duché de Bourgoigne; Je ſuis eſté esmeu de dire à V. S. Illuſt. par ceſte, que je m'en aperçois aſſez par tel propos que ſa M. n'eſt d'intention de conceder plus au fait de la Religion que ja n'a eſté accordé (*c*): & par conſequent, puiſque la paix ne ſe peut faire ſans ulterieu-

(*a*) Croyons maintenant, que nul Prince ne peult nous moyenner la paix ſi non avec l'extirpation de la Religion; car le Cardinal, qui eſt chef du Conſeil, cognoit bien l'intention du Roy.

(*b*) Il fauldroit veoir la reſponce qui prouve le contraire.

(*c*) C'eſt tresbien conclud.

rieure conceſſion, qu'icelle ſe debvra (*d*) reſoudre à faire la guerre pour (*e*) recouvrer ſon pais, que ſoubs pretext de la dicte religion on luy veuille oſter. Or Monſieur, reduiſant en memoire comme la dicte guerre a eſté menée jusques ores à grans frais & peu de proffit de ſa Majeſté, je m'en trouve en paine. Et combien que c'eſt une matiere hors de ma profeſſion, toutesfois eſtant icelle tant importante au commun bien ou mal de tous en general, je ne m'en ay ſçeu oſter le ſoing. Par ce m'ayant ſemblé devoir aviſer V. Seign. Illuſt. que à mon advis on a du paſſé failli en deux endroicts, affin qu'icelle y pourvoye pour l'advenir. A ſçavoir, qu'on a levé tant de gens, qu'on ne les a ſçeu payer: & qu'on a prins les chiefs ſans bonne examination de leur qualité & ſouffiſance, dont eſt procede (*f*) le desordre & perdition de toute diſcipline militaire, ſans laquelle nul bon effect ſe peut eſperer: La priant par ce, de vouloir ſe fonder pluſtoſt ſur un petit camp bien payé, que ſur un grand non payé; tant plus (*g*), *quod bellum iſtud traben-*

(*d*) Nous doncques auſſi nous devons reſoudre au ſemblable à chercher touts moyens de nous defendre ſans plus nous laiſſer amuſer à des traittés pleins de tromperie.

(*e*) Nota, que ces bons miniſtres preſuppoſent & perſuadent au Roy, que ſon pays eſt perdu pour luy, ſi ce *n'eſt* qu'il puiſſe exterminer tous ceux de la Religion, & *le* gouverner à baguette ſans aucune oppoſition ou interceſſion des Eſtats, & c'eſt la deſſus que le Roy s'eſt du tout *reſolu* à la guerre, ſans plus nous laiſſer aucune eſperance de paix,

(*f*) Tu en parles mieux que le Duc d'Alve qui avoit ſeptante mil hommes, & n'a peu vaincre Hollande & Zeelande.

(*g*) Pour nous bruſler à petit feu.

Digitized by Google

*hendum potius, quam ſubito conficiendum fore timeatur.* Et quant aux Chiefs, *ut bonus habeatur delectus*, & à ce propos ne puis celer à V. S. Ill<sup>me</sup>, que me trouvant l'autre jour en converſation avec le Comte de (*b*) Swartzenberch, Ambaſſadeur de ſa Majeſté, eſt venu à propos de tomber en ceſte matiere, tellement qu'il complaindoit & regrettoit le peu de ſervice que ſa Majeſté avoit tiré de ceux de ſa nation à ſi grans frais, taxant & la floxité & (*i*) l'avarice des Chiefs & Colonnels: monſtrant avoir paine que la nation Alemande en eſtoit comme deſcriée. A quoy luy reſpondant qu'il y devroit remedier tant qu'en luy eſtoit; & ſi ſa Majeſté tomboit en neceſſité de ceſte guerre, ſe mettre en campaigne; & offrir ſon ſervice, tant plus, que la juſtification de la cauſe luy eſtoit cognue (*k*), comme l'ayant manié avec ces autres Princes; & que comme telle la debvoit ayder à defendre, & s'employer, pour reſtaurer à ſa nation l'ancienne reputation, qui me ſembloit le debvoir d'un perſonnage de ſa qualité: Me vint, en continuant ce propos, en fin à reſoudre, Qu'il ſeroit content de ſe mettre au ſervice de ſa Majeſté, moyennant qu'il ſçeut, que ſon ſervice ſeroit aggreable, & que luy fuſt donné charge condigne à ſa qualité. Me declarant d'avantage que depuis la mort de l'Empereur Maximilian ne ſe trouvoit ſi fort lié avec l'Em-

(*b*) C'eſt un de ceux qui vouloient juger de noſtre different, comme le renart des poulles.

(*i*) On verra s'il fera mieux que les aultres.

(*k*) Comme à partie contraire & ennemie, & non pas comme à un arbitre equitable, tel que ſon honneur & ſes promeſſes lui commandoient d'eſtre.

l'Empereur moderne, qu'il ne luy fuſt loyſible d'accepter ce ſervice; & que combien qu'il eſtoit ſollicité de l'Empereur, & auſſi du Duc de Baviere, comme ayant cy devant ſervi au feu Duc ſon pere, il penſoit à tous deux donner appaiſement, moyennant ce ſervice du Roy, meſmes tellement traiter avec l'Empereur, que ſervant le Roy demeureroit ce neantmoins en ſon ſervice, mettant en ſon abſence autruy en ſa place (*l*), & dont il deſiroit bien, que V. Seign. Ill. fuſt advertie, mais en confidence & avec ſtipulation de ſecret (*m*); en cas que ſa Majeſté n'a beſoing de ſon ſervice. Dont Monſ. pour ce qu'il me ſemble, que le dict Comte procede de bon zele, m'a ſemblé devoir bien particulierement advertir V. Seig. Illuſt. meſmes en conſideration, que ſa dicte Majeſté en pourroit tirer bon ſervice, en cas qu'elle eſt contrainte de faire la guerre, puiſqu'il a pluſieurs bonnes qualitez requiſes en un Chief de gens de guerre, comme d'eſtre bien apparenté & eſtimé en Alemaigne, ja cogneu de tous Princes, & ayant eſté entremis ja aux affaires, eſtant de bonne repreſentation (*n*), & facond en pluſieurs langues & fort liberal (*o*), par où il aura moyen non ſeulement de lever les gens, mais auſſi de ſe proveoir des meilleurs Officiers & Capitaines, & auſſi d'un bon Lieutenant, que n'eſt peu au faict de la guerre. V. Seig. Ill. y pourra pen-

(*l*) Auſſi bon que lui & auſſi fidelle.

(*m*) Car comme un homme de bien il veult avoir deux cordes en ſon arc, ſuivant le proverbe; ſi Dieu ne me veult, le Diable me prie.

(*n*) Et groſſe.

(*o*) Il veult dire prodigue.

Digitized by Google

penſer & le propoſer là & ainſi que bon luy ſemble. A mon petit jugement ne ſeroit que bon d'employer un tel pluſtoſt qu'un autre, qualifié non ſeulement pour les exploicts de la guerre, mais auſſi pour conſeil, meſmes pour avoir au camp un perſonnage qui avec authorité & fondement puiſſe parler de la juſtification de la cauſe, eſtant de grand moment en guerres, que les Princes ſont contraints de faire contre leurs ſubjects : remettant le tout à la prudence de V. Seig. Ill^me^, à laquelle je ſupplie tant ſeulement bien humblement, me vouloir pardonner, ſi je me ſuis avancé trop en matiere non eſtant de ma profeſſion, & m'en vouloir à ſa commodité rendre quelque reſponce, pour ſelon icelle me gouverner & former mes propos au dit Comte, ſans dire à V. Seign. Ill^me^ par ceſte d'avantage, pour ce qu'elle me ſemble encores trop longue. Par ce priant à noſtre Seigneur vous donner,

Monſ. en ſanté longue & heureuſe vie. De Cologne ce xxvj. de Juing, 1580.

(*p*) Monſ. Foncq donnera à V. Seign. part des bonnes nouvelles du ſuccours que de ceſte ville a eſté envoyé à ceux de Groninghen, par moyen duquel ſemble que toute Frize ja perdue ſe pourra recouvrer.

*Ainſi ſoubs ſigné,*

De Voſtre S. Ill^me^ & Reverend^me^.
tres-humble Serviteur
GASPAR SCHETZ.

(*p*) Nous eſperons que non.



Digitized by Google

# LITERAE GASPARIS SCHETI AD PRAESIDEM FONCKIUM.

S. D. Quam jucundum mihi fuerit audire Do. tuam ſecundiſſima tridui navigatione e Galliis in Laredanum Hiſpaniae portum appuliſſe, verbis, etiamſi poſſim, non explicabo: tantummodo (*a*) ex communi noſtra amicitia id ipſum eidem judicandum relinquens. Atqui jam dudum a patrono ſuo Illuſtriſſimo Card. humaniſſime non tantum, verum & cum gratulatione *Do. tuam* acceptam imaginari lubet, poſteaquam ab *ipſo* eam jam pridem avidiſſime exſpectatam fuiſſe, utpote partem laborum aliquam ſuorum in ſe recepturum, nuperrimis mihi literis ſuis ipſe Do. Cardinalis indicaverit: cum meorum quoque negotiorum curam Do. tuae committendam fore admonuerit. Quo nihil mihi gratius optatiusque potuit nunciari, quippe qui in tua benevolentia tantum non omnem ſpem meam collocaverim. Reſtat modo, ut ſe ea mihi talem exhibeat, qualem ſe futuram ſancte addixit. Habet & (*b*) libellos meos ſupplices, quos abeunti dedi: *habet* petitionum mearum articulos: memoria *quo-*
que

(*a*) Nota horum bonorum virorum ſummam amicitiam. Pares enim cum paribus, ut eſt in proverbio, facile congregantur.

(*b*) Ad rem nummariam ſcilicet pertinentes.

Digitized by Google

que haerere adhuc puto aliqua eorum quae coram expoſui. Quamobrem non exiſtimavi taedioſa prolixitate eadem denuo inculcanda eſſe. Paucis vero, & tanquam per tranſennam, breviter admonendam duxi, ne noſtri immemor eſſe velit. (*c*) Ducem quoque Terranovanum adfuturum auguror, qui favorem ſuum non minus per litteras abſens, quam coram ampliſſime promiſit: & quidem poterit hac in parte Do. tuae in me benevolentiam collocato ſuo patrocinio juvare, atque efficacem reddere. Confido equidem vos tam egregios, nec affectu tantum in me, verum & auctoritate apud Regem pollentes patronos, mihi ipſorum clienti, communibus temporum, nec non privatis inimicorum, injuriis penitus depreſſo, opem collaturos, ut ſaltem aeris alieni nexibus diſcuſſis, quod non mearum rationum aut neceſſitatum cauſa, ſed promptum (*d*) in omnibus Regi ſervitium praeſtando, contraxi, liberis meis in poſterum caveam: atque ita compoſito animo, quod reliquum eſt aetatis (*e*) Deo conſecrem; vel ſi ſua Majeſtas operam officiumque meum adhuc requiret, quantum per ſenium licebit, alacrius id promptiusque praeſtare queam. Id ve-

(*c*) Quo ergo tempore Coloniae erat Dux Terranovanus; fidelis Schetus, qui legationem obibat Ordinum nomine, ſuis agendis, idque cum hoſte infeſtiſſimo, & prodendis Ordinibus operam dabat.

(*d*) Eo ipſo tempore, quo hic nobiſcum quidvis ſimulabat & proditorie diſſimulabat.

(*e*) Vertumno nimirum & Mercurio, ut aſſolet: Jehovah enim an colatur nec ne, ſuſque deque probo huic eſt viro.

vero fieri non poteſt, niſi ſerio ſua Majeſtas imperet, ut omne id quod rite ſubductis rationibus deberi mihi conſtitit, absque dilatione exſolvatur: quod, quomodo commodiſſime fieri queat, libello ſupplice praedicto demonſtraſſe me arbitror. Alii, qui diutinis ſervitiis operam Regi impenderunt, locupletiores facti, ſolliciti eſſe ſolent, adeoque curare, ut honorum titulis, & ſplendidis mercedum beneficiis, tanquam gratiarum actionibus, amplificarentur. (*f*) Atqui ego ex continuo triginta fere annorum ſervitio hoc retuli, ut non pecuniae ſolum, ſed & honoris jacturam feciſſe videar. Pecuniarum certe penuriam majorem, quam unquam antea, ex fortunae iniquitate nunc ſentio: eademque a creditoribus meis percepta, eosdem praeter ſolitum acerbiores experior. Quapropter gratioſi muneris loco habiturus ſum, ſi, quod poſt exactiſſimarum rationum calculum mihi deberi conſtat, ſolvatur, aut ſaltem ea cum ſecuritate ita aſſignetur, ut viciſſim hac, tanquam ſufficiente cautione, creditores mei pacati a moleſtiis ſuperſedeant. Non tamen tantopere id ſollicito, quod, ſi quid (*g*) amplius a tam potenti Principe impetrari poſſit, aut averſandum, aut negligendum mihi putem: ſed quod eum mihi ſcrupulum in primis eximi ſummo deſiderio affectem. Qua-

re

(*f*) Nec enim tua ſorte, quantumvis ſplendida, contentus, ad Regum arculas fenerator inhiaſti. eo fit *Plenior ut ſi quos delectet copia juſto, Cum ripa ſimul avulſos ferat Aufidus acer.*

(*g*) Inexplebilis enim eſt cupiditatis ſitis.

re tandem Do. tuam oro, ut me in eorum album inſcribendum procuret, qui, ut offerentibus occaſionibus Regiam beneficentiam experiantur, promeriti ſunt. Eam porro potiſſimum in liberos meos conferri aveo. Quos equidem, ut & muniis Regalibus publicisque, tum & Eccleſiaſticis dignitatibus apti fierent, erudiendos & inſtruendos curavi. Habeo quos (*h*) Eccleſiae deſtinavi, quique ſe ad eam rite excolendam egregie componunt. Habeo & alios ad quaecunque officia ſatis idoneos. Quos omnes Dominationi tuae, tanquam amico primario, commendandos commendo. Verbum amplius non addo; cetera ad litteras meas, quas hinc ultima Martii, v. Aprilis, & xx. quoque Maji ſcriptas, in Hiſpania Dominationem tuam excepturas puto, referens, quibus tunc quoque rerum hic poſt Dominationis tuae profectionem actarum ſeriem ſummatim complexus ſum. Quare in hiſce recenſendis non ero prolixior. Suppetiae tam diu imploratae tandem Groningenſibus miſſae ſunt: & quidem diligentia & dexteritate noſtri Buchonis (*i*) potius, Dominationi tuae noti, quam Belgii concilii cura. Is ſive nullo, aut ſaltem quamminimo fiſci ſumptu, juſtum exercitum permovit, ut Rhenum trajiceret, cum ad pedites, qui diu jam in fluminis ejus ripis haeſerant, equi-

(*h*) Id eſt, ad magnos proventus, qui pauperum ſunt, in ſuos uſus transferendum; haec enim eſt Hiſpanica religio, & officium quod Eccleſiae praeſtatur.

(*i*) Buffonis dicere voluit, qui ſub ſpecie legationis virus ſuum in Patriam innocentiſſimam perfide effudit.

equites circiter ſexcenti a Principe Parmenſi (*k*) ſubſidio miſſi eſſent: ſed ſpe tantum facta bimeſtris hic ſtipendii recipiendi (*l*). Quo quamvis fruſtrati ſint, Rheno tamen cum reliquis trajecto, magnis itineribus ita conjunctim properarunt, ut quoque fluminibus reliquis, in quibus periculum erat, ſuperatis, Friſiam nunc feliciter ingreſſi putentur. Ipſe quidem Auriacus id impediturus ferebatur, ſed (*m*) praeter rumores nihil perceptum eſt: niſi quod naves quaedam bellicae, quae ideo fortaſſis emiſſae, tardius advenere, in conſpectum civitatis ſe dederint. Quae cum aliquandiu hic conſtitiſſent, abire juſſae, incertum quo ſe contulerint. Interim expeditionis eventum exſpectamus felicem fore, vel inde augurantes, quod ad famam advenientium Friſii fugae magis quam defenſioni intenti eſſe coeperint. Accedit quod Groningenſibus ex morte Bartholomaei Entii per excurſionem trucidati, qui hoſtium erat quaſi anteſignanus, animi accreverint. Do. tua, quae earum provinciarum ſitum & momentum probe novit, ſatis intelligit, quanta nunc ſpe ſe fovitent bene erga Regiam Majeſtatem affecti. Qui propter Dieſtam nuper ab Ordinum milite rurſum occupatam nova anxietate & metu torquentur, quod inde Lovanio praeſentiſſimum imminere periculum, adeoque toti Bra-

(*k*) Quid ad haec Parmenſis Princeps? qui omnia negligit, quae patriam juvare poſſint, modo Regnum Portugalliae ſibi ſuisque procuret.

(*l*) Et hae ſunt pollicitationes, quibus miſeros Malecontentos hucusque lactaverunt.

(*m*) Noli canere triumphum ante victoriam.

Digitized by Google

Brabantiae videatur. Quae, niſi Buſchiducum obſtaret, jam prorſus Auriaca foret. Hanc Abbas Divae Gertrudis ſua praeſentia in officio continere & tueri fertur. Quem interim neque a metu liberum eſſe credo, cum talibus occupatarum urbium nuntiis Regios omnes labaſcere, & ob (*n*) aerarii inopiam deficere animo concipit. Ea etenim tam negligentiae quam maleficiis praetexitur, omniumque animos in tam ancipiti ſtatu verſantium conſternit. Scio quidem bello Luſitanico aerarium exhauriri, neque neceſſitatibus omnibus par eſſe poſſe. (*o*) Sed id brevi componendum, vel non (*p*) inchoandum fuiſſe cenſeo. Magnum adferet ejus belli eventus ad has res noſtras momentum. Quare Do. tuam oro, ut ejus me faciat certiorem. Quod ſi eo confecto, aut animus, aut nervus iſta noſtra rite peragendi deeſt, vereor ne aliquando intempeſtive afferri videam, quae juſto tempore conficiendae Paci duriter fortaſſe nimis negata ſunt. Non eo infitias in Republ. bene ordinata diverſarum religionum exercitium, ut (*q*) prudenter me admonuit Illuſtriſſimus Cardinalis, male conve-

(*n*) Hae nempe ſunt prodigioſae divitiae, quibus ſeſe tueri, absque Atrebatenſium & Hannoniorum ſumptu, pollicebantur.

(*o*) Ingenium prorſus habet Schetus Hiſpanicum, id eſt inflatum, qui tam facile florentiſſimum regnum debellari poſſe putat.

(*p*) Nec enim tyrannice, & contra Portugalliae privilegia bellum erat ab hoſte Hispano movendum.

(*q*) Atqui, ſi ex animo loquaris, tuum Cardinalem exiſtimas imprudentiſſimum, qui Regi ſuo tam fatuum conſilium ſubminiſtrat.



Digitized by Google

venire. Sed in (*r*) eadem ferenda eſſe aliquando, quae (*s*) ſubito corrigi non poſſunt; atque expedire, ut majora incommoda minoribus curentur, omnibus eſt perſuaſum, iis praeſertim, qui in ipſis turbis verſantur: quamvis non idem ſentientibus, qui a longinquo malorum non ſpectatores, ſed auditores tantum ſunt: Quibus Comicum illud commode objici poſſet: *Si hic ſis, aliter ſentias.* Ut vero finem faciam, oro D. tuam, hoc uti procuret, ne nobis ipſis, vel in Pace quocunque modo conficienda, vel in bello gerendo, deſimus, neu tarde faciamus, quod tempeſtive fieri debeat. Auſtriacae familiae antiquitus ea inſcribitur nota: quod (*t*) tardius malis ſuis remedia adhibere ſoleat. Quamobrem Do. tuam, ne in hunc ſcopulum Rex rurſum impingat, conſiliis ſuis praecavere aequum eſt. Antverpiae de Rege abjurando & Alençonio inaugurando nunc agitur. Sed, quantum audio, in tam impio negotio non concurrentibus votis: (*v*) Augurantur plerique Auriaco, Regis primum procurata abjuratione, praeſtrui viam. Quocunque modo ſit, periculoſa ſunt iſta conſilia, & quorum Regi magna habenda eſt ratio. Proclivius, quantumvis injuſte, noſtra perdimus, quam, etiamſi juſte, eadem recuperamus. Sed hic ſuperſedeo, Do. me tuae enixe commen-

(*r*) Nempe, quousque occaſionem erit nactus ad nos perdendos idoneam.

(*s*) Poſt enim cauterio abſumenda reſervantur.

(*t*) Nunc vero ne tarde quidem Auſtriaci remedium adferunt.

(*v*) Quam veri erunt iſti augures, tandem res loquetur.

Digitized by Google

mendans, quam Deus fortunare dignetur. Datum Coloniae xvi. Junij, 1580.

Cum has ſcripſiſſem, (x) Abbas Marolenſis forte tum praeſens, meo exemplo incitatus, ad Do. tuam ſe quoque velle ſcribere dixit; ſimulque ſuggeſſit, ut (y) ſuum negotium de penſione Bertinenſi commendarem. De illa ipſi, dum hic ſimul eſſemus, addicta, Do. tuam ut conſociam, ſic memorem eſſe exiſtimo: ſimulque non ignorare, quantum momentum habeat ubique bona fides. Quare cum illi promiſſum de concilio Status Regia nominatione praeſtitum fuerit, de penſione idem praeſtandum videtur. Itaque Do. tuae de meliore nota commendo: Eidem rurſus bene valere imprecans. Anno, loco & die, prout ſupra.

Exemplum eſt poſtremae meae Epiſtolae Do. tuae ſcriptae, quod deſcribendum putavi, nec non mittendum, ſi forte temporis injuria litterae forent interceptae. Coloniae xxvi. Junij 1580.

*Do. tuae addictiſſimus*

Gaspar Schetus.

Rdo & Ampliſſo Domino Johanni Fonckio Praepoſito D. Mariae apud Coloniens. Regiae Catholicae Matis Conſiliario, &c.

(x) Hinc omnes vident, quamdiu fuerit Abbas, proditor.

(y) Hoc unum Abbati curae eſt, Eccleſiae nimirum amore flagrat bonus Pater.

L 1.

# LITERAE
# GASPARIS SCHETI
## AD
# PRAESIDEM FONCKIUM.

S. D. Dictu mirum, colendiſſime Domine Praeſes, quanto nunc tuarum litterarum deſiderio diſtinear, quae mihi vix commoda, pariter atque incommoda, tum & adventus ſui in aulam congratulationem enarrent, ut cum amico colloqui mihi videar, qualiter cum abſente licet, quod in miſerrimis iſtis turbis haerenti aliquid ſolatii dare poſſit. Nondum enim exilium hoc *Coloninenſe* reliqui, quod hactenus res meas *ita* componere nequiverim, ut a fisco adverſariorum tutas redderem, quamvis id omni ſtudio tentaverim, conatus meos ſemper impedientibus ex ipſa (*a*) temporis iniquitate natis remoris, plerisque ex ea quaeſtum aucupantibus, atque adeo nunc hoc, nunc illud varie moventibus. Prodiit rurſum in ſcenam meus carnifex Flemingus (*b*), qui & fortunis & vitae & honori meo ſemper inſidiatus, nunc demum occaſione temporis arrepta, mira in me moliri fertur, putans ſe in abſentem, & male illic audientem, meliori progreſſu inſidias & calumnias ſuas ſtructurum. *Et* for-

(*a*) Diſſimulandi unica cauſa, facultates Scheti.
(*b*) Dolendum, quod antea in verum carnificem non incideris, qui funiculo viam obſtruxiſſet tuis proditionibus.

Digitized by Google

fortaſſis quod vult, apud offenſos mihi (*c*) judices efficiet. Quod ſi fiat, ut multis me damnis afficiat, ſaltem ab hoc exilio liberabit, ſolutis compedibus, quibus nunc hic detineor. Exſpecto a Do. tua fauſtum de benevolentia Regia nuncium, & ad ſupplices meos libellos reſponſum, ut, ſaltem ab aere alieno liber, reliquas fortunae, & plagiarii mei Flemingi injurias facilius feram. Neque ulterius volo Do. tuam privatis meis calamitatibus occupatam detinere. Ad publica venio. De proſpero in Friſia ſucceſſu Dominus Praepoſitus (*d*) Aytta tranſcribit; cui ut ſcribendi munus cedo, ſic facti & gloriam & gratiam attribuo. Magnum ſane (*e*) officium fecit. Cujus Do. tuam non decet eſſe immemorem; neque enim ſine ſumptu atque periculo maximi momenti facinus abſolvit, ringentibus omnibus (*f*), qui adverſis favent partibus, quorum non exiguum in hac civitate (*g*) eſſe numerum Do. tua probe novit. Quid vero inde commodi Regiis partibus accedet, tempus docebit: ſi quidem, qui in Friſia imperio praeërunt, officium facient; & ſi per Regii aerarii inopiam plane in contemp-

tum

(*c*) Quid enim opus eſt judicibus adverſus proditorem crimen confitentem?

(*d*) Et hic, ab Ordinibus ad pacem tractandam miſſus, boni functus eſt officio viri.

(*e*) Inſignem nimirum & memorabilem proditionem.

(*f*) Nondum tempus eſt canendi paeana, re ſcilicet minime adhuc confecta.

(*g*) Laus inſignis Coloniae, quae tot habet bonos & aequitatis amantes cives.

Digitized by Google

tum non cadimus (h), ex ea victoria feliciorem belli progreſſum, & tandem domari poſſe (i) Hollandiam, multi augurantur (k). Ea autem nummariae rei penuria adeo nos nunc premit, ut Parmenſis Dux Gubernator, velut ad clavum ocioſus ſedens, ventis navem committere cogatur; ita bellum lente ſe promovet, nutantibus ex eadem cauſa eorum animis, qui alioqui parum conſtantis ſemper fuere ingenii. Nam ut D. de Auſſy ad Ordines neſcio qua alias occaſione rurſum defecit, relicta uxore Aloſti, quae, infenſum in maritum animum ſimulans, eam quoque civitatem prodere Ordinibus conata fertur, conſcio Heſio. Quorum illa Aloſti cuſtodiae mancipata, hic deprehenſa cui erat intentus (l) proditione contra Richeburgi Marchionem, ab ipſo *captivus* ad Hannoniae Montes miſſus eſt. Qua captivitate moti plurimi ſuae legionis ſeu cohortis primarii milites Tornacum aufugerunt. A Duce Alençonio ſollicitatos, &, ut ad facinus tentandum condeſcenderint, promiſſis expugnatos iſtos fuiſſe ferunt, conſultore Principe Auriaco. Ejusdemque conſpirationis fuiſſe eum, qui Caſletum urbem in Flandris ex Do. de Montigny promotione prae-

(h) Ubi ſunt montes aurei, quos Malecontentis pollicemini?

(i) Miſeri vates, qui vel ex antea geſto bello intelligere poterant, quàm imbecillo nitantur fundamento!

(k) Ubi ſunt milliones illi, quibus inaurari debent Malecontenti?

(l) At Marchio & Montinius ſuis ad Ordines Hannoniae & Atrebatenſium litteris Heſium inſimulant, quod Caſletum Andegavenſi tradere voluerit.

Digitized by Google

praeſidio tenebat, compertum eſt. Quem idcirco hic aliquot equorum turmis patente campo adortus fudiſſe, & praelio trucidaſſe (*m*) fertur, atque ita Caſletum, vulgo Caſſel dicta, quam adverſarii jam ſui juris putabant, Regi conſervata eſt. Stupenda haec Do. tuae videbuntur, uti & mihi. Sed fatalia eſſe exiſtimo: (*n*) Heſio cum vicario ſuo Glymeſio facti ſui talionis poenas dantibus. Dominum etiam d'Auſſy primum Auriacos milites in Flandriam invexiſſe, omni reclamante concilio, puto adhuc Do. tuam meminiſſe, & quomodo factum ſuum (*o*) falſificatis litteris a reprehenſione vindicaverit. Talibus factis talia debentur praemia. Quibus & Freſinus pro ſua (*p*) vehementia, qua in Regem primum aeſtuabat, fortaſſis aliquid meritus perſtringitur. Neque minus fratri D. (*q*) d'Ynſy, qui Regi Cameracum ſubtrahit, exſpectandum olim puto. Hoc tantum doleo, quod noſtrae nationis Nobilitas infidelitatis nomine ob metamorphoſes iſtas male ſit iſthic & ubique auditura. Sed aequum eſt, Do. tuam hoc ſuae Patriae officium praeſtare, ut ingenia eorum, qui iſta patrarunt, notentur, & dig-

(*m*) At ille veſtra perfidia & proditione retecta bonis ſe conjunxit, vivumque fortaſſis illum aliquando ſentietis.

(*n*) Haec vero eſt merces eorum, qui ad hoſtes defecerunt, ut, Hiſpanico more, vel captivos negligant, quod non ſolum Glimeſius, ſed & Egmondanus, experitur; quae vel unica cauſſa ſatis Auſſium, qui ſaniora ſecutus eſt conſilia, a crimine abſolvit.

(*o*) At Auſſius te mentiri ait.

(*p*) Inde judicent Malecontenti, quid ſibi exſpectandum ſit.

(*q*) Sibi cavebit a veſtris proditionibus.

Digitized by Google

dignoſcantur, ne culpa paucorum, & quidem leviſſimorum talium hominum, reliquos omnes contaminet. Porro, poſteaquàm bellum nobis gerendum video, cùm componendae Pacis per exterae religionis exercitii conceſſionem nulla relicta ſit ſpes; (*r*) utinam id bene, minori ſumptu, & majori fructu, quam hactenus, geratur. Id meo quidem judicio fiet, ſi pro aerarii facultatibus miles conſcribatur, ne per ſolutionis defectum turbae oriantur. Deinde cum accurato delectu duces aſſumantur, qui neo ſint cauponantes, nec ignavi. Habemus hic Comitem Swartzenbergium (*s*), Do. tuae notum. Is mihi a liberalitate, magnitudine animi, & corporis habitu verendo, eque domeſtico, quo ſuos omnes in officio continet, imperio, commendandus viſus eſt: cui accedit non vulgaris in Germania conſanguinitas: Principum fere omnium notitia, & amicitia, cum ea, quam nunc a rebus a ſe actis conſecutus eſt, experientia. Quem nuper in familiari colloquio repperi ad inſerviendum Regi ſatis propenſum. Quare putans illum plus praeſtare poſſe, quam aut Fuggerus modo defunctus, aut (*t*) Frunsbergus jam penitus enervatus, aut Polvillerus nummos poſt omnia ponens, Illuſtriſſimo

(*r*) Videte, Patriotae, omnem vobis ereptam ſpem eſſe Pacis, niſi iterum rogi incendantur, & Hiſpanica Inquiſitio inſtituatur.

(*s*) Videte, Patriotae, quos habueritis Pacis moderatores; hoc ſcilicet eſt, ovem lupo committere.

(*t*) Egregiam ſcilicet laudem Frunsbergus & Polvillerus ab Hiſpanienſibus referunt, pro tam bene navata in ſpoliando Belgio opera.

Digitized by Google

ſimo Domino Cardinali illo aſſentiente, animum ejus indicavi. Neque poſſum non Dom. tuae idem quoque commendare, non tam quia Comes ille amicus mihi eſt, quam quod id e re ſuae Majeſtatis futurum judicem. Oro Dom. tuam, ut reſponſum de eo mihi impetret, ne Illuſtris viri animum diu ſuſpenſum teneam. Deus Dom. tuae conatus ex voto proſperet. Vale ipſo feſto divi Joannis Baptiſtae. Coloniae M. D. LXXX.

Dictus Do. Comes ſuſpendet aliquod cum Imperatore illi tranſigendum tantiſper dum habeat a Rege reſponſum; quare oro Do. tuam, ut urgeat.

*Do. tuae addictiſſimus & ſervitio paratiſſimus*

Gaspar Schetus.

R[do] & praeclaro viro Domino Joanni Fonckio Regiae Catholicae Majeſtatis Conſilii Praeſidi & ſigilli Praefecto &c.



Digitized by Google

# LE TRANSLAT DES LETTRES DE JASPAR SCHETZ,

## SEIGNEVR DE GROBBENDONCK,

## AV PRESIDENT

# FONCK.

Je n'exprimeray point, encores que je le peuſſe faire, la ſinguliere joye que j'ay receu d'entendre voſtre S[rie] avoir eu la *navigation* de France tant heureuſe pour eſtre arrivé *en trois* jours au port de Larede en Eſpaigne; luy laiſſant ſeullement cela à juger (*a*) par noſtre amitié mutuelle. Mais je me plais d'imaginer que l'Illuſt[me] Cardinal voſtre patron vous a deſia receu non ſeullement treshumainement, mais auſſi avec gratulation, comme par ſes dernieres lettres eſcrites à moy il me mandoit que dés long temps il vous attendoit d'un ardent deſir, ſoubz l'eſpoir que le deſchargeriez de quelque partie de ſes labeurs; m'admoneſtant auſſi que le ſoing de mes affaires vous feroit commis. Dont je n'euſſe peu recevoir nouvelle plus joyeuſe ni plus aggreable, d'autant que

(*a*) Notez la grande amitié de ces bons hommes: car, comme on dit en commun proverbe: *Les ſemblables s'allient facilement à leurs ſemblables.*

Digitized by Google

que j'ay fiché tout mon eſpoir ſur voſtre ſeule benevolence. Il reſte maintenant que voſtre S[rie] ſe monſtre vers moy telle qu'elle m'a fermement promis d'eſtre. Vous avez auſſi mes Requeſtes (*b*) leſquelles je vous ay baillees à voſtre partement: vous avez les articles de mes demandes: j'eſtime que vous avez encores memoire de ce que je vous ay declaré de bouche. Parquoy il me ſemble n'eſtre jà de beſoing vous inculquer derechef le meſme par long & faſcheux diſcours. Si eſt ce que je vous ay bien voulu admoneſter brievement & quaſi en paſſant, à fin que vous ne me mettiez en oubli. Je juge auſſi en mon coeur que le Duc (*c*) de Terra-nova ſe preſentera, lequel m'a promis bien amplement tant en ſon abſence par lettres, que en preſence de bouche de m'eſtre favorable; & certainement il pourra en ceſt endroict par ſon interceſſion ayder & avancer la bonne affection que vous me portez & la rendre plus vertueuſe & de plus grand' efficace. Je me tiens pour aſſeuré que vous qui eſtes tant excellents patrons, non ſeullement par l'affection que me portez, mais auſſi par l'authorité que vous avez vers le Roy, aſſiſterez à moy voſtre client, qui ſuis du tout dejetté & mis au bas par les injures generales du temps, & les particulieres des ennemis: à fin que à tout le moins m'eſtant deſchargé de mes deb-

(*b*) A ſçavoir pour demander argent.
(*c*) Tandis doncques que le Duc de Terranova eſtoit à Couloigne, le fidele Schetz, lequel eſtoit deputé des Eſtats, ſolicitoit ſes affaires, meſmes avec leur plus grand ennemi, & eſtudioit de trahir leſd. Eſtats.



Digitized by Google

debtes, lesquelles j'ay faictes non pas à cauſe de mes comptes ou neceſſitez particulieres, mais en faiſant un prompt ſervice en tout (*d*) au Roy, je puiſſe pourvoir à mes enfans pour l'advenir, qu'ils n'en tombent en peine; & que ainſi d'un coeur raſſis je dedie à (*e*) Dieu tout le reſte de ma vie: Ou s'il plaiſt à ſa Maj[té]. encores m'employer en ſon ſervice, je puiſſe plus promptement & alaigrement (autant que la vieilleſſe le permettra) faire tout debvoir requis à mon office. Mais cela ne ſe peult faire, ſi ce n'eſt que ſa Maj[té]. commande à bon eſcient, que tout ce qu'il apparoiſtra, apres avoir bien & deuëment rendu mes comptes, m'eſtre deu, me ſoit ſans dilay payé. Pour quoy effectuer avec la meilleure commodité, j'eſtime d'avoir monſtré le moyen en mes requeſtes. Les autres leſquels ont faict ſervice au Roy paſſé long temps, eſtants devenus riches, ſont accouſtumés de ſe ſoucier, voire de procurer qu'ils ſoyent honorés & augmentés de titres d'honneurs & de grands benefices, ſervants quaſi de recompenſes & actions de graces pour leurs mercedes. Mais (*f*) moy, j'ay rapporté cela de tout mon continuel ſervice de 30. ans ou environ, que je me treuve non ſeullement avoir perdu mes biens,

(*d*) Au meſme temps qu'eſtant icy avec nous il faignoit & diſſimuloit fauſſement tout ce qu'on vouloit.

(*e*) A ſçavoir à Vertumne & Mercure comme il eſt accouſtumé. Car le bon homme ne ſe ſoucie ſi Dieu eſt honoré ou non.

(*f*) Si eſt ce que n'eſtant content de ta fortune pour heureuſe qu'elle fuſt, tu as uſurairement aſpiré de manier les coffres des Roys.

Digitized by Google

biens, mais auſſi mon honneur. Certainement je ſens maintenant plus grand diſette d'argent qu'oncques au paravant, par la mauvaiſe fortune ſurvenue: ce qu'eſtant apperçeu de mes crediteurs, je les experimente plus rigoureux que de couſtume. Parquoy je tiendray pour vn gratieux don, ſi on me paye ce que par la juſte calculation de mes comptes il ſe trouve apertement m'eſtre deu; ou à tout le moins, que la debte ſoit aſſignée avec telle aſſeurance, que quand & quand par ceſte caution ſuffiſante mes crediteurs eſtants appaiſés ceſſent de me moleſter. Ce que toutesfois je ne ſollicite ſi ſcrupuleuſement que je fiſſe difficulté de recevoir ou mespriſer quelque (*g*) bon benefice, qui me pourroit eſtre offert d'un ſi grand & puiſſant Prince: mais que je deſire ſingulierement devant toutes choſes d'eſtre exempt de ceſte faſcherie & ennuy. A raiſon de quoy à la parfin je prieray voſtre S^rie^ qu'elle procure de me faire dreſſer au rolle de ceux qui ont merité d'experimenter la beneficence royale, les occaſions s'y preſentantes. Mais je deſire que principallement elle ſoit conferée à mes enfans; lesquels certainenement j'ay fait inſtruire & apprendre afin qu'ils devinſſent aptes & propres pour deſſervir offices tant royalles & publiques que dignitez eccleſiaſtiques. J'en ay aucuns que j'ay deſtiné à (*h*) l'Egliſe, & qui ſe conforment bien gentiment pour la

(*g*) Car la cupidité eſt inſatiable.
(*h*) C'eſt à dire pour transferer grands revenus, qui appartiennent aux povres, à leurs uſages; car ceſte eſt la religion d'Eſpaigne & l'office qu'on preſte à l'Egliſe.

la decorer comme il appartient. J'en ay d'autres fort idoines à offices tels qu'ils pourroyent eſtre. Leſquels touts je recommande à voſtre S comme amy principal, à fin de les recommander plus outre. Je ne vous feray plus longues paroles; me remettant du reſte à mes lettres du dernier de Mars, v^e^. d'Avril & xx^e^. de May auſſi: leſquelles, j'eſtime, auront devancé voſtre S^rie^ en Eſpaigne. Eſquelles j'ay alors comprins ſommairement le cours de tout ce qui s'eſt paſſé apres voſtre partement d'icy: de ſorte que je ne m'arreſteray à repeter icy le meſme. Le ſecours pourquoy on avoit ſi long temps ſollicité, eſt envoyé finablement vers Groeninghen, & ce vrayement par la diligence & dexterité de noſtre (*i*) *Bucho*, plus toſt que pár la ſolicitation du (*k*) *Conſeil* d'eſtat du Roy. Le dit Bucho a tellement *faict que ou* ſans nuls, ou à tout le moins, avec bien peu de deſpens des finances il a fait eſlever une juſte armee & induicte à paſſer le Rhin, apres que les chevaucheurs environ ſix cents, envoyez du Prince de Parme pour led. ſecours, ſe furent adjoincts aux piedtons qui jà long temps avoyent ſejourné aupres de la ſusd. riviere; mais ſeullement leur ayant donné eſpoir de recevoir icy la ſolde de deux

(*i*) Il vouloit dire Buffo, c'eſt à dire un crapau, *lequel* soubz couleur d'ambaſſade a eſpandu meschamment *ſon venin* contre ſa patrie treſinnocente.

(*k*) Que dira le Prince de Parme à cela? *lequel ne* ſe ſoucie de tout ce qui pourroit aider la patrie, *moyennant* qu'il procure le royaume de Portugal pour *ſoy* & les ſiens?

Digitized by Google

deux mois (*l*). Dequoy combien qu'ils ſoyent fruſtrés, eſtants toutesfois paſſés le Rhin avec les autres, ils ſe ſont haſtés de marcher en telle diligence par enſamble, que ayant outre paſſé toutes les rivieres là où il y avoit danger, on eſtime maintenant eſtre entrés heureuſement en Frize. Vray eſt que le bruict a couru que le Prince d'Orange les empeſcheroit: mais (*m*) on n'a oui autre choſe que des bruicts. Sinon que aucunes navires de guerre leſquelles eſtants d'aventure envoyées à ceſt effect, ſont venues trop tard, ſe ſont preſentées devant ceſte ville. Leſquelles apres s'eſtre quelque temps icy arreſtees, ayant commandement de ſe retirer, on ne ſçait vers où elles ont tourné voille. Cependant nous eſperons l'evenement de l'expedition devoit eſtre heureux; prenant cela pour un bon preſage, que les Friſons au ſeul bruict de leur venuë, ont commencé d'eſtre ſoigneux pluſtoſt à s'enfuir qu'à ſe defendre. Outre ce, ceux de Groeninghe depuis la mort de Berthelmy Ente tué en une ſortie, lequel eſtoit quaſi le principal chef des ennemis, ont reprins courage. Voſtre S^rie^ cognoiſſant bien la ſituation & importance de ce païs là, entend fort bien de quel grand eſpoir les bien affectionnez à ſa Maj^té^. ſe reſiouiſſent maintenant. Leſquels, à cauſe de Dieſt n'agueres de rechef occupée par les gens des Eſtats, ſe tourmentent de nouvelle anxieté & crainte, doutant que par cela

(*l*) Voila les belles promeſſes par leſquelles ils ont jusques à preſent allaicté les povres Malcontens.

(*m*) Ne chantez pas triomphe devant la victoire.

cela Louvain pourroit de bref tomber en grand danger, & mesmement tout le païs de Brabant. Lequel, ſi Boſleduc n'empeſchoit, ſeroit jà au Prince d'Orenge. On dict que l'Abbé de S. Gertrude par ſa preſence maintient ceux de lad. ville en leur debvoir. lequel je croy n'eſtre exempt de crainte, cependant qu'il conſidere en ſoymesme tous les gens du Roy par telles nouvelles de villes ſurprinſes perdre courage, & pour la grande indigence (*n*) des finances, defaillir. Car la faulte d'argent donne pretexte à la negligence & meſchancetez, & desbauche le courage de tous ceux qui ſe trouvent en un eſtat ſi doubteux. Je ſçay trop bien que par la guerre de Portugal les finances s'eſpuiſent, & qu'il eſt impoſſible qu'elles puiſſent ſubvenir à toutes neceſſitez (*o*). Mais je ſuis de telle opinion qu'il la fauldroit brevement aſſopir, ou qu'il euſt mieux valu de ne (*p*) l'avoir commencé. l'Evenement de ceſte guerre eſt de grande importance pour nos affaires de pardeça. Je prie doncques voſtre Srie de m'en vouloir eſcrire ce qui en eſt. Que ſi apres avoir mis fin à ladite guerre, il y euſt faulte de courage ou de moyen de bien achever noz affaires; je crains de voir quelque jour mettre trop tard en avant ce qu'en

(*n*) Voila les prodigieuſes richeſſes par lesquelles ils promettoyent ſe defendre ſans les deſpens de ceux d'Artois & de Haynault.

(*o*) Schetz a un eſprit du tout Eſpaignol, i. enflé, d'autant que il penſe un royaume tant floriſſant pouvoir ſi facilement eſtre vaincu.

(*p*) Car la guerre ne ſe devoit mouvoir tyranniquement & contre les privileges de Portugal par l'ennemi Eſpaignol.

Digitized by Google

qu'en temps commode & opportun à conclure la paix, on a paraventure trop durement refuſé. Je ne veux pas nier qu'en une Repub. bien ordonnée l'exercice de diverſes religions convient fort mal ; ainſi comme (q) prudemment m'a admoneſté l'Illuſt[me] Cardinal. Mais tous principalement ceux qui ſe treuvent en ces troubles, ſe perſuadent qu'on y doibt (r) tolerer aucunefois ce que (s) incontinent ne ſe peult corriger : & qu'il eſt expedient d'eviter les plus grands inconveniens par des moindres ; combien que ceux qui meſmes de loing ne ſont ſpectateurs des maux, ains auditeurs ſeulement, ne ſoyent de telle opinion. Auſquels on pourroit objecter ces mots du Comique bien à propos : *Si tu eſtois icy, tu ſerois d'autre advis.* Mais pour faire fin, je prie voſtre S[rie] de procurer que ne defaillions de noſtre devoir, meſmes à faire paix par tel moyen que ce fuſt, ou à faire guerre ; craignant de ne faire trop tard ce qui ſe debvroit effectuer en temps commode. De toute ancienneté la maiſon d'Auſtriche a eſté coulpée de ceſte tache, qu'elle eſt accouſtumée d'appliquer remedes à ſes maux (t) trop tard. A raiſon de quoy il eſt expedient que voſtre S[rie] previenne par ſes conſeils que

(q) Mais ſi tu parles de coeur, tu penſes ton Cardinal eſtre fort imprudent, qui ſuggere à ſon Roy ſi fol conſeil.

(r) A ſçavoir jusques à ce qu'il aura trouvé occaſion idoine pour nous perdre.

(s) Car on reſerve ce qui ſe doibt conſumer en apres pour le cautere.

(t) Mais maintenant ceux d'Auſtriche encores que tard ne donnent aucun remede.



Digitized by Google

que le Roy ne choppe derechef au meſme eſcueil. On traicte maintenant à Anvers de renoncer au Roy & d'accepter Alençon. Mais autant que je puis ouir, les voix ne condeſcendent ni ne s'accordent enſemble en vn affaire tant meſchant. (v) La plus part preſage, ayant premierement procuré l'abjuration du Roy, le chemin eſtre ouvert & appreſté au Prince d'Orenge. Quoy qu'il en ſoit, tels conſeils ſont dangereux, & auxquels le Roy doibt avoir grand regard. Nous perdons le noſtre plus legerement (encores que injuſtement) que nous ne le recouvrons, encores que juſtement. Mais je ceſſeray icy, me recommandant affectueuſement à voſtre S^rie, à laquelle Dieu vueille donner proſperité. Donné à Cologne le xvj. de Juing 1580.

Apres avoir eſcript ceſte, (x) l'Abbé *de Marolles* eſtant d'aventure alors preſent, incité par mon exemple, a dict de vouloir auſſi eſcrire à voſtre S^rie, & enſamble m'a fait ſouvenir de vous reconmander (y) ſon affaire de la penſion de S. Bertin. J'eſtime que vous avez en memoire comme eſtant en meſme compaignie quand nous eſtions icy enſamble, elle luy fut promiſe; & que vous n'ignorez point combien vault par tout la bonne foy. Veu donques qu'on luy a faict pro-

(v) Si ces devineurs ſeront veritables, l'effect à la parfin le demonſtrera.

(x) On peult voir d'icy combien long temps l'Abbé a eſté trahiſtre.

(y) l'Abbé a cela principalement en ſoing: aſſavoir le bon Pere eſt enflammé d'amour de l'Egliſe.

Digitized by Google

promeſſe de la denomination par le Roy d'eſtre au Conſeil d'eſtat, il ſemble eſtre bien à propos que le meſme ſe face de ſa penſion. Et par ainſi je le recommande à voſtre S$^{rie}$ autant qu'il eſt poſſible: Vous ſouhaitant derechef bonne ſanté & proſperité. l'An, lieu & jour que deſſus.

Cecy eſt la Copie de ma derniere lettre eſcrite à voſtre S$^{rie}$; laquelle j'ay penſé devoir eſtre copiée & envoyée, ſi paraventure il advinſt par l'injure du temps que les lettres fuſſent interceptées. De Cologne le 26. de Juin 1580.

*A voſtre S$^{rie}$ treſaffectionné*

JASPAR SCHETZ.

A reverend & treſmagnificque S$^{r}$. Jehan Fonck Prevoſt de S. Marie, à Cologne, Conſeiller de la Catholicque Maj$^{té}$. &c.

# AV MESME.

Il est impoſſible d'exprimer le deſir que j'ay maintenant de recevoir vos lettres, tres-honoré Seigneur Preſident; leſquelles me puiſſent comme repreſenter les commoditez & inconveniens, enſemble la congratulation de voſtre venue en la Cour; afin que je me ſente quaſi deviſer avec l'amy, autant qu'il eſt poſſible à vn abſent; ce que en ces troubles tant miſerables, peut donner quelque peu de ſoulas à vn homme perplex. Car je n'ay pas encores delaiſſé ceſt exil de Coloigne, d'autant que je n'ay ſceu juſques à preſent mettre mes affaires en tel ordre que (*a*) je les euſſe peu aſſeurer du fiſc des adverſaires; encores que j'aye par tout moyen eſſayé de le faire, mes entrepriſes eſtants tousjours empeſchées des retardements procedés de l'injure du temps; pluſieurs cherchants par icelle leur gaing, & meſmement remuant de jour à autre maintenant l'une choſe, maintenant l'autre. Mon bourreau Fleming (*b*) s'eſt derechef venu preſenter en public, lequel espiant tousjours ma vie & honneur, ayant prins maintenant l'occaſion du temps, on dit vſer de merveilleuſes menees contre moy, eſtimant que

(*a*) Les biens de Schetz ont eſté la ſeule cauſe de ſa diſſimulation.

(*b*) Il eſt à deplorer que tu n'es tombé au paravant en un vray bourreau, lequel eut peu avec une corde fermer le chemin à tes trahiſons.

Digitized by Google

que avec meilleur ſucces il pourra employer ſes fineſſes & calomnies contre moy qui ſuis abſent & mal voulu illec: & par aventure il fera ce qu'il vouldra envers les juges (*c*) qui me veuilent tout mal. Que s'il advient que il me face pluſieurs dommages, à tout le moins, il me delivrera de ceſt' exil, me desliant des pieges dont je ſuis maintenant icy detenu. J'attens de voſtre Seigneurie une heureuſe nouvelle de la benevolence du Roy, & reſponce ſur mes requeſtes, à fin que à tout le moins me deſchargeant des debtes, je ſouffre plus patiemment le reſte des injures de la fortune, & de mon bourreau Flaming. Or ne veux-je detenir voſtre Seigneurie davantage occupée de mes calamités particulieres. Je viendray à parler des choſes publiques. Touchant l'heureux ſucces en Friſe, Monſieur le Prevoſt Ayta (*d*) en eſcrit: auquel comme je cede le debvoir d'eſcrire, ainſi je luy attribue la gloire & dexterité du faict. Il a faict certainement un grand (*e*) debvoir, lequel votre Seigneurie ne doibt mettre en oubli: car il n'a pas achevé (*f*) un œuvre de ſi grande importance, ſans deſpens & peril, au grand regret de tous ceux qui favoriſent l'adverſe partie, desquels y a grand nombre en ceſte ville

(*c*) Qu'ont à faire les juges davantage contre un trahiſtre, qui confeſſe ſon crime?

(*d*) Et ceſtuy cy, qui a eſté envoyé par les Eſtats, pour traicter la paix, a faict devoir d'un bon homme.

(*e*) Aſſçavoir une inſigne & memorable trahiſon.

(*f*) Il n'eſt pas encores temps de chanter triomphe, la choſe n'eſtant encores aucunement parachevée.

Digitized by Google

ville (*g*), comme voſtre Seigneurie le ſçait bien. Mais quel proufit adviendra de cela aux gens du Roy, le temps l'enſeignera. Car ſi ceux qui preſident & conduiſent les affaires en Friſe, font bien leur debvoir, & en cas que nous ne tombions du tout en meſpris par faulte d'argent (*h*): pluſieurs preſagent, que de ceſte victoire ſuccedera vn plus heureux progres de la guerre, & qu'on pourra à la parfin aſſubjectir la Hollande (*i*). Mais ceſte indigence (*k*) d'argent nous preſſe maintenant de telle ſorte, que le Duc de Parme Gouverneur comme oiſeux aſſis aupres du gouvernail eſt contraint d'abandonner la naſſelle aux vents; tant lentement s'avance la guerre; vacillant meſme par ce moyen le courage de ceux qui autrement ſe ſont tousjours monſtré d'eſprit peu conſtant. Si comme le Seigneur d'Auſſi s'eſt derechef revolté aux Eſtats, je ne ſçay bonnement pour quelle occaſion, ayant delaiſſé ſa femme à Aloſt, laquelle ſe feignant couroucée à ſon mary, on dit avoir taſché de trahir auſſi la ville aux Eſtats, eſtant le S. de Heze de meſme conſpiration. Dont icelle eſt detenue priſonniere à Aloſt, & de Heze,

(*g*) Inſigne louange de Coloigne, qui a tant de bons citoyens & aymants l'equité.

(*h*) Où ſont les montaignes d'or, lesquelles vous promettez aux Mal-contens?

(*i*) Miſerables prophetes qui pouroyent entendre par la guerre menée par ci devant ſur combien fragile fondement ils ſont appuyés.

(*k*) Où ſont ces millions, des quels les Mal-contens doivent eſtre inaurés?

Digitized by Google

ze, apres la trahiſon laquelle il pretendoit (*l*) d'executer contre le Marquis de Richebourg eſtre deſcouverte, apprehendé d'iceluy, eſt envoyé priſonnier à Mons en Haynault. de laquelle apprehenſion eſmeus pluſieurs ſoldats principaux de ſon regiment, ſe ſont enfuis à Tournay. On dit que les meſmes ont eſté ſollicités du Duc d'Alençon, & vaincus par promeſſes pour condeſcendre à attenter l'entreprinſe, par le conſeil du Prince d'Orange. Et il eſt notoire que ceſtuy qui tenoyt en Caſſel ville de Flandres garniſon par l'avancement du Seigneur de Montigny, eſtoit de la meſme conſpiration. Lequel pourtant lon dit avoir eſté aſſailli en plaine campaigne, par aulcunes cornettes de chevaux, vaincu & en combatant (*m*) tué: & que par ce moyen Caſſelle, (laquelle les adverſaires penſoyent jà tenir en leur puiſſance) a eſté conſervée pour le Roy. Ces choſes cy ſembleront à voſtre Seigneurie fort eſtranges, comme auſſi à moy. Mais j'eſtime choſe fatale, que de Heze avec (*n*) Glimes ſon Lieutenant reçoivent le ſalaire de leurs actes. Je croy auſſi voſtre Seigneurie avoir encore en memoire que

(*l*) Mais le Marquis, & Montigny accuſent de Heze, par leurs lettres, eſcrites aux Eſtats de Haynault & Artois, que il ait voulu livrer Caſſelle au Duc d'Anjou.

(*m*) Mais ceſtuy-la, ayant apperçeu voſtre deſloyauté & trahiſon, s'eſt rengé avec les bons, & paraventure vous le ſentirez quelque jour vif.

(*n*) Voy-la le ſalaire de ceux qui ſe ſont revoltés aux ennemis, qu'ils ne ſe ſoucient meſmes des priſonniers ſelon la maniere Eſpaignolle: ce que non ſeulement experimente Glimes, mais auſſi Egmont; laquelle ſeule cauſe purge aſſez de crime ledit d'Auſſi d'avoir ſuivy meilleurs conſeils.

Digitized by Google

que d'Auſſi auroit le premier introduict les ſoldats du Prince d'Oranges en Flandres contre l'adveu & le gré de tout le Conſeil ; & comment il purgea ſon fait de reprehenſion par lettres (*o*) falſifiées. A tels actes ſont deuz tels ſalaires. deſquels auſſi (*p*) Freſin pour la vehemence, dont il eſtoit au commencement animé contre le Roy, par aventure eſt taxé d'avoir perpetré quelque choſe. Je croy que quelque jour autant en adviendra à ſon frere Monſieur d'Ynſi (*q*), lequel prive le Roy de Cambray. Cela me deplaiſt ſeulement que la Nobleſſe de noſtre nation ſera notée & coulpée d'infidelité en Eſpaigne, & par tous les autres pays, à cauſe de ces metamorphoſes. Mais il eſt expedient que voſtre Seigneurie preſte ce devoir à ſa patrie, que les eſprits de ceux qui ont perpetré telles choſes, ſoyent notez & diſcernés, de peur que la coulpe de telles gens, qui ſont en petit nombre, & meſme fort legers, n'infecte d'infamie tous les autres. D'avantage, puis que je voy qu'il nous faut faire la guerre, d'autant qu'il n'y a aucun eſpoir reſté pour accorder la paix (*r*), à cauſe de la permiſſion de l'exercice d'une religion eſtrange: pleuſt à Dieu, qu'on la menaſt bien avec moindre couſt & avec plus grand fruict, que juſques à preſent. Ce que ſe pourra fai-

(*o*) Mais d'Auſſi te dict avoir menti.

(*p*) Que les Mal-contens jugent de cecy, quelle choſe ils doyvent attendre.

(*q*) Il ſe gardera de vos trahiſons.

(*r*) Vous voyés Patriots tout eſpoir vous eſtre oſté de paix, ſi ce n'eſt que derechef les feux ne s'allument, & l'Inquiſition d'Eſpaigne ſoit eſtablie.

Digitized by Google

faire ſelon mon jugement, ſi on enrolle autant de ſoldats que les finances pourront payer, de peur que par faute de payement on ne voye troubles advenir. Secondement, qu'on prenne des Chiefs & Capitaines, les eſliſant d'une ſinguliere prudence, qui ne ſoyent ranſonneurs ni covards. Nous avons icy le Conte de Swartzenberg (*s*), que V. S. cognoiſt: ceſtuy me ſemble digne d'eſtre recommandé & promeu pour ſa liberalité, magnanimité, & honorable repreſentation de corps, & gouvernement domeſtique, par lequel il maintient tous ſes gens à faire leur devoir: à quoy faut adjouxter la grande conſanguinité qu'il a en Allemaigne, la cognoiſſance & amitié quaſi de tous Princes; ſans oublier l'experience, laquelle il a acquiſe maintenant aux affaires par luy traictées. Lequel n'agueres en familier devis j'ay trouvé aſſez prompt & enclin à vouloir faire ſervice au Roy. Parquoy penſant qu'iceluy peut plus effectuer que ni le Focre maintenant trespaſſé, ni Frunsberg (*t*) à preſent du tout enervé & ſans force, ni Poulviller, poſtpoſant toute choſe à l'argent; j'ay par ſon propre conſentement declaré ſa volonté à l'Illuſtriſſ. Cardinal; & je ne me puis contenir que je ne vous recommande ledit affaire, non pas tant pource que ledit Conte m'eſt amy, que pour autant que ſelon mon jugement la cho-

(*s*) Vous voyez Patriots quels moderateurs de paix vous avez eus; n'eſt ce pas cela commettre la brebis au loup?

(*t*) Frunsberghe & Polleviller rapportent une belle gloire des Eſpaignolizés, pour s'eſtre tant bien employé à despouiller le Pays-bas.



Digitized by Google

choſe redonderoit grandement au prouſit de ſa Majeſté. Je prie V. S. qu'elle m'impetre reſponſe de cela; afin que je ne tienne l'Illuſtre Seigneur long temps ſuſpens. Dieu vous vueille donner l'avancement de voz entrepriſes, à voſtre contentement. A Dieu. La feſte de S. Jan Baptiſte, à Coloigne, 1580.

Ledit Conte tiendra ſuſpens quelque affaire qu'il a à traicter avec l'Empereur, jusques à ce qu'il aye reçeu reſponce du Roy : parquoy je prie voſtre Seigneurie de preſſer l'affaire.

*A Voſtre Seigneurie affectionné & tresprompt à faire ſervice,*

JASPAR SCHETZ.

IN.

Digitized by Google

# INSTRVCTION

## POVR MESSIRE

# GASPAR SCHETZ,

CHEVALIER; SIEVR DE GROBBENDONK; THRESORIER GENERAL DES FINANCES DV ROI; ENVOYÉ DE LA PART DE SON ALTESSE VERS LES ETATS GENERAVX.

Puiſque les dits Etats nous requierent ſincerement, que veuillons retourner en la ditte Ville de Bruxelles, leur repreſenterez & remonſtrerez, qu'ils ſavent que dès l'inſtant que fut conclu & arreté de Nous recevoir au Gouvernement General de ces Païs, ſommes venus droit au dit Bruxelles, non ſeulement pour etre la Ville Roiale & lieu plus ordinaire & accoutumé pour reſidence des Princes & Gouverneurs Generaux, mais auſſi pour y etre les dits Etats Generaux convoqués, avec les quels deſirions perſonnellement conferrer & communiquer les Affaires, pour reduire toutes choſes en ſon ancien ordre, train & repos, comme nous en avons le commandement de Sa Majeſté. Et eſt notre principal deſir & nos actions l'ont demonſtré, aiant fait tout ce que



Digitized by Google

nous a été poſſible, pour donner entiere confidence à chaqu'un, & temoigner au peuple de la ditte Ville notre bonne Affection vers eux, (comme tous ſavent) & eſtions & ſommes encore de meſme volonté de continuer de plus en plus; mais auſſi pour parler ſincerement & clairement, voiant que toute la confidence, que avons en eux, ny l'humanité & courtoiſie, dont nous ſommes peu adviſer ne les a peu rendre ſi promts obeisſants & quiets, qu'eſperions, & qu'il convenoit bien pour la tranquillité de la Court, des dits Etats, du peuple, & de toutes nations qui ont beſoing de negocier en la ditte Court, car encore que le Magiſtrat, que les Guldes, & la principale bourgeoiſie fuſſent bons & fort deſplaiſans d'avoir veu les emotions du peuple en Bruxelles & veoir ce qui ſe paſſoit en icelle: toutesfois comme il y en avoit aucuns (quelque petit nombre qu'ils fuſſent) qui ne ceſſoient troubler & mouvoir le tout au tres grand desplaiſir des dits bons, pour cette cauſe avons fait pluſieurs debvoirs tant vers les dits Magiſtrats, vers les dits Guldes, que vers les nations, afin qu'il y fut donné ordre, & que les choſes fuſſent quietes, & les bons montraſſent qu'ils ſurpaſſoient les mauvais, auſſi qu'on ſe contentaſt de fere Guet & Garde comme il convient, ſans ainſi chaudement, & tumultueuſement fere ce que l'on veoit bien ſouvent, à ce que les delits, excés, & forces, dont quelques particuliers uſoient, fuſſent punies, corrigées, & chaſtiées exemplairement, le Magiſtrat reveré, la Juſtice adminiſtrée, Sa Majeſté & ſes Lieutenants Genereaux obeyz; en quoi conſiſte le vrai repos



Digitized by Google

pos public, & le fruict de la paix, mais rien n'y a encores valu, & non obſtant diverſes promeſſes faictes de ſe renger à toute raiſon, ſe ſont tous ces deſordres continués impunement, que plus eſt ceux qui ont coutume troubler les choſes, ſont ètés plus creus, & ont eu plus grande authorité que les autres, mesmes que ny la raiſon, ny les requeſtes & commandements de Sa Majeſté, ou de Nous n'ont été reſpectés, choſe que chacun peut conſiderer combien nous doibt deſplaire, toutesfoit l'avons ſouffert longuement, eſperant quelque meilleur changement aux affaires, jusques à ce que à leur requiſition nous a été beſoing ſortir de la ditte Ville, pour aller à Malines, afin de communiquer avec les Collonelz Allemanz ſur leur paiement & licentiement attendu (que pour les troubles du dit Bruxelles ny oſoient comparoir) ores qu'esperions que cependant les choſes iront ſe meliorant, & ſi la raiſon n'avoit valu, du moins le tems y apporteroit quelqu' amandement, nous avons toujours entendu (a nôtre grand regret) que rien n'a profité, ny le renouvellement du Magiſtrat, ny les requiſitions, ny les remonſtrances que de tems à autre avont fait, afin qu'il y fut pourveu, au contraire que quelques mauvais Eſpritz perturbateurs de la paix & repos public, ont plus valu, que tout ce que tous offices & remontrances des bons n'ont peu fere, au contraire mesmes n'a eſté aſſez à quelques malins troubler les dits Bruxelles, ils ſe ſont parferréz de fere le mesme avec Malines pendant nôtre ſejour illec, & depuis out penſér de fere le mesme en cette Ville, ou nous a convenu

de venir pour recevoir la Princeſſe de Bary, Soeur unique du Roy très Chreſtien, & belle Soeur du Roy Monſeigneur, paſſant vers les eaues de Spa, interpretans iceux malins eſprits ceſtuy office & courtoiſie & amitié pour une choſe recherchée & des menéz practiquée contre le pays & de trahiſon ci devant tramée, forgeans etranges nouvelles, ſelon que les dits Etats meſme l'ont entendu & le nous ont fait ſavoir par leurs Deputés, & de tout cecy s'eſt faict, comme dict eſt, impunnement, & quand avons penſé y faire donner ordre par le Magiſtrat, nous nous ſommes apperçus, qu'il n'a peu y pourvéoir parceque n'oſéroit fere juſtice, & qu'il y en avoit ſeulement une troupe de douze ou vingt, qui faiſoient tout ceci neantmoyns craingnoient les Officiers & Magiſtrats, que ſi l'on toucheoit à leurs perſonnes, le peuple les tiréroit de leurs mains, & conſequemment y pourroit avoir deſordre & tumulte, par ou telle calomnies & menſonges continuent de plus en plus, & par la ſe gouverne la Commune ſans reſpecter nos bonnes & ſincères actions enſemble la verité de nos paroles, que chaqu'un a trouvé veritables, parceque les dits Etats peuvent par leur prudence conſiderer, ſi avons occaſion de quelque diſcontentement, & ſi ces choſes ſont toujours ſouffrables pour un Lieutenant & Gouverneur General, aiant ſi bien merité de toute la patrie, & nommement de la ditte Ville de Bruxelles, croiant qu'à notre vue nous convient diſſimuler & ſouffrir toutes ces indignetés, & neantmoings comme connoiſſons combien inſtamment ils requirent notre retour & que ſçavons (à vrai dire) icelle etre neceſſaire,

ou

ou que nous ſoions la auprès d'eux ou eux auprès de notre perſonne, ſommes contents retourner au dites Bruxelles, pourveu que ſoit réellement & de faict & non de parolles ſeulement (comme s'eſt faict jusques ores) remedié à ces deſordres & inconvenients ſusdicts.

JAN 25 1921

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2 vol
UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06897 4828
B 441711
Digitized by Google

Digitized by Google